BJ1249
H34
1894x
vol.1

DUQUESNE UNIVERSITY LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/theologiaemorali0001unse_j1t8

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

M. H. VH 13-8

THEOLOGIAE MORALIS

ELEMENTA

EX

S. THOMA

ALIISQUE PROBATIS DOCTORIBUS

COLLEGIT ORDINEQUE DISPOSUIT

A. J. J. F. HAINE

SANCTITATIS SUAE PRAELATUS DOMESTICUS,
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON.,
IN UNIV. CATH. LOVAN. S. THEOLOGIAE DOCTOR,
S. FAC. THEOL. PROF. ORD. HON.

TOM. I

COMPLECTENS,

PRAETER INTRODUCTIONEM BREVEM IN THEOLOGIAM MORALEM,
TRACTATUS :
DE ACTIBUS HUMANIS, CONSCIENTIA, LEGIBUS,
PECCATIS, VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, PRAECEPTIS DECALOGI
ET PRAECEPTIS ECCLESIAE.

EDITIO TERTIA AUCTIOR ET EMENDATIOR

LOVANII
TYPIS CAROLI FONTEYN, BIBLIOPOLAE
via Bruxellensi, 6
1894

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

BJ1249
H34
1894+
vol 1

TOUS DROITS RÉSERVÉS

APPROBATIONES.

Opus, quod inscribitur : *Theologiae moralis elementa ex* **S. THOMA** *aliisque probatis Doctoribus. Collegit ordineque disposuit* A. J. J. F. Haine, *Sanctitatis Suae Praelatus Domesticus, Eccl. Metrop. Mechl. can. hon., in Univ. cath. Lovan. S. Theologiae Doctor, S. Fac. Theol. Prof. ord. hon. Editio tertia,* ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei et bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, in festo *Dedicationis S. Mariae ad Nives* an. MDCCCXCIV.

J. B. ABBELOOS,
RECT. UNIV.

ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS.

Mechliniae, die 24 Novembris 1881.

Eximie Domine Professor,

Grato animo accepi opus quod inscripsisti : *Theologiae Moralis Elementa*, deque hoc novo laboris tui tibi congratulor fructu, cui sane sua non desunt merita : aptus scilicet rerum ordo, sermonis perspicuitas, dilucida argumentorum tractatio. Quocirca etiam laudes tibi referendas existimo de zelo illo indefesso, quo pergis vario labore doctrinas theologicas illustrare, et scientiae sacrae principia facili methodo proponere atque evulgare, ad tironum praesertim utilitatem.

Dum igitur libenter opus tuum clero commendo, cum sincero dilectionis affectu permaneo,

Eximie Domine,

DEVOTISSIMUS FAMULUS TUUS,
V. A. Cardinalis DECHAMPS,
ARCH. MECHLIN.

FEB 21 1983

ARCHEVÊCHÉ
DE MALINES.

Malines, le 13 Janvier 1883.

Mon cher Docteur,

Je vous félicite bien sincèrement, comme l'a déjà fait mon illustre Prédécesseur, au sujet de l'œuvre consciencieuse dans laquelle, constamment appuyé sur la doctrine des grands théologiens de l'Ecole, avec une méthode sévèrement scientifique, vous avez embrassé, en sa vaste étendue, tout le programme de la *Théologie morale*.

L'un des plus érudits Prélats d'Italie, le pieux Evêque de Rieti (1), de la famille Dominicaine, a bien raison de dire que votre Traité « *se distingue à un degré éminent par la concision, par l'ordonnance, par l'extraordinaire lucidité et solidité de doctrine.* »

Mon vénéré et savant Collègue de Bruges vous écrit à son tour, et je partage entièrement son sentiment : « *Ma conviction est que votre ouvrage surpasse les autres* Compendium *que je connais, et qu'il sera des plus utiles au clergé.* »

Il est déjà hautement apprécié dans le pays et à l'étranger, jusque dans l'Amérique, et il ajoutera sans aucun doute à la renommée du diocèse de Malines et de l'Université catholique de Louvain, que vous honorez par votre science et par vos travaux.

Agréez, je vous prie, Cher Monsieur le Chanoine, l'expression de tous mes sentiments affectueusement dévoués.

† PIERRE LAMBERT,
ARCH. DE MALINES.

ÉVÊCHÉ
DE LAVAL.

Opus cui titulus « *Theologiae Moralis Elementa* » a cl. auctore A. J. J. F. Haine, *Eccl. Metrop. Mechl. can. hon., in Univ. cath. Lovan. S. Theologiae Doctor, S. Fac. Theol. Prof. ord. hon.* attente perlegi; illudque enixe commendo omnibus; praesertim vero animarum rectoribus et seminariorum alumnis, utpote **Doctoris Angelici** doctrina refertum atque tum accurata rerum expositione, tum lucida distributione praestans.

Datum Valle Guidonis, die 27 Februarii 1889.

F. D. LEMAITRE,
VICARIUS CAPITULARIS.

(1) Mgr Egide Mauri, actuellement Archevêque de Ferrare et Cardinal de la Sainte Eglise Romaine.

PRAEFATIO

AD PRIMAM EDITIONEM.

Memor verborum D. Augustini, de libris, qui pervulgantur, eloquentis (1) : « *Utile est, plures a pluribus fieri diverso stilo, non diversa fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic;* » idcirco non abs re fore arbitratus fui, si, in subsidium candidatorum in Sacra Theologia, quae de re morali viri praestantissimi magnis multisque tradidere voluminibus, ad formam perstringerem elementariam, omisso quocumque eruditionis apparatu, non tamen sine ordine aut claritatis studio; experientia apprime edoctus, id multo facilius mandari memoriae, figique profundius, quod simplicissimo potius quam prolixo profertur sermone.

Et quoniam apud Theologos trita est regula : « *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas;* » si in tot rerum controversiis, ex probatis alioquin Doctoribus, sententia proponatur, quae forte cuipiam haud placeat, vel plus aequo benignitatem sapere videatur, ne, quaeso, illam statim virgulae censoriae subjiciat; immo potius effatum D. Antonini (2) secum reputare non gravetur : « *Melius Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate.* »

De cetero, cum verbis Angelici Scholarum Principis, **D. THOMAE AQUINATIS** (3), cujus vestigia persequi mihi semper in deliciis fuit, humillime profiteor : « *Si quid male vel minus bene dictum est, veniam peto; correctionem*, praesertim Sanctae Romanae Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis, *sustinco; scio enim quod homo sim infirmus.* »

Isthaec vero sunt, nec plura, quae habebam praefanda. Vale.

Scribebam Lovanii, in festo *S. Raphaelis Archangeli*, an. MDCCCLXXXI.

(1) *De Trinit.* l. 1, c. III, n. 5, apud Migne, *Patr. lat.* tom. XLII. col. 823.
(2) Part. 2, tit. 4, cap. 4.
(3) *Opusc.* 73, c. 21.

PRAEFATIO

AD SECUNDAM EDITIONEM.

« *Doctrinam* **THOMAE AQUINATIS** *studeant magistri... in discipulorum animos insinuare, ejusque* **PRAE CETERIS** *soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant.* » Ita **SS. D. N. LEO PP. XIII** (1). — Et ex Litteris E^mi^ Card. Secretarii **S. R.** et **U. I.**, jussu ejusdem Pontificis ad omnium locorum Ordinarios transmissis (2), praecipue enitendum est : « *Ut mentes adolescentium, eorum praesertim qui in spem Ecclesiae in Seminario aluntur, germana catholicae Ecclesiae doctrina e puris fontibus Sanctorum Patrum, Ecclesiae Doctorum, probatorum auctorum ac* **PRAECIPUE** *Angelici Doctoris* **S.THOMAE AQUINATIS,** *hausta imbuantur.* »

Itaque, uti postulabat mandatum apostolicum, in hac secunda editione, multo magis, virili pro parte, doctrinae institi Angelici Praeceptoris. Ad quod faciendum jam aliunde me impulerat irrefragabilis auctoritas tanti Magistri; qui, ut utar verbis **LEONIS PP. XIII,** « *doctrina et virtute,* **SOLIS** *instar, semper eluxit* (3); » « *Inter Scholasticos Doctores omnium princeps et magister* **LONGE** *eminet* (4); » cujus « *Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem,* **MARIS** *instar, omnem comprehendat* (5); » quem denique « *Romani Pontifices... singularibus laudum praeconiis et testimoniis amplissimis persecuti sunt* (6); » et ideo, « *Ad incrementa scientiarum et communem societatis humanae utilitatem,* » idem Pontifex **LEO XIII,** suprema sua auctoritate ac universo plaudente orbe scientifico, « **PATRONUM** » declaravit « *Universitatum studiorum, Academiarum, Lyceorum, scholarum catholicarum, atque uti talem ab omnibus haberi, coli, atque observari* (7) » voluit.

Quibus praenotatis, reliquum est, ut, memor imbecillitatis humanae, omnia animi mei sensa et calami scripta infallibili totius

(1) Enc. « *Aeterni Patris* » 4 Aug. 1879.
(2) 7 Mart. 1888.
(3) Brev. « *Cum hoc* » 4 Aug. 1880.
(4) Enc. « *Aeterni Patris.* »
(5) Brev. « *Cum hoc.* »
(6) Enc. « *Aeterni Patris.* »
(7) Brev. « *Cum hoc* » 4 Aug. 1880. — Haec varia aliaque documenta, ad praestantiam doctrinae D. THOMAE spectantia, in unum collecta reperies in opusculo cui titulus : « **Leo Papa XIII** Pont. Max. et ORDO PRAEDICATORUM. » Romae 1884.

Ecclesiae Capitis ac Magistri judicio caeca obedientia submittam, paratus ex animo reprobare, si in tanta diversaque rerum copia quidquam proferre potuissem, quod a recto tramite ad latum unguem declinare visum fuerit.

Scribebam Lovanii, in festo *Desponsationis* **B. M. V.** an. MDCCCLXXXIX.

PRAEFATIO

AD TERTIAM EDITIONEM.

Quum insperato successu secunda hujus operis editio, ad plura licet millia exemplarium excusa, brevissimum post temporis spatium, universa fuerit ablata, hanc tertiam editionem prelo subjicere coactus fui. Et quamvis, propter infirmam valetudinem ad durum onus supportandum vires aliquando deficere viderentur, incitatus tamen continuo virorum gravissimorum hortamentis, imprimis Eminentissimi Principis S. R. E. Cardinalis Petri Lamberti Goossens, Archiepiscopi Mechliniensis simulque Patris in Christo amantissimi ac studiorum Promotoris sapientissimi, alacriter animos applicui, nec ullis quamtumvis arduis laboribus peperci, ut opus duabus vicibus jam editum, nunc tertio auctius adhuc accuratiusque in lucem prodiret.

Benedictus Dominus Deus, qui bonae voluntati benedicere dignatus est faxitque ut quod in gloriam Ejus susceptum Eoque adjuvante ad finem perductum fuit, id quoque in aliorum utilitatem aliquatenus cedere valeat!

Reliquum manet, ut Sedes Apostolica, Cathedra, inquam, infallibilis, cui caecam obedientiam praestare valde honorificum est, de dictis cunctis judicet, et si quid in tanta rerum copia minus rectum aut etiam a vero alienum visum fuerit, immutet ac deleat.

Scribebam Lovanii, in festo *S. Dominici* MDCCCXCIV.

INTRODUCTIO BREVIS

IN THEOLOGIAM MORALEM.

De nomine et significatione Theologiae generice sumptae. — De Theologia naturali et supernaturali. — De quidditate S. Theologiae. — De ejus triplici objecto. — De ejus divisione. — De definitione Theologiae moralis. — De ejus convenientia et discrepantia cum Ethica. — Qua methodo sit tractanda. — Quomodo acquirenda. — Epilogus.

1. Ex S. Thom. (1) post S. Aug. (2) Theologia **quoad nomen,** quod ex duplici vocabulo θεὸς et λόγος componitur, est « *quasi sermo de Deo.* »

Resolvitur. « Unde, ait Billuart (3), quilibet sermo seu consideratio de Deo, sive solo lumine naturali, sive supernaturali nitatur, sive simplici assensu, sive discursu habeatur, **secundum nominis etymologiam** potest dici Theologia. »

2. **Quoad rem,** seu **secundum nominis significationem,** Theologia importat considerationem discursivam estque *generice* sumpta : scientia de Deo sive in se spectetur, sive in rebus creatis, prout ad Deum quacumque ratione referuntur, vel ut effectus ad causam, vel ut media ad finem.

Resolvitur. Cum itaque in Theologia « *omnia*, ut habet S. Thom. (4), *pertractantur... sub ratione Dei : vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem..., sequitur quod Deus vere sit* subjectum *hujus scientiae,* » i. e. **subjectum attributionis** : quo nomine in omni scientia intelligitur illud cui omnia subjiciuntur et ad quod omnia, quaecumque disseruntur exponunturque, referuntur atque respiciunt.

3. Theologia porro, si principiis solo lumine naturali notis nitatur, **Theologia naturalis** dicitur et ad *Metaphysicam*

(1) P. I, q. 1, a. 7; — (2) *De civit. Dei*, lib. VIII, c. I, ap. Migne, *Patr. Lat.* tom. XLI, col. 225; — (3) in P. I, *diss. prooem.* a. 1; — (4) *Loc. cit.*

spectat, quae pars *Philosophiae* ponitur; si vero principiis lumine supernaturali fidei notis, dicitur **Theologia supernaturalis** vocaturque a S. THOM. (1) « *Sacra Doctrina.* » Dicitur etiam *Sacra Theologia* seu *Theologia fidei*, seu per antonomasiam *Theologia* simpliciter nuncupatur, de qua solum in posterum agemus.

Resolvitur 1. Patet S. THEOLOGIAM et PHILOSOPHIAM **inter se differre** : 1°) ratione *principii* objectivi cognitionis, cum in Philosophia veritates quae ad Deum quocumque modo referuntur, naturali ratione; in Theologia vero lumine divinae revelationis investigamus; 2°) ratione *objecti* quod latius patet in Theologia quam in Philosophia. Haec enim eas tantum veritates, quae lumine rationis de rebus divinis cognoscibiles sunt, complectitur; illa vero tum easdem veritates quatenus revelatione continentur, tum multas alias quae superrationales sunt, scilicet : « *mysteria in Deo abscondita quae, nisi revelatae divinitus, innotescere non possunt* (2). » **Resol. 2.** At licet THEOLOGIA a PHILOSOPHIA differat sicut *lumen a lumine*, neutiquam tamen una alteri **adversatur,** sicut *lux tenebris*. Nam, « *etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.* » Ita Patres Conc. VAT. (3), qui et concludunt : « *Quapropter omnes Christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.* » Quod idem jam antea professus fuerat S. THOM. (4), de Sacra Doctrina inquiens : « *Quidquid in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiae repugnans, totum condemnatur ut falsum.* » **Resol. 3.** Imo, tantum abest ut THEOLOGIA et PHILOSOPHIA opponantur inter se, ut potius amico foedere nexuque **conjungantur,**

(1) P. I, q. 1, a.7; — (2) Conc. VAT. Const. *de fide cath.* c. IV; — (3) *ibid.* (4) P. I, q. 1, a. 6 ad 2.

opemque sibi mutuam ferant, « *cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat.* » Ita Patres Conc. Vat. (1). Conjunguntur autem, ut recte notat Lepidi Ord. Praed. (2): « non quidem sicut *duae sorores*, quemadmodum falso quidam dixerunt; verum ut *domina* et *ancilla :* divina revelatio [seu Theologia] ut dirigat, atque gubernet; Philosophia vero, ut famuletur. Dignum enim et justum est, ut Philosophia, quae ex lumine inferiori oritur, subjiciatur divinae revelationi, quae a lumine superiori dimanat. » **Resol. 4.** Theologia, quamvis fidem supponat eique tota innitatur, quoniam omnes veritates considerat quatenus a Deo nobis revelatae sunt aut cum revelatis connectuntur, a fide tamen **distinguitur,** « *sicut*, ut utar verbis Hurter S. I. (3), *scientia a cognitione ejusdem objecti vulgari et rudi.* » Fides namque inclinat ad assentiendum principiis a Deo revelatis eisque revera assentit, sed eadem principia non demonstrat, nec ex illis discurrit. Theologia vero principia revelata exponit sub formulis abstractis, eadem ex revelatione demonstrat, ex illis consectaria deducit quae *conclusiones theologicae* vulgo nuncupantur et simul omnes errores hisce principiis et conclusionibus contrarios confutat, ut adeo sit fidei scientifica explicatio, seu scientia, ut loquitur (4) S. Augustinus : « *tribuens illud quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum.* » Et quidem, ut scite scribunt (5) docti Theologi Hispani Puig et Xarrié Ord. Praed. : « Haec scientia *fidem gignit*, dum declarans et explicans Scripturam Sacram, Traditionem probans, Mysteriorum credibilitatem demonstrans, disponit cor hominis ad fidem amplectendam sicque *dispositive* fidem in corde gignit. *Fidem nutrit :* nam rationes, similitudines, motiva et exempla adducit quibus fides nutritur magisque radicatur. *Fidem defendit,* dum

(1) Const. Dogm. *de fide cath.* cap. IV: — (2) *Elem. Philos. Christ.* tom I, pag. 30, Lov. 1875; — (3) *Theol. dogm.* tom. I *in prol.* n. IV; — (4) *De Trinit.* lib. XIV, cap. I, n. 3, ap. Migne, *Patr. Lat.* tom. XLII, col. 1037; — (5) *Opusculum,* cap. I, pag. 22 seq. Barcinone 1865.

haereticorum falsa ratiocinia, et prave philosophantium technas ac sophismata detegens et dissolvens sicque eos qui contradicunt arguens juxta praescriptum Apostoli, fidem defendit. Tandem *fidem roborat*, dum theologicis discursibus ostendit articulos fidei non esse contra, sed tantum supra rationem naturalem; imo plerumque ipsam rationem fidei servire cogit, dum demonstratur harmonia inter principia rationis naturalis et articulos fidei intercedens; ex quo fit, intellectum validissime inclinari, ut articulis fidei firmiorem ac tenaciorem praebeat assensum. »

4. Cum S. THOM. (1) absolute « *dicendum : Sacram Doctrinam esse scientiam.* » Quae scientia, ait (2) : « *omnes alias transcendit tam speculativas quam practicas.* » Imo, ut addit (3) : « *maxime dicitur sapientia.* »

Explanatur. Dicitur 1°) « **Sacram Doctrinam** » : i. e. *S. Theologiam*. De ea enim loquitur *S. Thom.* inquiens (4) : « *Theologia scientia est, ut in principio operis dictum est.* » — Dicitur 2°) « *esse* **scientiam** » : Est enim cognitio certa et aequivalenter evidens per discursum virtualiter demonstrativum comparata. Licet enim non habeat evidentiam *formalem*, quae consistit in ea proportione veritatis cum intellectu, ut ipsum debite apprehensa ad assensum certum et infallibilem se sola determinet, qualis est evidentia harum veritatum : *Quodlibet est vel non est; unum et duo sunt tria*, et qualem evidentiam ARISTOTELES, supernaturalium principiorum ignarus, ad scientiam requisivisse videtur; habet tamen evidentiam *virtualem*, sitam in summa principiorum revelatorum infallibilitate, ex quibus certitudinem, secundum quod certitudo importat firmitatem *adhaesionis*, trahit majorem quam possit ulla principiorum per se notorum evidentia generare. Ut enim dicit (5) S. THOM. : « *Multo magis homo certior est de eo quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione quae falli potest.* » — Dicitur 3°) « *omnes alias* **transcendit** » : nam ex S. THOM. (6) Theologia est *dignior :* A) ceteris scientiis *speculativis :* partim quia est *certior*, utpote innixa lumini

(1) P. I, q. 1, a. 2 in cor.; — (2) *ibid.* a. 5 in cor.; — (3) *ibid.* a. 6 in cor.; — (4) 2. 2. q. 1, a. 5 ad 2; — (5) 2. 2. q. 4, a. 8 ad 2; — (6) P. I, q. 1. a. 5 in cor.

divinae scientiae quae decipi non potest ; partim quia est de nobiliori objecto, utpote de Deo secundum quod excedit omnem humanam rationem. *Dignior* etiam est : B) ceteris scientiis *practicis*, quia ordinatur ad finem digniorem, scilicet ad beatitudinem aeternam, « *ad quam*, ait S. Thom. (1), *sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum.* » — Dicitur 4°) « *maxime*, i. e. antonomastice *dicitur* **sapientia** » : cum non a quacumque causa, sed ab altissima omnium, quae Deus est, et sub ratione altissima, scilicet divina revelatione, argumentationes ducat.

5. Sicut in omni scientia, ita pariter in scientia theologica *triplex* distinguitur objectum : **materiale** scilicet, **formale quod**, et **formale quo** seu **sub quo.**

Explanatur. Objectum **materiale** alicujus scientiae est id omne circa quod versatur scientia ; **formale quod** est id quod principaliter et ratione sui attingitur et ratione cujus cetera attinguntur ; objectum **formale quo** seu **sub quo** est id mediante quo objectum *formale quod* attingitur. Exemplum poni solet in potentia visiva : Objectum *materiale* sunt omnes res visae ; *formale quod*, color ; *formale quo*, lux. — A pari in scientia theologica objectum *materiale* est id omne quod cadit sub divina revelatione. Objectum *formale quod* est Deus sub ratione deitatis : quae enim tractantur in Theologia vel sunt ipse Deus vel dicunt ordinem ad Deum, ut ad principium et finem, juxta dicta (2). Unde Deus, ut Deus, est id quod principaliter et ratione sui attingitur a Theologia, et ratione cujus cetera in ea tractantur ; et ita in ea scientia disputatur de angelis, legibus, peccatis, sacramentis, actibus humanis, etc., quia ordinem habent ad Deum creatorem, legislatorem, judicem, sanctificatorem, finem ultimum etc. Denique objectum *formale quo* seu *sub quo* est divina revelatio *per discursum* applicata, seu, ut explicatius loquitur (3) Billuart, « divina revelatio *virtualis* et *mediata*, seu vis luminis naturalis deducentis conclusiones ex principiis *immediate* revelatis » : quia sub illa ratione et ea mediante attingit quaecumque tractat de Deo, sicut mediante luce visus attingit quodvis corpus coloratum.

(1) P. I, q. I, a. 5 in cor ; — (2) Pag. I ; — (3) *Diss. prooem.* a. 5.

Resolvitur 1. Quoniam **divina revelatio** continetur in *Verbo Dei*, scripto vel tradito, sub infallibili *magisterio* Ecclesiae custodito, et ideo ex Conc. Vat. (1) « *fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur;* » hinc Sacra Theologia fusius definiri potest : *Scientia de Deo rebusque divinis, hausta ex divina revelatione, in Verbo Dei sive scripto sive tradito contenta, et per Ecclesiam sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio nobis infallibiliter proposita.* **Resol. 2.** Sicut itaque Verbo Dei sive scripto sive tradito et Magisterio Ecclesiae sive extraordinario sive ordinario fides subjectiva nititur et fides objectiva constituitur, ita pariter scientia fidei seu Theologia habet **propriam sedem** argumentorum et **proprium locum** ex quo ducit demonstrationes, ipsum nempe Dei Verbum revelatum et infallibile Ecclesiae Magisterium. Principia autem alia, ut sunt rationes ac veritates naturali tantum lumine cognitae et auctoritas mere humana, *subserviunt* Theologiae, quatenus pertinent ad suadendas, illustrandas, analogicis notionibus distinctius concipiendas veritates revelatas, et vicissim ad deducendas et confirmandas veritates alias quae cum revelatis connectuntur. **Resol. 3.** Igitur ex **decem** communiter assignatis **Locis theologicis,** e quibus veluti totidem *fontibus* seu *promptuariis* Theologi desumunt sua argumenta, « **Locos Theologiae proprios** cum Melchiore Cano censemus esse dumtaxat *septem priores*, nempe : auctoritatem Sacrae Scripturae, Traditionis, Ecclesiae Catholicae, Conciliorum praesertim Oecumenicorum, Romanorum Pontificum, omnium Sanctorum Patrum omniumque Scholasticorum in una aliqua re ad fidem [aut mores] spectante unanimiter consentientium. Loci vero theologici, quasi *extranei* et solum *probabiliter* concludentes sunt : autoritas unius vel plurium Patrum aut Scholasticorum, non tamen omnium nec perpetuam ex Verbo Dei sed ex humano sensu doctrinam tradentium ; autoritas Philosophorum, Historiae humanae et tandem ratio naturalis. » Ita Theologi Hispani Puig et Xarrié Ord. Praed. (2). **Resol. 4.**

(1) Const. Dogm. *de fide cath.* cap. III; — (2) *Inst. Theol.* tom. I, pag. 115.

Imo, brevius loquendo, dici potest **Locos Theologiae proprios** esse simpliciter *Verbum Dei* tum scriptum tum traditum necnon *Magisterium* Ecclesiae tum *extraordinarium*, quod solemnibus exercetur actibus : vel a Romano Pontifice una cum orbis catholici episcopis in Concilio collectis, vel ab uno Romano Pontifice, « *cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit* (1) ; » tum *ordinarium* quod communi universalique praedicatione et doctrina quavis aetate exercetur; quae quotidiana praedicatio atque doctrina ex veterum Patrum et sequiorum Ecclesiae Doctorum Scholaeque Theologorum doctrinis, sententiis, judiciis praecipue colligitur.

6. Ratione *materiae*, quam complectitur, aliter fuit divisa Theologia a veteribus Scholasticis, aliter a recentioribus. Veteres vix recedebant ab ordine quem secutus est S. Thomas in sua *Summa Theologica*. Recentiores autem scientiam theologicam **generatim** classificant in duas partes : **dogmaticam** et **moralem.** Utramque vero partem subdividunt in *generalem* et *specialem*.

Explanatur. Dixi : **generatim**; nam ratione materiae *specialis* distinguitur quoque Theologia : *Exegetica* seu *Hermeneutica* disserens particulariter de interpretatione Scripturarum; *Patristica*, de doctrina SS. Patrum ; *Synodica* et *Symbolica*, de doctrina Conciliorum et Symbolorum ; *Liturgica* de Ritibus Sacris ; *Archeologica* de monumentis materialibus traditionis ; *Ascetica* de Perfectione Christiana ; *Mystica* de viis extraordinariis et de insolitis animarum cum Deo commerciis ; *Pastoralis*, quae ministrorum sacrorum curae animarum addictorum officia praescribit optimumque ea exsequendi modum edocet. Et haec quidem a recentioribus in varias species subdistinguitur : in *didacticam*, *concionatoriam*, *homiliticam*, *catecheticam* et *exemplariam*. — Sed has diversas Theologiae partitiones seu potius nuncupationes, utpote ad institutum nostrum parum facientes, sufficiat indicasse, ut divisionem Theologiae in *dogmaticam* et *moralem* prolixius explicemus.

(1) Conc. Vat. Const. Dogm. I *de Eccl. Christi*, cap. IV.

Itaque Theologia **dogmatica** ea dicitur, quae respicit res credendas vocaturque etiam *speculativa* seu *theoretica*. Et quidem dogmatica **generalis** ipsa fidei fundamenta et fontes, e quibus veritates credendae hauriendae sunt, constituit et vindicat; unde quoque theologia *apologetica* seu dogmatica *fundamentalis* nuncupari consuevit. Complectitur *Demonstrationem Christianam* adversus incredulos seu achristianos; et *Demonstrationem catholicam* adversus haereticos et acatholicos. Dogmatica autem **specialis** singula fidei dogmata perpendit et illustrat, hincque tractatus : *De Deo uno*, *De Deo Creatore*, *De SS. Trinitate*, *De Incarnatione*, etc.

Theologia **moralis** respicit veritatum credendarum applicationes ad actiones, seu aliis verbis : occupatur in efformandis hominum moribus juxta normam revelatae voluntatis Dei, ut ad supernaturalem vitam et beatitudinem dirigantur. Unde etiam vocatur Theologia *practica*. Et quidem Theologia moralis **generalis** in evolutione principiorum communium versatur occupatque Tractatus : *De Actibus humanis*, *De Conscientia*, *De Legibus* et *De Peccatis*, qui ideo dicuntur Tractatus *fundamentales*. Theologia moralis **specialis** immediate ipsa officia et praecepta in particulari attingit et explicat occupatque reliquos Tractatus omnes.

Resolvitur. Circa Theologiae partitionem, a recentioribus invectam, in *dogmaticam* et *moralem*, non immerito scribit Cl. Pater Van Der Velden Ord. Seraphici (1) : « Arctissima, ut patet, est utriusque Theologiae **connexio**; siquidem ea, quae *moralis* dicitur, radicem suam habet in *dogmatica*. Propterea nec desunt inter doctos, quibus hodierna **separatio** haud parum displicet, cum sit hoc ipso *moralis* a naturali radice sua avulsa. Neque negari potest, quod Theologi tum dogmatici tum morales falcem in messem alterius mittere saepissime cogantur, et nescio quam sentiant penuriam praesertim moralistae, dum quaestio aliqua a suis est principiis examinanda. Vere odiosum omne est divortium, si non et perniciosum. At quaelibet tempora suos habent mores ac suas quoque ineptias, quibus et inviti servire debent. »

7. Theologia moralis recte definiri potest : *Scientia quae versatur circa actus humanos eosque, innixa principiis*

(1) Princ. Theol. Mor. *Introd.* § 2.

fidei, dirigit ad morum honestatem, in ordine ad vitam aeternam.

Explanatur. Dicitur 1°) **scientia** : est enim pars S. Theologiae quae juxta dicta (1) est cognitio certa et firma ex certis ac immutabilibus principiis per discursum deducta. Dicitur 2°) **quae versatur circa actus humanos** : quibus verbis exprimitur hujus scientiae *objectum materiale*, scilicet omnes actus qui ab hominis voluntate deliberate procedunt. Dicitur 3°) **innixa principiis fidei** : quae verba indicant objectum *formale* QUO seu SUB QUO, i. e. quo mediante objectum *formale* QUOD attingitur; estque juxta dicta (2) divina revelatio virtualis et mediata, seu per discursum applicata : quia sub illa ratione et ea mediante objectum *formale* QUOD attingitur. Dicitur 4°) **dirigit ad morum honestatem** : quibus verbis designatur objectum *formale* QUOD, i. e. actuum humanorum conformitas ad regulas morum juxta normam, ut dictum fuit (3), revelatae voluntatis Dei, seu ad dictamen rectae rationis divina revelatione instructae. Dicitur 5°) **in ordine ad vitam aeternam** : quibus verbis significatur hujus scientiae *finis ultimus*, scilicet beatitudo supernaturalis Patriae ad quam homo est elevatus : siquidem, ut utar verbis Conc. VAT. (4), « *Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem* oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum. »

8. Itaque Pars Theologiae supernaturalis quae *Theologia moralis* dici solet, et *Philosophia moralis* seu *Ethica* in quibusdam inter se **conveniunt,** in aliis vero a se invicem **discrepant.**

Explanatur. Inter se **conveniunt** : 1°) Ratione objecti *materialis* saltem *generice* sumpti; nam utraque scientia versatur circa actus humanos. Dixi : *generice sumpti :* quia plures species actuum humanorum, ut actus quo quis administrat vel suscipit sacramen-

(1) Pag. IV; — (2) Pag. V; — (3) Pag. VIII; — (4) Const. Dogm. *de fide cath.* cap. II.

tum, auditio missae, sacrilegia, etc., etc., non ad Ethicam sed tantum ad Theologiam moralem spectant, utpote ex divina revelatione profluentes. Objectum materiale itaque latius se extendit in Theologia quam in Ethica : plura enim considerat Theologus moralis quae rationem mere naturalem excedunt. 2°) Partim ratione objecti *formalis* QUOD : quatenus utraque *principaliter* respicit morum honestatem seu occupatur in ordinandis seu dirigendis actibus humanis secundum dictamen rectae rationis. Dixi : *principaliter ;* quia Theologia morum etiam respicit actus dirigendos juxta positiva divinae revelationis praecepta, adeoque respicit morum honestatem non solum secundum conformitatem ad rationem rectam in ordine naturali, sed etiam in ordine supernaturali.

Ast a se invicem omnino **discrepant** : 1°) ratione objecti *formalis* QUO seu SUB QUO. Ethica enim morum honestatem considerat mediante lumine rationis naturalis; Theologia vero moralis, mediante ratione fide supernaturali illuminata. Dum itaque Philosophi disciplinam moralem totam ex rationis dictaminibus vel hominum consensu derivant, Theologi eam tradunt ex divinis documentis occupanturque in moribus informandis juxta normam revelatae Dei voluntatis. Quid enim agere debeamus, quomodo actiones nostras componere debeamus ut conformes sint ad dictamen rectae rationis, id docuit nos Deus non tantum lumine menti intimius affulgente, sed tum praeceptis primis hominibus datis, tum lege in monte Sinai lata, tum pluribus aliis quae Christus Dominus tradidit. Quocirca notanda sunt quae docet (1) *S. Thomas* inquiens : « *Quia homo ordinatur ad finem beatitudinis aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis humanae, ideo necessarium fuit, ut supra legem naturalem et humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data.* » Imo « *propter incertitudinem humani judicii, praecipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum diversa esse judicia, ex quibus etiam diversae et contrariae leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum et quid vitandum necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare.* » Quam mo-

(1) 1. 2. q. 91, a. 4 in cor.

ralem revelationis necessitatem ad ea etiam, quae de Deo ratione humana investigari possunt, convenientius et certius cognoscenda, jam antea (1) adstruxerat idem S. Doctor, eamque pariter profitetur (2) Conc. Vat. hisce verbis : « *Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus* EXPEDITE, FIRMA CERTITUDINE *et* NULLO ADMIXTO ERRORE *cognosci possint.* »

Praeterea a se invicem **discrepant** : 2°) ratione *finis ultimi*, qui in Ethica est beatitudo naturalis, in Theologia vero morali beatitudo supernaturalis postea in Patria adipiscenda, mediantibus meritis supernaturalibus in Via positis, i. e. per actus *liberos, honestos* et insuper *ex gratia* positos, secus ad vitam supernaturalem proportionem non haberent. Ut enim docet (3) S. Thomas : « *Vita aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus secundum illud* (1 Cor. II, 9) : Nec oculus videt, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *Et inde est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod* GRATIA *dicitur.* »

Resolvitur. Cum itaque a recta morum compositione secundum normam divinitus datam aeterna hominis felicitas dependeat, patet : sacram morum disciplinam, quae docet quomodo summum malum averti et summum bonum acquiri possit, reliquas scientias omnes **necessitate** longissime superare. Quae necessitas maxime urget pro iis quibus cura animarum, praesertim in tribunali poenitentiae, demandata est, dicente (4) S. Greg. Magno : « *Ars est artium regimen animarum,* » ac « *nullibi tanta opus prudentia, tanta circumspectione, tanto judicio ac spiritus discretione, tanta bonorum auctorum peritia sententiarumque delectu, tot occurrentibus perplexis ambiguisque quaestionibus,* » ut addit (5) Ill^mus^ Arch. Mechlin. Humbert. Guil. a Praecipiano.

(1) P. I, q. 1, a. 1 in cor. ; — (2) Const. dogm. *de fide cath.* cap. II. ; — (3) 1. 2. q. 114, a. 2 : — (4) *Libr. regulae pastoralis*, p. I, c. I, ap. Migne, *Patr. Lat.* tom. LXXVII, col. 14 : — (5) *Epist. pastoral*, cap. VIII, ap. Ill. de Ram, *Synodicum Belgicum*, tom. II, pag. 404.

9. Theologia moralis *triplici* methodo pertractari potest : *positiva*, *scholastica* et *casuistica*.

Explanatur. Methodus dicitur **positiva**, cum morum praecepta et dogmata ex fontibus Theologiae propriis probantur et confirmantur rectoque ordine exponuntur. Dicitur **scholastica**, quando morum dogmata ex Theologia positiva ceu jam probata desumuntur, ut principiis philosophiae illustrentur eorumque nexus et relationes ac consectaria declarentur. Unde discursu rationis potius quam auctoritate procedit. Denique dicitur **casuistica**, quando generalia morum principia ad casus particulares in vita occurrere solitos applicantur et quaestiones practicae juxta principia generalia rite discutiuntur et resolvuntur.

Resolvitur. Cum cuilibet methodo propria sua insit praecellentia, recte concluditur Theologiae moralis tractationem eo excellentiorem evasuram, quo universalior in ea reperitur triplicis hujus methodi permixtio. Hac enim permixtione fiet : 1°) ut **errores removeantur**, dum morum principia rite exponuntur; 2°) ut **mens inducatur ad intellectum veritatis**, dum veritas ratione illustretur : « *alioquin*, ut dicit (1) S. Thomas, *si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret sed vacuus abscedit;* » 3°) ut **casus conscientiae** recte solvantur, dum generalia principia ad particulares casus, variis determinatos circumstantiis, applicantur. Sicut enim errant dictitantes : praxim a speculatione seu theoria omnino esse alienam suasque habere regulas in spontaneis sensus communis suggestionibus sicque principia abstracta scientiae moralis floccifaciunt; ita pariter errant qui solis principiis fident et ideo relaxationi imputant quod in principiis applicandis circumstantiarum individualium ratio habeatur. Quapropter **praxis a speculatione** nunquam omnino separetur, sed unum per aliud oportet moderari, sicque medium, in quo stat virtus, omnino servare.

10. Quo magis Theologia morum ceteras scientias practicas tum dignitate tum necessitate antecellit, eo major quoque

(1) Quod l. IV,a. 18.

animi dispositio seu praeparatio requitur ad eamdem adipiscendam. Praetermissis autem dispositionibus *naturalibus*, quae nimirum intellectus cultura continentur, inter dispositiones *spirituales* plurimum conducunt *fides* viva atque *pietas*, ad quam referuntur *puritas*, *humilitas* et *oratio*.

Explanatur. Imprimis postulatur **fides**, dicente (1) S. Aug. : « *Tanto quisque facilius aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit.* » Aliunde fides est basis et fundamentum, cui vita Christiana inniti debet, et norma ad quam mores hominum sunt componendi, ut per divinorum mandatorum observantiam in Via, aeternam beatitudinem mereantur in Patria. Hinc illud S. Pauli (2) : « *Sine fide impossibile est placere Deo.* » Ast intelligitur fides viva seu operans, « *quae*, ait (3), *per charitatem operatur* » ita nimirum ut « *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* (4). » Secus, ut docet (5) S. Jacob., « *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum?* »

Fidei dein accedere debet **pietas**, dicente (6) Apostolo : « *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae.* » Ad *pietatem* autem referuntur :

1° **Puritas** tam cordis quam intentionis juxta Christi verba : « *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (7), » et haec alia : « *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit..., et sicut lucerna fulgoris illuminabit te* (8). » Quapropter cor purum servandum est ab omni vitio, dicente (9) Leon. XIII : « *Est autem virtus ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima ; quam qui negligunt, solidam fructuosamque sapientiam falso se consecuturos putant, propterea quod* IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA, NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS. » Hinc quoque, ut monet (10) S. Bernardus, studium dirigendum est : « *Non ad inanem gloriam, aut curiositatem,*

(1) *De agone Christ.* cap. XIII; — (2) *Hebr.* XI, 6; — (3) *Gal.* V, 6; — (4) *Gal.* VI, 10; — (5) II, 14; — (6) 1 *Timoth.* IV, 8; — (7) *Matth.* V, 8; — (8) *Luc.* XI, 36; — (9) *Brev.* 4 Aug. 1880, quo S. Thomas declaratur *Patronus* Scholarum Catholicarum, ap. N. R. T. (XII, 404 seqq.); — (10) *In Cant.* Serm. 36.

aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam et proximi.» Quod dein pulcherrime sic evolvit : « *Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum* UT SCIANT, *et curiositas est; quidam* UT SCIANTUR, *et vanitas est; quidam* UT SCIENTIAM VENDANT, *et turpis quaestus est; quidam autem* UT AEDIFICENT, *et charitas est; quidam* UT AEDIFICENTUR, *et prudentia est.* »

2°) **Humilitas**, dicente (1) SCRIPTURA : « *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* » Unde quoque clamat (2) SAPIENTIA : « *Si quis est parvulus veniat ad me;* » et Christus Dominus ait (3) : *Confiteor Tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* » Quapropter nos monet (4) Apostolus : « *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem;* » superbia enim temeritatis, pertinaciae, novitatum et omnium errorum mater est.

3°) **Oratio,** docente (5) S. JAC. : « *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter... et dabitur ei... Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* » Cum itaque « *Deus scientiarum Dominus est* (6), » S. Theologiae sectatori assidua oratio necessaria est, praesertim ubicumque specialis occurrit difficultas. Tunc dicat cum DAVIDE (7) : « *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam;* » aut cum SALOMONE (8) : « *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam;* » aut cum S. THOMA (9) : « *Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem.* »Et quoniam in morum studiis materiae occurrunt aliquando, phantasiam nimium perturbantes, in iisdem idcirco prudenter incedendum est, absque tamen animi anxietate; non solitarie quidem, sed in comitatu ac veluti ad manum illius quae « *Mater purissima, Mater castissima, Mater inviolata* » ab Ecclesia salutatur. Quapropter :

HAC NE VADE VIA,
QUIN DIXERIS : AVE MARIA !

(1) *Jac.* IV, 6; — (2) *Prov.* IX, 4; — (3) *Matth.* XI, 25; — (4) *Rom.* XII, 3; — (5) I, 5, 17; — (6) I *Reg.* II, 3; — (7) *Ps.* CXVIII, 34; — (8) *Sap.* IX, 4; — (9) *In oratione* quam frequenter dicebat antequam scriberet aut praedicaret.

« *Igitur*, ut concludam cum Leon. XIII (1), *hac quoque in re exempla sequamur Doctoris angelici, qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo ; quique candide confessus est, quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse ; ideoque humili et concordi obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiae filios spiritum scientiae et intellectus emittat et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam.* »

EPILOGUS.

Ut operis titulus indicat, in colligendo ordineque disponendo haec « **Theologiae moralis elementa** » imprimis doctrinam referre studui D. Thomae Aquinatis, qui Theologiae tum dogmaticae tum moralis longissime princeps atque magister voce unanimi proclamatur ; qui, ut utar verbis (2) Leonis XIII, « *doctrina et virtute, solis instar, semper eluxit ;* de quo Joan. XXII dixisse (3) legitur : « *Thomas plus illuminavit Ecclesiam, quam omnes alii Doctores ; in cujus libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum Doctorum, toto tempore vitae suae.* » — Atque in hoc sectari conatus sum exemplum S. Alph. Mariae de Liguorio, qui, teste (4) Leon. XIII, « *saepe in scriptis suis Angeli Scholarum doctrinam se sequutum fuisse gloriatur.* »

Sed, praeter Thomam Aquinatem, aliorum quoque probatorum Doctorum auctoritate rationibusque usus sum, imprimis S. Alphonsi, quem hodie inter Ecclesiae Doctores laetantes reveremur, eo magis quod, ut constat ex ipsius S. Sedis Oraculo, in operibus hujus S. Doctoris « *nihil censura dignum repertum fuerit* (5), » quodque « *S. Theologiae professor opiniones quas in sua Theologia morali profitetur B. Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri, quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis Auctoribus traditas sequantur* (6). »

(1) Encycl. *Aeterni Patris* (4 Aug. 1879) ap. N. R. T. (XI, 453-473) ; — (2) In Brevi jam cit. 4 Aug. 1880 ; — (3) Ap. Puig et Xarr. *Inst. Theol.* in Praef. ;— (4) In litteris (28 Aug. 1879) ; — (5) Decreto S. C. Rit. (18 Maii 1803) confirmato a Pio VII ; — (6) *S. Poenit.* (5 Jul. 1831) probante Greg. XVI.

In citandis quoque sententiis duorum prae ceteris Doctorum peculiariter delectatus sum, nimirum : genuini Reineri Sasserath (1) ex Ord. Seraphico, qui plura mira brevitate complectitur, et Caroli Renati Billuart (2) ex Ord. Praed., qui in doctrinam S. Thomae exponendo claritate praefulget.

(1) *Cursus Theol. Moral.* Colon. 1753; — (2) « Billuart a eu spécialement l'honneur, dit-on, de rester constamment sur la table de travail autour de laquelle se réunissaient les membres de la commission de la foi, pendant le Concile du Vatican. J'imagine qu'on n'a pas voulu le mettre à la place de Saint Thomas d'Aquin, mais qu'on l'aura considéré comme un interprète sincère : nous ne pouvons pas donner à ce fait une signification moindre que celle-là. » Ita P. Berthier, Ord. Praed. in opere : « *L'étude de la Somme théologique de S. Thomas d'Aquin,* » cap. III, pag. 62. Frib.

N. B. Litterae initiales N. R. T. quas ubique in Opere reperies, indicant praeclaram Ephemeridem, cui titulus : *Nouvelle Revue Théologique.*

DE ACTIBUS HUMANIS.

PRAEAMBULUM. Actus humanus sub **triplici** respectu hic considerari potest : — 1°) Quoad suum esse **physicum** seu **materiale**, i. e. quoad suam entitatem physicam seu realitatem. — 2°) Quoad suum esse **morale** seu **formale**, i. e. quoad suam conformitatem vel difformitatem cum regulis morum. — 3°) Quoad suum esse **supernaturale** seu **meritorium**, quatenus scilicet ex gratia factus et positis certis conditionibus possit mereri praemium supernaturale sive de *condigno* sive de *congruo*.

Hinc hujus tractatus **triplex** erit pars.

PARS PRIMA.

DE ACTIBUS HUMANIS CONSIDERATIS QUOAD SUUM ESSE PHYSICUM SEU MATERIALE.

CAPUT I. — De quidditate, principiis et distinctione actuum humanorum.

Q. 1. Quid *proprie* sit *actus humanus?*

R. Ex S. Thoma (1. 2. q. 1, a. 1) trifariam definiri potest : 1°) Actio procedens ab homine, « *in quantum est homo* » ; — 2°) Actio, « *cujus homo est dominus* » ; — 3° Actio procedens ab homine, « *ex voluntate deliberata.* »

Explanatur. « *Actionum,* ait S. Thom. (l. c.), *quae ab homine aguntur, illae solae* proprie *dicuntur humanae, quae sunt propriae hominis,* **in quantum est homo** »; i. e. in quantum differt ab

irrationalibus creaturis non solum *quoad substantiam*, per facultates, intellectum scilicet et voluntatem, quae *substantialiter* seu *in essendo* hominem seu animal rationale constituunt ; sed etiam *quoad modum operandi*. — « *Differt autem homo* quoad modum operandi *ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illae solae actiones vocantur* PROPRIE *humanae*, **quarum homo est dominus** ». — Et quoniam eorum actuum homo habet dominium, quos non tantum voluntarie, sed et libere exercet, « *illae ergo actiones* PROPRIE *humanae dicuntur, quae* **ex voluntate deliberata** *procedunt* ». — Praescinditur autem in definitione, an actio procedat *positive*, an *privative*, ut comprehendatur *omissio* actus, quae *suo modo* actus humanus dici potest.

Resolvitur. 1°) Actiones homini, ut rationalis est, propriae, v. g. intelligere, ridere, loqui, flere, admirari, etc., non sunt actiones humanae, si non procedant ex voluntate deliberata. — **Resol. 2°)** E contra, comedere, bibere, ambulare, dum haec fiunt ex voluntate deliberata, quamvis sint actiones homini et brutis communes quoad substantiam, sunt tamen proprie actus humani : quia quoad modum sunt proprii hominis, ut homo est. — **Resol. 3°)** Actus voluntatis *necessarii*, qualis est amor boni seu felicitatis in communi, solum sunt humani quoad substantiam, non vero quoad modum. — Idem dicit SYLVIUS, cum SUAR. et aliis communissime, de visione beatifica, amore inde consequente et delectatione de illa : « *quia procedunt quidem ab homine per potentias ejus nobiliores*, nempe per intellectum et voluntatem ; *sed non procedunt juxta eum modum operandi hominis, qui soli naturae rationali convenit ; ille enim modus est operari libere* ». — Quae tamen dicendi ratio non omnibus placet : « *Nimis enim absonum videtur*, ait WIGGERS, *perfectissimas hominis operationes et ad quas potissimum conditus est, spoliare nomine et dignitate humanae actionis* ». Hinc aliqui cum SALM. (tr. 8, disp. 2, d. 1 § 3) existimant, amorem beatificum dicendum esse actum humanum, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, respectu hominis *comprehensoris*, quia fit juxta modum operandi quem habet homo *in patria*, qui modus non est *libertas*, sed *necessitas* : non quidem ex natura, sicut in brutis et in homine respectu boni in communi ; sed ex

intima et actuali cognitione et penetratione Dei summi boni. Dum autem S. Thom. definit actum humanum per *voluntatem deliberatam*, aperte loquitur, aiunt, de solo statu hominis *viatoris*, juxta modum operandi in hac vita. — Sed haec sententia **non probatur** : quia de ratione actus humani est, quod a voluntate deliberata procedat ; est enim haec ejus definitio. — Unde amor beatificus, licet inter perfectissimas operationes hominis computetur ; quia tamen a deliberata voluntate non procedit, sed necessario ab ipsa oriatur, Deo clare viso, non *actus humanus* appellari potest.

Q. 2. Quomodo cognoscatur actum, ex *deliberata* hominis *voluntate* procedere ?

R. Quando est *voluntarius* et *liber*. Si enim non sit voluntarius nec liber, non actus *humanus*, sed actus *hominis* dicetur, quales sunt : motus *primo-primi*, i. e. qui intellectum antevertunt et voluntatem praeripiunt, veluti si quis, viso inimico, illico flagret ; item actus alicujus hominis penitus distracti, delirantis, dormientis, vel alias usu rationis destituti.

Explanatur. Ut patebit ex definitionibus *voluntarii* et *liberi*, tunc actus proprie habetur **voluntarius** et **liber**, quando voluntas, praevia rationis advertentia seu intellectuali cognitione objecti actus, se determinat ad agendum vel non agendum, aut ad agendum hoc vel ejus oppositum.

Resolvitur. Magna est differentia inter actum **hominis** et actum **humanum** : cum ad hunc requiratur, ut sit voluntarius et liber, non vero ad illum, cui sufficit quod ab homine fiat. Hinc ait Billuart post Sylvium : « *Omnes itaque actus humani sunt actus hominis, sed non e contra* ».

Q. 3. Quaenam igitur sint *principia* seu *elementa* actuum humanorum ?

R. Quoniam ad actum humanum requiritur, ut sit voluntarius et liber, voluntas autem cognitionem mentis praeviam necessario supponit, juxta axioma : « *nil volitum, nisi praecognitum* » ; hinc patet, tria esse *principia constitutiva* seu *elementa* actuum humanorum, scilicet : — *intellectum*,

qui cognoscit ; — *voluntatem*, quae appetit ; — et *libertatem*, quae eligit.

Explanatur. Et quidem 1°) **Intellectus** concurrit ad actus humanos, *movendo* voluntatem quoad actus *specificationem ;* i. e. determinando voluntatem ad actum certae speciei, puta amorem vel odium. Idque facit non quidem *physice*, seu *secundum modum causae efficientis ;* nihil enim efficienter movet voluntatem, nisi ipsa seipsam et Deus ; sed *moraliter* seu *secundum modum causae finalis*, i. e. ex S. Thom. (1. 2. q. 9, a. 1) : « *sicut praesentans ei objectum suum* », seu ut alibi loquitur : « *proponendo ei suum objectum, quod est finis* », et quo determinatur ad illud prosequendum vel fugiendum, prout tamquam bonum et appetibile, vel tamquam malum et repudiabile ab intellectu proponitur. Quam tamen intellectus apprehensionem non semper sequitur motus voluntatis conformis, sive acceptantis, sive repudiantis, juxta illud Poetae : « *Video meliora proboque ; deteriora sequor* ». — 2°) **Voluntas** vero concurrit, *movendo* intellectum et alias potentias sibi subditas *quoad exercitium*, i. e. applicando illas ad agendum vel non agendum, seu ad earum operationem, ut docet S. Thom. (1.2.q.16,a.1) : « *Voluntas movet potentias animae ad suos actus, et hoc est applicare eas ad operationem* ». Quare, deficiente voluntate, simplices intellectus apprehensiones seu primae nostrae cogitationes nondum sunt actus humani *in facto esse*, sed tantum *in fieri*. — 3°) **Libertas** tandem concurrit ad actus humanos, ut fundamentum seu conditio sine qua non *moralitatis :* quia actus *necessarii* non subjiciuntur regulis morum, nec ab iis sunt dirigibiles, sed soli actus *liberi*. — Hinc ait S. Thom. (in 2. d. 24, q. 3, a. 2) : « *Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur* ». Hinc quoque libertas impugnata fuit ab illis omnibus, qui ordinem moralem evertere sunt conati. — Interim, etsi diversa sit ratio *libertatis* et *moralitatis ;* quia tamen omnis actio moralis est humana, et vicissim omnis actio humana est moralis, ex eo quod non detur actio indifferens *subjective* seu *in individuo*, ut postea probabitur ; hinc fit, quod actio humana et moralis promiscue pro eadem sumatur. Et ideo quoque ait S. Thom. (1.2.q.1,a.3) : « *Idem sunt actus morales et actus humani* ». Non est tamen, ut dixi,

eadem utriusque ratio : dicitur enim *humana*, quatenus a libera voluntate procedit; dicitur *moralis*, quatenus est conformis vel difformis rectae rationi. — Cfr. Sylvius, — Wiggers, — Billuart.

Resolvitur 1. Quamvis voluntas, veluti regina, **dominium** habeat in alias potentias easque, juxta modo dicta, vel ad agendum movere, vel ab actu removere valeat; istud tamen dominium *multum est imminutum* per peccatum originale, quo totus Adam, docente Trid. Sess. V de pecc. orig. can. 1,) « *secundum corpus et animam in deterius commutatus fuit* ». — Amissa enim originali justitia, secundum quam, ut ait S. Thom. (1 P. q. 95, a. 1) : « *ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires et animae corpus* », subordinatio illa multum est debilitata; ex quo factum est, ut voluntas non omnibus potentiis praesit dominio *perfecto*, seu ut loquitur Arist. apud S. Thom. (1. 2. q. 17, a. 7) : « *principatu* despotico, *qui est domini ad servum* », cui proinde non resistitur; sed aliquibus praesit dominio solummodo *imperfecto*, seu « *principatu* politico *aut regali, qui est ad liberos* », cui quandoque non obtemperatur. — **Resol. 2.** Hinc voluntas movet dominio solum **politico** : — 1°) *Intellectum*, *memoriam* et *phantasiam* ; unde quandoque accidit ut, quantumcumque velimus, non tamen valeamus cogitare vel recordari quorumdam; vel e contra, ut cogitationes et imaginationes invita voluntate occurrant. — 2°) *Appetitum sensitivum*; et hinc est, quod ad motum voluntatis passiones aliquando exsurgant vel cessent, quandoque vero non. — **Resol. 3.** E contra voluntas movet dominio **despotico** : — 1°) *Seipsam*, cum sibi ipsi non resistat. — 2°) *Potentias locomotivas*, et hinc incedimus, stamus, movemus caput, linguam, manum, etc., quando volumus, dummodo tamen membra sint *sana* nullaque extrinsecus *violentia* intercedat. — Duo membra excipit S. Thom. (1. 2. q. 17, a. 9), scilicet : — a) *membrum genitale*, quod etsi subsit despotice voluntati, in quantum movetur ad motum totius corporis, tamen specialis illius motus non est totaliter in potestate voluntatis, quin ea renitente adesse possit : sive quia ad motum hujus membri requiritur aliqua alteratio, nempe caliditatis et frigiditatis, quae alteratio non subjacet dominio voluntatis; sive ut anima suae inobedientiae ad Deum in illo praecipue membro poenam patiatur, per quod peccatum originale ad posteros traducitur. — Excipitur b) *cor*,

cujus motus specialis, uti est plane naturalis, sic nec voluntatis dominio subjacet. — Cfr. Dens, — Billuart.

Q. 4. *Quotuplex* sit actus humanus?

R. Multiplex.

Explanatur. 1°) Ratione **modi** quo a voluntate procedit, est vel **elicitus,** si immediate fit a sola voluntate, ut amor, odium; vel **imperatus,** si mediante imperio seu motu voluntatis ponitur ab aliis potentiis, sive internis, ut actus fidei, meditatio, cogitatio; sive externis, ut deambulatio, locutio. — **2°)** Ratione **termini,** est vel **internus,** si nullo externo signo manifestatur, ut actus fidei internae; vel **externus,** si aliquo signo externo manifestatur, quamvis per accidens a nemine percipiatur. — **3°)** Ratione **moralitatis,** est vel **bonus,** vel **malus,** vel **indifferens,** prout rectae rationi vel est conformis, vel difformis, vel nullam cum recta ratione convenientiam aut repugnantiam habet. Actus bonus vel indifferens dicitur etiam *licitus;* actus vero malus *illicitus.* Thomistae autem, qui actus *subjective* seu *in individuo* indifferentes, de quo infra, non admittunt, eo ipso quemvis actum licitum etiam ut moraliter bonum habent. — **4°)** Ratione **principii** influentis, actus bonus vel est **naturalis** vel **supernaturalis,** prout solis naturae viribus vel gratiae auxilio producitur. *Supernaturalis* autem actus dicitur *meritorius* vel *de condigno* vel *de congruo,* prout ipsi retributio aliqua ex justitia vel ex mera decentia ac benignitate Dei rependitur. — **5°)** Ratione **effectus juridici,** est vel **validus** vel **invalidus,** prout omnibus conditionibus ad effectum proprium producendum essentialibus gaudet vel aliqua caret.

Scholion 1. Ex doctrina S. Thom. (1.2.q.8—17) **duodecim** numerantur **actus,** qui ad opus morale concurrere possunt, licet, quia subito fiunt et sibi succedunt, vix ab ipso operante percipiantur. — Sunt autem *sex* actus a voluntate *eliciti;* — tres circa finem, scilicet: simplex volitio, intentio et fruitio; et tres circa media, videlicet: consensus, electio et usus activus. — His sex voluntatis actibus respondent ex parte intellectus *quinque* actus dirigentes, et *unus* dumtaxat actus ex parte potentiarum executivarum. — Ex parte *intellectus* duo sunt circa finem; scilicet:

SIMPLEX APPREHENSIO et JUDICIUM ; tres circa media, nempe : CONSILIUM seu consultatio, JUDICIUM DISCRETIVUM mediorum et IMPERIUM. — Ex parte aliarum potentiarum, unus dumtaxat intercedit actus, qui USUS PASSIVUS nuncupatur.

Scholion 2. Horum omnium actuum ex S. TH. hic est **ordo** et **oeconomia.** — Primus actus est *simplex apprehensio*, qua intellectus aliquid ut bonum apprehendit et voluntati proponit, v. g. sanitatem corporis. — Huic actui respondit ex parte voluntatis *simplex volitio*, quae est nuda complacentia et appetitus inefficax boni propositi. Dicitur simplex volitio, quia est de fine secundum se et nondum cum ordine ad media quibus finis est comparandus, et ideo dicitur etiam appetitus inefficax boni seu finis, quia nihil adhuc appetit respectu mediorum. Vocatur etiam *amor* simplex, cui opponitur *odium*, quo malum aliquod secundum se spectatum simpliciter aversamur. — Haec tamen simplex volitio, si sit fortis, intellectum movet ad examinandum, utrum istud bonum sit conveniens et acquisibile, et tunc fit secundus actus intellectus qui nuncupatur *judicium*, proponens voluntati objectum ut conveniens et acquisitu possibile. — Illi judicio correspondet ex parte voluntatis *intentio*, quae est actus secundus voluntatis circa finem, quo scilicet vult finem non tantum ut convenientem, sed etiam ut per media acquisibilem. — His quatuor actibus positis circa finem, vi intentionis movetur intellectus et applicatur ad inquirenda media fini obtinendo congrua, et fit tertius actus intellectus (primus circa media) qui *consilium* nuncupatur seu consultatio de mediis. — Huic respondet ex parte voluntatis *consensus*, quo utilitatem mediorum approbat et appetit. — Vi hujus consensus applicatur intellectus ad discernendum quae sint media aptiora, et est quartus actus intellectus, qui dicitur *judicium discretivum* mediorum, — cui respondet ex parte voluntatis *electio* qua voluntas unum medium prae alio seligit, v. g. deambulationem ad sanitatem obtinendam. — Tunc vi electionis applicatur intellectus ad exsecutionem mediorum intimandam et imperandam potentiis inferioribus exsecutricibus, et hic est quintus et ultimus actus intellectus qui vocatur *imperium*, ut si intellectus intimat et imperat ambulationem ; — cui imperio ex parte voluntatis respondet potentiarum exsecutivarum applicatio, quae *usus activus* nuncupa-

tur, ut si voluntas, volendo hic et nunc deambulare, applicat potentiam locomotivam ad exercitium. — Huic applicationi activae respondet ex parte potentiarum voluntati subditarum *usus passivus* seu ipsa mediorum exsecutio, v. g. ipsa actualis deambulatio ex parte potentiae locomotivae, vi cujus exsecutionis, finis v. g. sanitas acquiritur, — cui tandem ex parte voluntatis succedit *fruitio*, quae est jucunda quies in fine possesso. — Cfr. Puig et Xarrié, Ord. Praed. in Hispania olim TT. (*Inst. Theol.* t. 3, pag. 51 seq.), quod opus satis commendari nequit; — Billuart.

CAP. II. — De voluntario, quod requiritur ad constitutionem actus humani. Ubi de ejus quidditate, variis divisionibus et signanter de voluntario indirecto.

Q. 5. Quid 1°) proprie sit *voluntarium*; — et 2°) *quaenam* ad illud *concurrant?*

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (1. 2. q. 6, a. 1 seq.) voluntarium *proprie* seu *stricte* dictum, prout scilicet « *soli rationali naturae competit* », definiri potest : *Quod est a principio intrinseco cum cognitione finis, formaliter ut finis.*

Explanatur. Dicitur **1°) quod est** : i. e. quod procedit; sive a voluntate procedat *immediate* seu *elicitive;* sive *mediate* seu *imperative;* sive *positive*, vel *privative;* sive *directe* vel *indirecte*, ita ut comprehendatur non solum *actus*, non solum *omissio* actus, sed et *effectus* ex alterutro procedens. Qui enim vult causam, censetur velle effectum, qui ex illa secuturus praevidetur; unde axioma : « *Qui est causa causae, est causa causati.* » — Dicitur **2°) a principio intrinseco** : i. e. a potentia appetitiva seu voluntate ipsi agenti intrinseca, si non *physice*, saltem *moraliter*. Et ita peccatum originale, esto non sit a principio intrinseco *physice*, est tamen a principio intrinseco *moraliter*, quatenus voluntas nostra continebatur in voluntate capitis, quae ex positiva Dei institutione sustinebat personam omnium. Ordinaverat scilicet Deus, ut Adam, qui erat caput nostrum secundum naturam, etiam esset caput nostrum morale, quantum ad conservationem vel amissionem justitiae ori-

ginalis ; ita ut voluntates posterorum, qui ab ipso seminaliter erant nascituri, essent constitutae in voluntate Adami, quae reputabatur voluntas omnium, quantum scilicet ad praeceptum de non comedendo fructu vetito. Rem elucidat S. Thom. (1. 2. q. 51, a. 1 in c.) ; item quaest. 4 *de Malo*, a. 1). — Dicitur 3° **cum cognitione finis, formaliter ut finis.** Unde non sufficit cognitio *materialis*, quae ex S. Thom. « *in sola finis apprehensione consistit* », qualis reperitur in infantibus, amentibus, imo et « *in brutis animalibus per sensum et aestimationem naturalem* » agentibus ; sed requiritur cognitio *formalis*, qua finis cognoscitur ut finis est, videlicet : « *quando non solum apprehenditur res quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio* seu dignitas *finis et proportio ejus quod ordinatur ad finem*, i. e. proportio mediorum ad finem. *Et talis cognitio finis*, cum sit collativa et discursiva, *competit soli rationali creaturae* ». — Finis autem hic sumitur pro termino voluntatis *in concreto*, adeoque pro objecto cum fine et omnibus aliis suis circumstantiis, pertinentibus ad substantiam actus et rationem sub qua dicitur voluntarius. Unde Arist. (3 Ethic. c. 1) voluntarium definivit : « *Cujus principium est in ipso agente, sciente singula in quibus est actio* ». — Cfr. pro voluntario *peccati originalis* : praeter S. Thom. (ll. cc.), Bill. et Dens (ibid.).

R. Ad 2um Duo itaque ad voluntarium *proprie* dictum seu *rationale* concurrunt : — 1° principium intrinsecum : i. e. *vis* seu *influxus voluntatis* ; — 2° cognitio finis, formaliter ut finis : i. e. *mentis* seu *intellectualis* cognitio.

Resolvitur. 1°) Voluntarium *stricte* sumptum describi potest : — *Quod procedit a voluntate illuminata ab intellectuali cognitione singulorum, nempe objecti, finis et circumstantiarum, pertinentium ad actum.* — **Resol. 2°** Actiones quae fiunt ex principio tantum *extrinseco*, ut sunt quae vi et coacte fiunt, non dicuntur voluntariae. — **Resol. 3°)** Si furtum ab alio fieri desideras, desiderium hoc est tibi voluntarium et imputabile ad culpam ; non item furtum, si nec physice nec moraliter in illud influas. — **Resol. 4°** Potest aliquid esse voluntarium sub una ratione, non sub altera : v. g. homicidium *clerici* potest esse voluntarium in ratione homicidii,

non tamen voluntarium in ratione talis homicidii ; quia potest hic et nunc haberi cognitio hominis, quae sufficit ad homicidium, et tamen ignorari inculpabiliter qualitas personae, cujus cognitio requiritur ad contrahendum malitiam sacrilegii. Quo casu incurritur irregularitas non vero excommunicatio. Hinc quoque accedens ad mulierem quam nescit esse nuptam, non est adulter sed simplex fornicator, cum involuntarie se habeat quoad circumstantiam matrimonii quam ignorat. Similiter filius occidens patrem, quem invincibiliter putat esse feram, non peccat ; si sciat esse hominem, at ignoret esse patrem, dumtaxat homicidii ; si vero patrem esse sciat, etiam parricidii reus est. — **Resol. 5°)** Dormientium et semi-dormientium actiones vel simpliciter sunt involuntariae, vel nonnisi semi-voluntariae, prout vel nulla vel semi-plena in iis advertentia est. — Cfr. Theol. Wirceb. ; — Sasserath ; — S. Lig.

Q. 6. Quomodo *voluntarium* differat a *violento*, *volito*, *naturali* et *spontaneo?*

R. Differt in sequentibus.

Explanatur. Differt : **1°)** a **violento,** cujus principium est ab extrinseco, renitente subjecto ; — **2°)** a **volito,** quod non procedit ab aliquo influxu voluntatis, sed est ejus objectum et terminus externe denominatus a volitione, ut pluvia est volita ab agricola, non ipsi voluntaria ; sic mors inimico meo illata potest esse a me volita ; non est tamen mihi voluntaria, nisi vel physice ad illam concurram, vel moraliter, v. g. suadendo ; — **3°)** a **naturali,** quod est quidem ab intra, sed sine ulla cognitione, ut patet in motibus vegetativis et in motu gravium et levium in centrum ; — **4°)** a **spontaneo,** quod licet sit a principio intrinseco, per se tamen non subaudit nisi cognitionem mere sensilem, ut in brutis ; aut nisi cognitionem mere materialem, ut in infantibus, amentibus, penitus distractis.

Nota. *Spontaneum* quandoque sumitur ut genus, cujus voluntarium *rationale* seu *stricte* dictum, supra definitium, est altissima species. Juxta hunc loquendi modum, *spontaneum* dicitur : quod est a principio intrinseco cum cognitione finis, sive formali, sive

materiali, et praecise opponitur *coacto*. Et hoc sensu dici potest : *omne voluntarium est spontaneum, at non vice versa.*

Q. 7. *Quotuplex* sit *voluntarium?*
R. Multiplex distinguitur.

Explanatur. 1°. Ex S. Th. (1.2.q.81) aliud est tale *voluntate* **propria**, quod a propria operantis voluntate procedit ; — aliud *voluntate* **aliena**, quod ab alterius quidem voluntate procedit, nostrae tamen imputatur, eo quod in alterius voluntate sit contenta, sive ob subordinationem vel subjectionem ; sive ob pactum legitimi superioris vel partium inter se. Sic peccatum Adami fuit nobis voluntarium ; sic in multis voluntas patris censetur voluntas filii impuberis ; sic actus tutorum censentur voluntarii pupillis, quia horum voluntas est per leges translata in voluntatem tutorum ; sic actus procuratoris sunt voluntarii procurationem danti in ordine ad certa negotia. — **2°)** Aliud est **necessarium**, quod procedit a voluntate determinata ad unum sine potentia ad oppositum, ut amor felicitatis in genere, amor beatorum in patria ; — et aliud **liberum**, quod procedit a voluntate cum indifferentia ad oppositum, uti est peccatum. — **3°)** Aliud est **positivum**, estque actus positivus a voluntate vel elicitus vel imperatus ; — aliud **negativum** seu **privativum**, et est omissio libera alicujus actionis. — **4°.** Aliud est **perfectum**, quod procedit ex plena advertentia intellectus et ex pleno consensu voluntatis, uti est peccatum mortale ; — et aliud **imperfectum** seu **semivoluntarium**, quod ex semiplena advertentia vel semipleno consensu, uti sunt actus secondo-primi. — **5°)** Aliud est **directum**, quod intenditur in seipso, ut si sciens volens ambules, occidas, aut Missae omissionem in se intendas ; — aliud **indirectum** seu **in causa**, quod non intenditur in se, sed ex alio directe volito veluti effectus ex causa secuturum, saltem in confuso, praevidetur. Sic rixae sunt voluntariae in causa illi qui se deliberate inebriat, sciens se in ebrietate passim rixari, licet aliunde rixas in se detestetur. — **6°)** Aliud est **actuale**, quod hic et nunc elicitur vel imperatur a voluntate, uti est contritio in eo qui actu poenitet ; — aliud **virtuale**, quod fit dependenter ab actu voluntatis physice quidem praeterito, sed non retractato, et etiamnum perma-

nente in aliquo suo effectu vel determinatione, uti absolutio a confessario distracto impertita ; — aliud **habituale**, quod nec in se nec in suo effectu perseverat, necdum tamen est revocatum ; quo sensu principi etiam dormienti voluntaria est pugna quam vigilans militibus indixit, si mandatum non retractaverit ; — aliud **interpretativum** vel **praesumptum**, quod non est vere voluntarium, siquidem nec exsistit nec unquam exstitit, sed praesumitur adfore, si de eo cogitaretur ; aliquando honestat actum, dum de sola liceitate agitur : sic saepe subditus honeste agit, dum judicat approbaturum esse superiorem. si sciret, etsi revera approbaturus non sit ; saepe non honestat actionem, praesertim, dum de valore actus agitur : quia tunc requiritur, ut alterius voluntas aut exsistat revera, aut exstiterit et revocata non sit ; sic non potes aliquem absolvere sacramentaliter, si confidas superiorem in jurisdictionem consensurum, si peteres : quia requiritur jurisdictio actualiter habita. — 7°) Aliud est **expressum**, quod distinctis verbis vel signis aequivalentibus significatur ; — et aliud **tacitum**, quod expresse non declaratur, sed ex facto aliquo vel facti omissione, consideratis circumstantiis, prudenter colligitur, juxta regulam juris 43 in 6 : « *Qui tacet, consentire videtur* ». Sic tacens consentire censetur : — A) si agatur de ejus favore et commodo, non si de gravamine, incommodo et praejudicio ; — B) ubi alioquin intercedat obligatio aliqua aut necessitas contradicendi et expedita ad id facultas ; — C) in plurium comparatione, videlicet : si quis ex duobus sibi objectis unum neget et ad alterum taceat, hoc censetur fateri ; e contra, si unum affirmet, de altero taceat, hoc negare censetur ; — D) si juris dispositione taciturnitas habeatur pro consensu, et ita filius vel filia praesens et tacens obligatur sponsalibus per parentes contractis. — Quia tamen haec omnia vera tantum sunt secundum praesumptionem, taciturnitas siquidem de se nec assensum nec dissensum significat, ut traditur in regula 44 in 6 : « *Qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur* » ; ideo, ut addidi, *prudenter considerandae sunt omnes circumstantiae*, quae tales esse possunt, ut vim istius praesumptionis elidant.

Resolvitur 1. Dixi : voluntarium **negativum** seu **privativum** esse omissionem *liberam* alicujus actionis. — Quare ut

omissio alicujus sit *voluntaria*, requiritur potestas ponendi actum qui omittitur. Non enim omissio est a voluntate, ut a causa *physica*, per influxum positivum, sed ut a causa *morali* per influxum privativum, consistentem in eo, quod non agat, cum pro sua libertate possit agere. Unde eadem sunt omissio voluntaria et omissio libera : quamvis enim voluntarium latius pateat quam liberum, cum dentur actus voluntatis necessarii, in omissione tamen ea convertuntur, cum omnis omissio voluntaria sit libera, et omnis libera sit voluntaria. Hinc **colligitur** : — **1°** Externam omissionem necessariam, ut si quis in carcere vel aliter impediatur ab audiendo Sacro, non esse voluntariam, licet se peccare arbitretur; imo quantumvis talis apud se dicat, nolo audire sacrum, — non audirem, etiamsi possem, etc. : quia nempe actus omissus non est in ejus potestate. Peccaret quidem iste ex pravo affectu non audiendi Sacrum, sed non formaliter peccato *omissionis*, quae non est illi voluntaria, sed peccato *commissionis*, in quantum pravos illos affectus positive eliceret. — **2°** Si quae censura aut alia poena sit imposita quidpiam omittentibus, non incurritur ab illo qui potestatem non habet illud ponendi : quia illud non omittit voluntarie. — **3°** Non dari omissiones voluntarias in amentibus, pueris rationis usu carentibus, dormientibus, ebriis, etc.; quia in iis non est libertas. In duobus tamen postremis, quamvis ejusmodi omissiones non sint in se formaliter voluntariae, defectu libertatis, saepe tamen sunt voluntariae in causa et illis imputantur. — **4°** Ut omissio alicujus sit *voluntaria*, non requiritur *obligatio* ponendi actum, bene vero, ut sit *culpabilis*. — Ratio 1^mi^ est : quia ad voluntarium non plus requiritur, quam quod sit suo modo a voluntate cum cognitione; sed hoc totum habetur in omissione, seclusa obligatione ponendi actum, cum sit altera pars exercitii libertatis. Deinde quis dicet, me non tam voluntarie omittere Missam die feriali, quam festo? — Ratio 2^di^ est : quia culpa oritur ex transgressione legis; ergo ut omissio sit culpabilis, requiritur lex et obligatio ad ponendum oppositum. — Cfr. Taberna (*Synopsis theol. pract.* tom. I.); — Bill.; — Sass.

Resolvitur 2. Cum S. Thom. (1.2.q.6, a.3; et q.71, a.5) nequit dari voluntarium **positivum** sine omni actu voluntatis. Patet ex ejus definitione, cum a voluntate per realem influxum procedat.

— E contra dari potest voluntarium **negativum** seu **privativum** absque omni actu voluntatis, qui sit de *essentiali ejus constitutivo*, ut omissio missae in eo qui, advertens ad instantem ejus celebrationem, studio se libere accingit, absque eo quod actum positivum eliciat nolendi audire missam. — Nequit tamen dari voluntarium **negativum** seu **privativum** seu omissionem voluntariam in individuo et a parte rei absque aliquo actu voluntatis, *qui sit causa vel occasio illius*, ita ut actus requiratur non ex parte operis, sed ex parte operantis. Ratio est : quia quicumque voluntarie omittit aliquem actum, v. g. auditionem missae omittit, dum tempus est audiendi, — vel omissionem intendit in se : et tunc omissio est *directe* voluntaria ; — vel illam non intendit in se, sed in alio ex quo sequi praevidetur : et erit *indirecte* voluntaria, ut si faciat aut fecerit aliquem actum cum auditione missae incompossibilem, sicut, ut ait S. Thom. (Q. 2. de malo) : « *cum aliquis vult ludere, sciens, quod ad hoc concomitatur non ire ad Ecclesiam.* »

Resolvitur 3. Ex S. Thom. (1.2.q.77,a.7) « *aliquid potest esse voluntarium : — vel* SECUNDUM SE, [i. e. **directe,**] *sicut quando voluntas directe in ipsum fertur ;* ut si deliberate odisti inimicum, vel vis occidere, vel occidi imperas, vel volenti occidere positive consentis, vel auditionem Sacri vis positive omittere, etc. ; — *vel* SECUNDUM CAUSAM, [i. e. **indirecte,** seu **in causa,**] *quando voluntas fertur in causam et non in effectum, ut patet in eo qui voluntarie inebriatur ; ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur quod per ebrietatem committit,* » si fuerit praevisum, saltem in confuso. — Et quoniam causa est duplex : *positiva* et *negativa*, ita et voluntarium *indirectum* seu *in causa* duplex distinguitur. — Itaque voluntarium in causa **positiva** est : quod ex actione aliqua posita sequi praevidetur, v. g. motus turpis ex colloquio obscaeno. Voluntarium in causa **negativa** est : quod sequi praevidetur ex omissione actionis *debitae*, i. e. ex S. Thom. (1.2.q.6,a.3 ; et 2.2.q.79, a.3) cum quis *potest* et *debet agere* et tamen *non agit ;* ut est error in officio confessarii admissus ex omissione debiti studii vel debitae circumspectionis.

Hinc, ut recte docet Billuart, « *effectus consequens seu concomitans omissionem*, i. e. secutus ex omissione, *non est voluntarius*

absque obligatione illum impediendi, nisi forte omissio per modum medii ad hunc effectum ordinaretur. » — Ratio est : quia nulla assignari potest ratio, cur in voluntatem tanquam in causam refundatur effectus omissionis sine tali obligatione, cum simplex negatio in actionem non influat. — Dixi : *nisi forte omissio* etc.; quia tunc manifestum est, quod talis effectus esset directe intentus et volitus, consequenter positive et directe voluntarius : ut si quis eo fine ut patiatur frigus mortificationis causa, omittat accedere ad ignem ; frigus est ipsi directe voluntarium, quia per se intentum et volitum.

Ex quibus omnibus **colligitur** : — 1°, Deus omittit voluntarie impedire peccata hominum, et tamen peccata non sunt illi voluntaria : quia non tenetur illa impedire. — 2°) Submersio navis, quae sequitur ex voluntaria omissione gubernationis, est voluntaria navarcho, qui tenebatur, navim gubernando, illam impedire ; non aliis, qui ad id non obligabantur. — 3°) Furtum, te vidente, commissum, sed quod non tenebaris impedire neque ex justitia, neque ex charitate, quia non poteras sine gravi tuo incommodo, non est tibi voluntarium. — Cfr. Bill.; — Taber.; — Sass. — Multi alii casus circa voluntarium *indirectum* afferri possent, qui suis locis discutientur, praesertim, ubi *de cooperatione, de scandalo, de justitia, de sexto*, etc., sermo erit.

Resolvitur 4. Voluntarium **actuale** duplici modo contingere potest. Potest enim aliquid procedere a voluntate actualiter influente : — vel A **explicite** seu **in actu signato,** dum scilicet per reflexionem quasi signatur, ut si agens expresse reflectit se hoc vel illud velle aut agere, dicendo corde vel ore : volo hoc facere, v. g. consecrare ; — vel B) **implicite** seu **in actu exercito,** dum ex ipso opere exhibetur, ut si quis advertens quid agat, velit illud agere, licet super actionem suam seu agendi voluntatem expresse non reflectat. Et ita sacerdos consecraturus, qui sine reflexione super actum suum, nihilominus attente profert verba consecrationis, vult consecrare in actu exercito. — De quo latius egi in opere : *Principia dogm. mor. univ. theol. sacram.* (Pag. 396.)

Resolvitur 5. Supra allatae *voluntarii* **divisiones** quandoque aliter ab aliis explicantur. Ad quod sedulo est attendendum. — Sic voluntarium *indirectum* seu *in causa* non raro apud DD. *inter-*

pretativum nuncupatur. — Similiter *habituale* quandoque sumitur pro *virtuali*. Quod ostendi in eodem opere. (Pag. 394 seq.) — Praeterea voluntarium *positivum* et *negativum* seu *privativum* a S. Thom. (1.2.q.6,a.3 in c.) vocatur *directum* et *indirectum*. Ad quod cum aliqui non attenderint, hinc factum est, ut divisionem voluntarii in *positivum* et *negativum* silentio praeteriverint, quae tamen ab antiquis TT. religiosissime fuit servata, et merito quidem : cum haec divisio maxime necessaria sit ad quaestionem de voluntario *directo* et *indirecto* non intricandam, sed simplificandam riteque exponendam. — Denique veterum vestigiis inhaerendo, ex industria non memoravimus divisionem voluntarii in *voluntarium simpliciter*, et *voluntarium secundum quid* : quia, fatente Lehmk. post Ballerini, haec divisio potius *involuntarii* distinctio est.

Q. 8. Quaenam *requirantur*, ut voluntarium *indirectum* imputetur *ad culpam?*

R. Ex S. Alph. *(Hom. Apost.)* duo requiruntur : — « Primo requiritur : ut *praevideatur effectus* ; — secundo : ut agens *teneatur impedire effectum* : nam cum non tenetur impedire illum et non intenditur, non peccat causam honestam apponendo, licet praevideat effectum de se illicitum. » — Hinc defectu *prioris* conditionis, non peccat ille qui, ignorans vim vini et bibens ad satietatem, inebriatur, ut accidit Noë. In foro tamen *externo*, cum animus inspici a judice non potest, quae communiter contingunt, ea praevisa censentur. — Defectu *posterioris* conditionis, non peccat confessarius, dum occasione confessionis motus inordinatos invitus patitur, nec imputatur pollutio, quae oritur ex equitatione, vel cibo et potu moderato, si desit consensus in ea.

Explanatur. Ratio **primi** requisiti est : quia ad culpam requiritur voluntarium ; voluntarium autem est essentialiter ex cognitione praevia, juxta axioma : « *nil volitum, nisi praecognitum.* » — Interim non requiritur cognitio **distincta**, quae ex S. Thom. (P.1,q.85,a.3 ad 3) tunc habetur cum « *sciamus distinguere omnia quae sunt de alicujus ratione ;* » sed sufficit **confusa**, qua res cognoscitur *modo involuto*, ut loquuntur Philosophi, i. e. non apprehendendo omnia ex quibus formaliter — actualiter consti-

tuitur. — Oportet itaque ut agens *saltem in confuso* adverterit, hunc effectum certo vel probabiliter ex causa secuturum, vel de proximo ejus periculo cogitationem aut dubium aliquod habuerit, sed advertenter illa neglexerit ; non autem sufficit, ut tradunt aliqui, quod agens praevidere *potuerit et debuerit*, seu, aliis verbis, non sufficit advertentia *interpretativa*. — Hinc **colligitur** : — **1°**) Merito imputatur Davidi scandalum ex ejus peccato profectum, cum utique sciret omnium oculos in regem esse conjectos. — **2°** Actus, qui procedunt ex ebrietate, si sint *ordinarii*, utpote qui frequenter accidunt, imputantur ad culpam : quia praevidentur, saltem in confuso. Si sint *extraordinarii*, uti sunt qui raro contingunt, non imputantur, quia non sunt praevisi. Et hac de causa S. Aug. (l. 22, c. 24, contr. Faust.) excusat Loth ab incestu quem ebrius admisit.

Ratio **secundi** requisiti est manifesta ex Apost. (Rom. XIV, 15) : « *Ubi enim non est lex, nec praevaricatio.* »

Resolvitur. Communiter DD. et ipse S. Lig., in sua *Theol. Mor.*, addunt **tertiam conditionem**, nempe : quod agens *possit* impedire talem effectum, causam tollendo. — Sed haec conditio satis includitur in *secunda*, cum nulla unquam de *impossibili* detur obligatio. — Hinc non est reus sacrilegii sacerdos, qui communionem occulto peccatori publice eam petenti porrigit : non enim tenetur impedire sacrilegium quod committitur, cum non possit in talibus circumstantiis causam illius non ponere.

Q. 9. Quando quis non *teneatur* effectum *impedire?*

R. Quando adest causa *necessaria*, vel *utilis*, vel *honesta* ponendi opus vel omittendi obligationem, et deest consensus in effectu, vel prudens consensus periculum. — Huc pertinet **axioma** : « *Licet ponere causam bonam aut indifferentem, ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, si adsit ratio* seu causa excusans *proportionate gravis, et finis agentis sit honestus.* »

Explanatur. Dixi **1°**) **ponendi opus vel omittendi obligationem** : quia responsio procedit de voluntario *indirecto* seu *in causa*, sive sit in causa *positiva*, sive in causa *negativa*, juxta

explicata (pag. 14 Res. 3). — Dixi 2°) **et deest** etc. : quia secus effectus esset voluntarius *directe*.

Resolvitur. 1°) « Hinc, etiam praevisa pollutione involuntaria, licet parochis et etiam aliis confessariis audire confessiones mulierum ac legere tractatus de rebus turpibus ; chirurgis aspicere et tangere partes foeminae aegrotantis ac studere rebus medicis ; licet quoque aliis alloqui, osculari aut amplexari mulieres juxta morem patriae, servire in balneis et similia. » Ita S. Alph. (lib. III, n. 485). « Ratio, ait, quia tunc homo potius *patitur*, quam agit, dum pollutio non ex sua malitia, sed ex infirmitate naturae procedit. » — **Resol. 2°)** Non peccat, qui urgente necessitate pecuniam, quam aliunde habere non potest, petit mutuo ab eo, quem praevidet non daturum, nisi sub usura. Nec peccat, qui petit sacramenta a ministro sacrilego, dum urget necessitas, et deest alius. (Sasserath.) — **Resol. 3°)** Mulier pulchra aut decenter ornata non tenetur se perpetuo continere domi, ne ejus aspectu peccent aspicientes ; sed potest uti jure quod habet exeundi, sive ad ecclesiam, sive ad alias causas utiles aut honestas ; si tamen occurrat casus particularis in quo nullatenus indiget exire, et praevidet inde aliquem lapsurum, tenetur ex charitate dimittere hanc particularem egressionem, sibi tunc omnino inutilem. (Billuart.) — **Resol. 4°)** Cum Princeps vel Magistratus non impedit quaedam peccata, quae impedire posset ; sed ob causas rationales non expedit, quod impediat, voluntarie quidem omittit impedire ; illa tamen peccata non possunt in eum sicut in causam referri vel ei imputari, quia *impedire non tenetur*. Quando autem non solum potest, sed etiam tenetur ea impedire, nec tamen impedit, recte ipsi imputantur ; quia est eorum causa voluntaria. Ait enim D. Thom. (2. 2. q. 79, a. 3) : « *quod omissio* [culpabilis] *importat praetermissionem boni, non tamen cujuscumque, sed boni* debiti. » Ita docti TT. Puig et Xarrié.

Nota. Praefatum TT. **axioma,** quoad substantiam, desumptum est ex S. Thom. (2. 2. q. 64, a. 7) ubi dicit : « *Nihil impedit unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem.* » — Ut autem axioma verum sit, *quatuor* omnino requiruntur conditiones : **1°)** Ut causa sit **honesta,** bona scilicet vel saltem indifferens, adeoque non sit per se mala. Nam, ut dicit Apost. (Rom. III, 5) : « *Non faciamus mala,*

ut veniant bona. » Hinc neque pro tuenda vita propria vel aliena fas est mentiri. — **2°** Ut bonus effectus aeque **immediate** sequatur ex causa, sicut malus. Si enim nonnisi mediante effectu malo bonus effectus proveniret, jam bonum ex malo quaereretur, quod in citatis verbis vetat Apostolus. Hinc graviter peccat puella gravida quae, ne infamiam incurrat, pharmacum sumit ad foetum expellendum. — **3°** Ut effectus malus non intendatur, nec approbetur, sed **mere permittatur** : secus esset agenti directe voluntarius. Quare necesse est, ut non adsit periculum, sive intendendi effectum pravum, quando ejus causa ponitur, sive in ipsum consentiendi, cum postea producitur. — **4°** Ut adsit **ratio proportionate gravis** ponendi causam seu permittendi effectum malum : quia aequitas naturalis dictat vitandum esse effectum malum, si absque incommodo possit. — Dicitur : *proportionate gravis*. Unde ratio seu causa excusans debet esse major, quo pejor est effectus, quia eo magis est vitandus; ergo ratio cur non vitetur, praeponderare debet. — Hinc ratio seu causa excusans major requiritur : — 1°) Si effectus conjungatur cum *damno* tertii : quia charitas jubet nos non solum non causare malum proximo, sed etiam, in quantum commode possumus, illud impedire. — 2°) Si sequatur *certo* vel *proxime*, vel *sine alterius libertate*. — Minor esse potest : — 1°) Si sequatur ex *arbitrio alterius;* — 2°) si *remote*, si *probabiliter* tantum.

Ex quibus omnibus **colligitur** : — A) Non est necessario omittenda *justa* defensio, ex qua proxime sequitur mors injusti invasoris. — Contra merito damnata fuit ab Innoc. XI sequens propositio sub n. 31 : « *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* » — B) Causa proxime producens malum effectum, ut est aspicere aut tangere partes corporis inhonestas, licite non ponitur, nisi titulo sufficientis necessitatis honestetur, ut potest esse in medico. — Contra non teneris abstinere a colloquio honesto et utili propter motus inde exsurgentes, modo tibi displiceant et non detur periculum consensus. — C) Major requiritur ratio ad ponendam causam ex qua times scandalum *pusillorum*, i. e. proveniens ex infirmitate vel ignorantia, quam si praevideas scandalum *pharisaicum*, quod oritur ex mera malitia accipientis.

Q. 10. Quo *tempore* contrahatur *malitia* effectus in *causa* dumtaxat voluntarii?

Praenotandum. Quaestio procedit non de effectu, qui eo tempore contingit quo ponens causam ratione utitur, neque illum impedit cum impedire posset; sed de effectu, qui eo tempore contingit, quo ponens causam jam non est sui compos, aut saltem effectum amplius impedire nequit, ut dum quis ex ebrietate Sacrum omittit aut pollutionem in somno patitur, vel dum quis incendium a se indirecte causatum amplius impedire non valet.

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Juxta sententiam, quam communiter tenent DD. cum Sanch., Vasquez, Mazzotta, aliis, malitia contrahitur **unico** tempore, eo scilicet momento quo causa voluntarie et libere ponitur, vel voluntas illam ponendi adest : quia tunc voluntas indirecte vult omnia quae ex illa causa praevidentur secutura; non amplius vero, quando effectus actu sequitur. Hinc qui vespere decumbens voluntarie vacat turpibus cogitationibus, praevidens vel expertus jam sciens secuturam in somno pollutionem, tunc quidem peccat peccato impudicitiae; non amplius autem quando dormienti turpitudo contingit, cum tunc non sit liber. — Juxta Bill., Collet, Gonet, Salm., alios, malitia **duplici** in tempore contrahitur : *inchoative* et *quoad affectum*, quando ponitur causa; *consummative* et *quoad effectum*, quando effectus revera contingit, adeoque et hunc esse peccatum *in se*, quamvis non *a se*. — Quidquid sit, constat hujusmodi effectum in se non afferre novam malitiam, ut rite notat Suar. (l. 3. de jur. c. 7, n. 7.) — De quaestione vero, utrum necessarium sit in confessione explicare, an effectus secutus sit nec ne, agitur in tractatu de *poenitentia*.

CAP. III. — De libero, quod ad actum humanum requiritur. — Ubi de ejus quidditate, variis divisionibus et signanter de libertate indifferentiae.

Q. 11. Quid 1°) sit *libertas* in genere; — 2°) *quotuplex* distinguatur; — 3°) quid sit libertas *a coactione* seu *spontaneitatis?*

R. Ad 1um) Libertas *generatim* est exemptio seu immunitas a servitute et subjectione.

R. Ad 2um) Totuplex distinguitur libertas, quotuplex datur servitus et subjectio cui opponitur. — In ordine ad actus humanos, *duplex* praesertim distinguitur libertas : — una *a coactione*, — altera *a necessitate*, quae proprie est libertas.

R. Ad 3um Libertas *a coactione*, quae etiam vocatur *spontaneitatis*, est immunitas ab omni violentia externa. Hac ratione liberi dici possunt omnes actus *eliciti* a voluntate, quantumvis *necessarii* : quoad hos enim non potest cogi voluntas. Hac libertate beatus amat Deum in patria, et beatitudinem in via. Hac quoque ratione quandoque a SS. PP. Deus dicitur seipsum libere amare, libere generare Filium et producere Spiritum Sanctum.

Resolvitur. 1°) Itaque *liberi a coactione* censentur, qui in operibus suis sponte procedunt, i. e. extrinsece non patiuntur violentiam seu coactionem, etsi determinentur necessario ad agendum. — **Resol. 2°**. Omne voluntarium dici potest liberum libertate *a coactione*, sed non potest dici liberum libertate *a necessitate*, quae proprie est libertas. Unde voluntarium est magis commune respectu liberi proprie dicti ; et hinc merito damnata est propositio Baji 39 : « *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* »

Q. 12. Quid 1°) sit libertas *a necessitate* ; — 2°) *quotupliciter* distinguatur ; — 3°) quaenam ad *essentiam* liberi arbitrii pertineat ?

R. Ad 1um) Est immunitas ab omni violentia non solum externa sed etiam interna, i. e. a naturali inclinatione et determinatione ad unum sine potentia ad oppositum. Unde sunt liberi *a necessitate*, qui non solum sponte agunt, verum etiam nulla constringuntur intrinseca necessitate ad agendum.

R. Ad 2um) Libertas *a necessitate*, quae etiam vocatur libertas *indifferentiae* seu *electionis*, et in qua situm est *liberum arbitrium*, DUPLICITER distinguitur. Est enim : — vel 1°) *contradictionis* seu *exercitii* ; — vel 2°) *specificationis*. — Libertas *contradictionis* est facultas agendi vel

non agendi; seu, aliis verbis : facultas eligendi inter duo contradictoria, ut sunt velle et non velle, agere et non agere, amare vel non amare. Ideo etiam dicitur libertas *exercitii*, quia per eam homo potest actum exercere aut non. — Libertas *specificationis* est facultas eligendi inter specifice diversa, et haec iterum *dupliciter* subdistinguitur. — Si enim eligere potest quae tantum sunt disparata, ut sunt ambulare vel studere, furari vel mentiri, adest libertas *disparitatis*, quae *proprie* vocatur libertas *specificationis*. — Si vero eligere potest quae sibi invicem contrarie opponuntur, ut sunt amare et odio habere, stare et sedere, tunc proprie est libertas *contrarietatis*.

R. Ad 3um) In libertate *contradictionis* habetur *essentia* liberi arbitrii, dicente S. Thom. (in 2. dist. 25, q. 1. a. 1) : « *Ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit.* » — In libertate *disparitatis* habetur *usus* seu *exercitium* libertatis, sive, juxta alios, ejusdem *perfectio*; usus autem rei seu perfectio non est de illius essentia : haec enim ad usum seu perfectionem supponitur. — Tandem in libertate *contrarietatis*, qua eligi potest *bonum* aut *malum*, sive physicum sive morale, habetur *abusus* seu *defectus*. Unde peccandi potentia etiam non pertinet ad essentiam libertatis, sed potius ad ejus imperfectionem, dicente S. Thom. (1 P. q. 62, a. 8 ad 3) : « *Peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis.* » Et alibi (de verit. q. 22, a. 6) : « *Velle malum nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum*, » sicut aegritudo v. g. est signum et defectus vitae. — Nec obstat quod SS. LL. et SS. PP. exprimant libertatem per potentiam peccandi : nam agunt de libertate prout est in nobis *viatoribus*, qui libertatem peccandi habemus.

Nota 1. Circa libertatem *indifferentiae* seu *liberum arbitrium* **erraverunt** alii : *indirecte*, uti Pantheistae, Dualistae, Sensistae, Positivistae aliique Materialistae; alii vero *directe*, et hos inter, — alii *per excessum*, libertatem plus aequo extollentes; — alii *per defectum*, illam, saltem in hoc statu naturae lapsae, negando.

— Qui nimis eam extollunt sunt : 1°) Pelagiani, contendentes ipsam sibi sufficere absque gratiae dono ad omnia opera bona et ad salutem consequendam, ac in nullo hanc libertatem per peccatum Adae, quod negabant traduci in posteros, fuisse laesam, sed veluti in aequilibrio positam, parem habere indifferentiam et facilitatem sive ad bonum sive ad malum operandum, sicut in statu innocentiae. — 2° Semi-Pelagiani, qui inter varios Pelagianorum errores docuerunt etiam illum, quod natura seu libertas se sola sufficiat saltem ad initium fidei, adeoque justitiae et salutis. — Negarunt vero libertatem : — 1°) Stoici seu Fatalistae, statuentes fatum, ex quo omnia ex necessitate eveniant. — 2°) Astrologi seu Priscillianistae, docentes ex influxu siderum omnia ex necessitate evenire. — 3° Praedestinatiani, contendentes quosdam ad mortem ita conditos, ut salvari nequeant. — 4°) Wicleffistae, Lutherani, Calvinistae, docentes liberum arbitrium in homine post lapsum Adami esse exstinctum, et gratiam necessitare ad agendum. — 5°) Bajus et Jansenius, quorum primus statuit : « *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* » Alter vero docuit libertatem *a coactione* sufficere ad merendum vel demerendum, nec requiri ad hoc libertatem *a necessitate* in statu naturae lapsae. — De istis omnibus egi in opere : *Principia et Errores*. Lov. 1877.

Nota 2. Ex S. Thom. libertatis *indifferentiae* seu *liberi arbitrii* variae adduci possunt **definitiones**, videlicet : — 1°) « *Quod est causa sui* » (q. 24 de verit. a. 1). Libertas enim opponitur servituti : jam vero servus non est sui juris sed alterius; ergo liber est sui juris et ab alterius potestate solutus. — 2°) « *Facultas voluntatis et rationis* » (in 2. d. 24. q. 1. a. 1). Libertas enim *inchoatur* in ratione, quae est ejus radix et regula, et *consummatur* in voluntate, quae sola est electiva. Aliis verbis : liberum arbitrium *radicaliter* consistit in actu intellectus, qui objectum cum indifferentia voluntati proponit; *formaliter* vero in actu voluntatis, quae ex judicio rationis se determinat ad hoc vel illud agendum vel omittendum. — 3°) « *Potentia rationalis ad opposita* » (q. 24 de verit. a. 3) : i. e. potentia activa radicaliter in ratione residens ad agendum vel non agendum. — 4°) « *Vis electiva mediorum, servato ordine finis.* » (1 P. q. 62. a. 8; — q. 83. a. 4). Quae definitio, ait Billuart, est omnium **optima** et a S. Doctore frequentius usur-

pata. — Dicitur : a) *Vis*, i. e. facultas seu potentia activa. b) *Electiva :* quia per liberum arbitrium possumus unum accipere, alio recusato, quod est eligere. c) *Mediorum :* quia electio proprie non est de fine, ut finis est, sed de mediis tantum. d) *Servato ordine finis :* quod enim liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ; sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major et perfectior est libertas arbitrii in Deo, Christo et Angelis qui peccare non possunt, quam in nobis; nec potentia peccandi ad essentiam libertatis pertinet, ut supra (pag. 22) dictum fuit.

Nota 3. Datur quoque alia libertatis *indifferentiae* seu *liberi arbitrii* definitio, videlicet : « *Facultas quae, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere et non agere.* » — Sed haec definitio nullibi apud S. Thom. reperitur, et in assignando sensu illius magna est DD. discrepantia : Aliter enim **Molinistae,** aliter **Thomistae** illam explicant. — Interim in hoc omnes conveniunt, definitionem non ita esse intelligendam, quasi significaretur, quod simul possint componi actio et non actio : hoc enim manifeste repugnat. Hinc, ut vulgo dicitur, ad libertatem non requiritur *potestas* simultatis, i. e. potestas jungendi simul actionem et non actionem, seu actum cum illius omissione, sed *simultas* potestatis, i. e. potestas agendi et simul potestas non agendi, seu utraque potestas tam ponendi quam omittendi actum.

Nota 4. Docet fides catholica : in filiis Adae liberum arbitrium **minime exstinctum** esse, « *viribus licet attenuatum et inclinatum.* » Constat ex Trid. (Sess. 6, c. 1), ubi definit can. V : « *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit; aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.* » — Et can. VI : « *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit.* »

Q. 13. An ad actum humanum *sufficiat* sola libertas *a coactione?*

R. Minime : quia actus humanus proprie dictus facit operantem laude vel vituperio, praemio vel poena dignum, ad quod non sufficit libertas *a coactione*, sed requiritur etiam libertas *a necessitate* seu *indifferentiae*, ut constat ex variis propositionibus damnatis, v. g. hac Jansenii, quae est 3ta inter quinque famosas, et ab INNOC. X damnata fuit ut haeretica : « *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* » Item ex damnata 67ª inter BAJANAS a S. PIO V : « *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.* »

Nota. Damnatam a RR. PP. doctrinam **diu ante** proscripserat S. THOM. (*de malo*, q. 6) hisce verbis : « *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis* EX NECESSITATE *movetur ad aliquid eligendum ; nec tamen ponebant, quod voluntas* COGERETUR. *Non enim omne necessarium est violentum ; sed solum id cujus principium est ab extra... Haec autem opinio est* HAERETICA : *tollit enim rationem meriti vel demeriti in humanis actibus ; non enim videtur esse meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* » — Deinde illam opinionem ex **ratione** refutat, quia : « *subvertit omnia principia philosophiae moralis ; si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio et laus et vituperium, circa quae moralis philosophia consistit.* »

Objicitur 1. Dicitur (PROV. XXI, 1) : « *Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.* » — Et (PHILIPP. II, 12) : « *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* » Ergo, homo non pollet libertate *a necessitate* seu *indifferentiae* quoad suas electiones.

R. *Dist. ant.* Deus, quocumque voluerit, inclinat cor regis, et in nobis operatur velle et perficere, tamquam causa prima, *conc.;* tamquam causa proxima et immediata, *neg.* — Deus est prima causa movens omnes alias causas tum naturales, tum voluntarias, tum liberas; Deus enim est primus omnium Motor, a quo pendent omnes alii motus. Et sicut naturales causas movendo, non aufert quin actus earum sint naturales ; ita movendo causas voluntarias

et liberas, non aufert quin actiones earum sint voluntariae et liberae, sed potius hoc in eis facit : operatur enim Deus in unoquoque secundum ejus proprietatem et exigentiam. — Nec ex eo quod causa libera sit a Deo mota, perimitur ejus liberum arbitrium ; non enim est de necessitate libertatis creatae, quod sit prima causa sui actus ; sicut nec ad hoc quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. — Cfr. S. Thom. (q. 3 de malo, a. 2 ad 4 ; et p. 1. q. 73, a. 1, ad 3.)

Objicitur 2. Ex S. Aug. homo post peccatum non amplius gaudet libertate *indifferentiae*. Nam pluribus in locis asserit : — 1°) hominem per peccatum perdidisse liberum arbitrium ; — 2°) dari peccandi necessitatem ; — 3°) nos operari ex necessitate, uti aperte dicit (in cap. 5 ad Gal.) : « *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* »

R. Ad 1um) Asserit liberum arbitrium fuisse *perditum* peccato Adae, non quod sit exstinctum quoad *substantiam*, sed quod sit diminutum quoad *perfectionem*, quia est deterius factum et debilitatum quoad bonum. Ita autem loquitur, ut retundat Pelagianos (pag. 23) contendentes, nihil homini detractum fuisse per peccatum originale quod negabant, sicque ejus liberum arbitrium in nullo fuisse sauciatum et debilitatum quoad bonum, sed pari libertate et indifferentia, pari facilitate et propensione se movere ad virtutes, non secus ac in natura integra, neque ad opus bonum salutis indigere auxilio gratiae. — Ceterum, ita intelligendum esse S. D., patet ex ipsius verbis (l. 1 ad Bonif. c. 2) : « *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere ? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.* » — **R. Ad 2um)** S. Aug. pluribus in locis aperte tradit libertatem *indifferentiae* esse necessariam ad peccandum formaliter. Sic (l. 3, de lib. arb. c. 18) ait : « *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest ? Peccatur autem : caveri igitur potest.* » Itaque per peccandi *necessitatem* intelligit : — Vel a) necessitatem late et improprie dictam, sumptam scilicet pro magna difficultate a peccato abstinendi propter vitium naturae corruptae per peccatum originale ; qualis v. g. contrahitur ex consuetudine, quae tamen ipso Aug. fatente (l. 2. de act. cum Felic. c. 8), « *quantumvis robo-*

rata, ab homine vinci potest. » — Vel intelligit b) necessitatem peccandi vagam et indeterminatam, secundum quam peccata dicuntur necessaria, quatenus in hoc statu naturae vitiatae et in malum inclinatae, nequeant vitari omnia collective, quamvis possint vitari singula. — Vel c) loquendo de peccandi necessitate, vult loqui de peccato improprie dicto seu materiali, quales sunt motus indeliberati concupiscentiae, quae vocatur peccatum ab Apost., « *quia ex peccato est et ad peccatum inclinat,* » ut ait Trid. (sess.V de pec. orig.). — **R. Ad 3um)** Loquitur de delectatione vel *indeliberata* vel *deliberata*. — A) Si de *indeliberata*, necessitas, quae ipsam consequitur, est necessitas moralis, sumpta pro magna difficultate aliter faciendi : nam quo graviores insurgunt tentationes et passiones usum rationis praevenientes, adeoque indeliberatae, eo major est difficultas operandi bonum, et major necessitas moralis, i. e. facilitas et propensio operandi malum. — B) Si loquatur de delectatione *deliberata*, datur quidem necessitas, sed hypothetica et consequens actum liberum voluntatis : id enim, quod nos magis deliberate delectat, est id quod prae alio deliberate diligimus et eligimus; necesse autem est, nos amplecti et sequi in opere externo quod prae alio deliberate eligimus, sicut necesse est, me loqui dum loquor. Sed haec necessitas sequitur ipsam liberam determinationem voluntatis, qua ad loquendum sese libere determinavit, sicque ejus libertati non nocet haec loquendi necessitas.

CAP. IV. — De involuntario, seu de illo, quod voluntario opponitur. — Ubi de divisione involuntarii deque causis illud causantibus.

Q. 14. Quid 1°) sit *involuntarium* — et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1um) *Involuntarium*, ut patet ex definitione *voluntarii*, est id, quod non est a principio intrinseco cum cognitione finis.

R. Ad 2um) Est multiplex.

Explanatur. 1°) Aliud est **negativum**, quod etiam *non voluntarium* dicitur, cui simpliciter deest aliquid ex requisitis ad voluntarium : sic mihi est negative involuntarium incendium

Troïanum ; sic pariter comestio carnium die veneris, quantum ad circumstantiam prohibitionis, mihi involuntaria est negative, si nullo modo fuerit cognita. — 2°) Aliud est **positivum** seu **contrarium**, et *noluntarium* dici potest, quod est contra inclinationem voluntatis. Sic sollicitatio facta Joseph et alia Susannae fuerunt ipsis involuntariae positive. — 3°) Rursus involuntarium *positivum* duplex distinguitur : — A) Aliud **absolutum** seu **simpliciter tale**, quod est contra voluntatem omnibus consideratis repugnantem ; uti si mulier interius et exterius, omni quo potest et debet modo, oppressori resistat, copula carnalis est ei absolute et simpliciter involuntaria. — B) Aliud **secundum quid**, quod quidem est contra voluntatem, sed spectatis omnibus volentem ; uti est projectio mercium facta a mercatore in mare tempore naufragii.

Resolvitur. 1°) Involuntarium *positivum* seu *noluntarium* dicitur respectu *objecti*, quod voluntas non vult : nam ipsa *actio*, qua voluntas aliquid non vult seu aversatur, est voluntaria, cum a voluntate ex cognitione finis procedat. — **Resol.** 2°) Idem potest esse simul *involuntarium secundum quid* et *voluntarium simpliciter*, sub diversa scilicet ratione. Sic in dato exemplo projectio mercium est tum *involuntaria secundum quid*, si secundum se consideretur, in abstracto et praecisis circumstantiis, quia habetur repugnantia : vellet enim mercator libenter merces retinere habetque inefficacem affectum ad illas ; tum *voluntaria simpliciter*, si consideretur in concreto, cum omnibus suis circumstantiis, quia illam efficaciter vult, ne tempestate mergatur.

Q. 15. Quaenam causae *tollant*, — quaenam *minuant*, — quaenam *augeant* voluntarium ?

R. *Tollunt* voluntarium : — VIS seu VIOLENTIA proprie dicta et IGNORANTIA INVINCIBILIS ; — *minuunt* : METUS, IGNORANTIA VINCIBILIS et CONCUPISCENTIA ANTECEDENS, nisi metus gravis et concupiscentia antecedens ita sint vehementes, ut omnem absorbeant rationis usum, quo casu voluntarium omnino tollunt, ob defectum cognitionis ; — *augent* : IGNORANTIA AFFECTATA et CONCUPISCENTIA CONSEQUENS. — De singulis pauca in subsequentibus.

Resolvitur. Itaque recte solent assignari **quatuor** causae causantes *involuntarium*, seu impedientes voluntarium : scilicet *vis* seu *violentia*, *metus*, *ignorantia* et *concupiscentia*. — Dicuntur autem causare *involuntarium* hoc sensu, quod sint causae, ut ponatur id quod simpliciter vel secundum quid contrariatur inclinationi voluntatis ; non autem hoc sensu, quasi causarent ipsam involuntarietatem seu actus illos per quos voluntas refugit id quod ponitur ; nam ista involuntarietas provenit aliunde, ex praevio scilicet amore vel affectu ad oppositum. — « Sic, v. g. dum quis metu naufragii movetur ad projiciendas merces, ista projectio est involuntaria secundum quid, quia repugnat affectui quem projiciens habet conservandi suas merces. Unde involuntarium quod reperitur in ista projectione non causatur a metu, sed ab amore mercium. » — Ita Billuart.

ARTICULUS I. — De vi et metu, seu de prima et secunda causa involuntarii.

Q. 16. Quid sit *vis* seu *violentia* proprie dicta ?

R. Ut definitur in jure (1) : « *Vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest.* » — « Duobus igitur opus est, ut vis facta dicatur : — 1°) ut illata fuerit ab extrinseco ; — utque 2°) ei resisti nequiverit Quare distinctio in vim seu coactionem *perfectam*, cui non potest, et *imperfectam*, cui potest resisti, absona est. » — Ita D'Annibale.

Nota. Vis seu violentia *proprie* et *stricte* dicta, quae *absoluta* vocatur, *sufficiens, compellens*, seu *simpliciter* talis, quam et *physicam* licet appellare, ex S. Thom. (1. 2. q. 6, a. 6) etiam sic definiri potest : « *Cujus principium est extra, nihil conferente vim passo,* » i. e. eo qui vim patitur. — Dicitur 1°) *cujus principium est extra :* quia quod agitur per vim « *omnino est contra motum voluntatis.* » — Dicitur 2°) *nihil conferente vim passo :* quod non debet sumi *negative :* alioquin justificatio infantis per baptismum foret violenta ; sed *positive*, ita ut sensus definitionis sit : *Cujus principium*

(1) In l. II, ff. *De eo, quod metus causa gestum est.*

est ab extrinseco, omnino renitente passo, seu subjecto qui vim patitur. — Unde ad vim proprie dictam non sufficit nuda displicentia, sed requiritur, ut vim patiens non tantum interne, sed etiam externe repugnet *pro viribus suis*, i. e. quantum hic et nunc moraliter *potest* et *debet*. — Quod si quis pro viribus suis non resisteret, adforet violentia non stricte, sed *improprie* dicta, quam vocant *conditionalem, moralem, insufficientem, impulsivam,* seu *secundum quid*, quaeque quoad effectus idem est ac *metus*, ut si aliquis ad furtum vel caedem, aliquando a sociis suis, mortis minis impellitur. Unde non tollit, sed tantum minuit voluntarium : quia ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in parte aliqua ratio voluntarii. Et secundum majorem vel minorem quam adhibuit resistentiam, ejus actio erit magis vel minus voluntaria et culpabilis. Hinc ait S. Thom. (1.2.q.6,a.5) : « *Cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum : quia licet ille qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati ; unde non potest dici involuntarium.* »

Q. 17. Possitne voluntas *pati* violentiam stricte dictam?

R. Ex S. Th. (1.2 q.6, a.4) in actibus *elicitis* non potest : alioquin voluntas eodem tempore vellet et nollet; bene vero in actibus externis ab ipsa *imperatis*, ut si imperaret motum pedibus, qui tamen catenis obstricti moveri nequeunt.

Resolvitur. Neque ipse Deus **cogere** potest voluntatem quoad actus *elicitos*. Potest tamen **mutare** voluntatem, et ex nolente facere volentem, per gratiam efficacem. — Patet exemplo Sauli, qui cum in instanti A) persequeretur Christum, in instanti B) voluntate mutata dixit ad eum : « *Domine, quid me vis facere?* » — Sed tunc non est cogere, sed veteri inclinationi, qua nolebat, novam suppetere inclinationem, qua velit, quod antea nolebat. — Cfr. Puig et Xarrié.

Q. 18. Quid faciat *vis* proprie dicta in ordine ad voluntarium?

R. Ex S. Th. (l.c. a.5) causat *involuntarium positivum* seu *noluntarium*, — et quidem *absolutum* seu *simpliciter* tale, — cum sit contra expressam inclinationem voluntatis;

ideoque etiam non est peccaminosum, cum peccatum sit malum voluntarium. — Hinc si puella, cui vis infertur, interius et exterius pro viribus resistat, nullo modo consentiens, non peccat, quamvis corpore violetur.

Resolvitur. 1°) Merito S. Lucia impio Praefecto Paschasio, minanti eam ad lupanar ducendam, respondisse legitur : « *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* » — Nam ab una parte, turpitudo per vim illata, cum involuntaria sit, intactam relinquit virtutem virginitatis, dicente S. Aug. (l. 1, de civ. Dei, c. 16 : « *Quidquid alius de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, praeter culpam fit patientis.* » Ab altera parte, quamvis actibus externis per vim extortis, utpote necessitatis, nec peccatum nec meritum inesse possit, ipse tamen voluntatis renisus, quo pravis suggestionibus resistitur, cedit in meritum, sicque coronae castitatis additur corona fortitudinis seu certaminis pro bono pudicitiae. — **Resol. 2°)** Martyres ducti ad paganorum templa, non peccabant, quamvis ipsi incederent. Esto enim non resisterent quantum *physice* potuissent, resistebant tamen quantum hic et nunc *moraliter* poterant et debebant, cum, ut recte notat Scavini, absoluta et continuata resistentia fuisset plane inutilis, nec aliunde necessaria erat, sive ad dissensum jam omnibus notum exhibendum, sive ad scandalum vel religionis injuriam avertendam. — **Resol. 3°)** Si mulier vi oppressa non renitatur interne; vel, si interne renitatur, non tamen externe, quantum hic et nunc moraliter potest et debet, resistat; tantum erit violentia *secundum quid* seu improprie dicta. Unde talis oppressio non erit absolute involuntaria, sed indirecte saltem voluntaria, ideoque imputabitur ad culpam. — **Resol. 4°)** « Mulier vi oppressa non tantum tenetur omni possibili modo exterius resistere, sed et clamando aliorum opem implorare, si utiliter possit. » (Sasserath). — An idem sit dicendum si, secluso consensus periculo, subeat ob clamorem ingens periculum gravissimi mali, v. g. mortis aut ingentis infamiae, non ita certo constat, ut patebit ex sequentibus.

Q. 19. An mulier *vi* oppressa teneatur *clamare*, si ob clamorem subeat *vitae periculum?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Probabiliter **negandum** videtur, secluso consensus periculo. — Imo valde probabiliter, secluso consensus periculo, non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cujuslibet *notabilis damni,* sive *infamiae,* vel *nimiae verecundiae :* « quia tunc, si aliter jam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto suo incommodo vim repellere. » S. Lig. (III, 430). — In praxi tamen suadenda est opposita agendi ratio, ob alicujus consensus periculum. — Cfr. Bill.; — Taber ; — Sass.

Resolvitur. Itaque — « vel mulier moraliter certo praevidet se consensuram turpi delectationi, et clamare tenetur, non obstante evidenti periculo mortis : quia consentire est intrinsece malum ; — vel prudenter praevidet se non consensuram, et adhuc tenetur repugnare, quantum potest, sed non clamare : quia non tenetur cum tanto periculo custodire corporis sui integritatem. » (Sass.) — Et « fornicatio non imputabitur illi ad peccatum, secluso consensu in illam : quia, ut antea dictum est (pag. 14 seq.) effectus consequens omissionem non est voluntarius, nec imputatur ad culpam, nisi adsit obligatio ponendi ea media quibus effectus ille impediatur, quae in casu nostro non reperitur. » (Tab.) — Nec obstat illud (Deut. xxii, 24), quo jubetur lapidari puella stuprata « *quia non clamavit, cum esset in civitate.* » Nam erat praeceptum judiciale, pertinens quidem ad judicium *externum,* in quo, quia mulier essendo, non quidem in *agro,* sed in *civitate,* et tamen non clamavit, stupro consensisse praesumebatur. — (Spor. et S. Lig.)

Q. 20. *Quid* sit *metus ?*

R. Ex jure (1) : « *Metus est, instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio ;* » i. e. inquietudo seu perturbatio.

Resolvitur. Itaque **ex metu** agere, est ex formidine mali imminentis seu futuri aliquid facere vel omittere, quod alias quis non faceret vel non omitteret, nulla tamen vi interveniente. — Dico : **ex metu** ; nam aliud est aliquid fieri *ex metu,* et aliud fieri *cum metu.* — In primo casu, metus dicitur *antecedens* seu *impellens,* quia in actionem influit antecedenter tamquam motivum ; — in secundo casu, metus dicitur *concomitans* seu *retra-*

(1) In l. I. ff. *De eo, quod metus causa gestum est.*

hens, quia actionem solummodo comitatur, quin ullum in eam influxum exerceat, et signum est magnae potius voluntatis se metui opponentis ac ipsum vincentis. — Sic mercator altum mare conscendit *cum metu*, sed non ex metu; orta autem tempestate projicit merces in mare *ex metu*. — Cfr. Billuart; — Suarez.

Q. 21. Quaenam sit *differentia* inter *vim* et *metum?*

R. Haec est: — 1°) Ex S. Th. (1.2.q.6,a.6) « *differunt secundum praesens et futurum*; » — 2°) metus afficit potentias *interiores*, vis autem *exteriores*; — 3°) metus per se *minuit* voluntarium, vis omnino *tollit*. — Dixi: *per se*; quia quandoque metus ita turbat rationem et ejus advertentiam, ut *tollat* voluntarium.

Explanatur. 1°) *Vis* non agit, nisi quatenus reipsa praesens infertur; *metus* vero agit ex apprehensione mali, sive *praesentis*, sive *futuri*. — **2°)** *Metus* seu timor est actus elicitus appetitus — vel intellectivi, qui est voluntas; — vel sensitivi concupiscibilis: ergo afficit potentias interiores; *vis* autem exteriores: quia juxta dicta (pag. 30) voluntas nequit pati violentiam quoad actus a se elicitos; sed tantum quoad actus externos ab ipsa imperatos et ab aliis potentiis exercitos. — **3°)** Id quod per metum agitur, fit voluntarium, quia motus voluntatis fertur in id. Quia tamen metus adjunctam habet voluntatis repugnantiam, actio fit involuntaria secundum quid. Ergo metus, quantumvis gravis, per se non tollit voluntarium, sed tantum illud minuit; si tamen tantus foret, ut rationis usum tolleret, eo ipso tolleret voluntarium, non quidem immediate et ratione sui, sed mediate ob defectum cognitionis.

Q. 22. *Quotuplex* sit *metus?*

R. Multiplex.

Explanatur. 1°) Ratione **naturae**: — est **levis** vel **gravis**, isque *absolute* vel *relative* gravis, prout timetur malum revera leve vel grave, et hoc respectu omnium vel alicujus. — **2°)** Ratione **causae**: — est vel **ab intrinseco**, cum res ipsa metum facit, veluti si nauta metuat naufragium, reus poenam, viator latronum incursus; — vel **ab extrinseco**, cum alius infert metum. — **3°)** Ratione **finis**, metus *ab extrinseco* potest esse incussus: —

vel **ad extorquendum certum aliquem actum,** — aut **alio fine** praeter actum timoris causa positum. — **4°)** Ratione **modi,** quo incutitur, potest esse : — vel **justus,** cum infertur ex justa causa et servato juris ordine ; — vel **injustus,** cum infertur vel ex causa injusta, (injustus quoad substantiam), vel non servato ordine juris, (injustus quoad modum). Hinc si pater cogat Caium *officio judicis* filiam, quam vi superavit, dotare aut ducere, justus metus erit ; sin *ipse* minis eum cogit, ut aut nubat aut dotet, erit injustus quoad modum ; sin ut ducat, erit quoad substantiam injustus. — **5°)** Demum ratione **personae** quae timetur, metus potest esse **reverentialis,** cum aliquis patris, domini, etc., indignationem metuit, licet absint verbera aut minae. Quae si gravis et diuturna futura sit, malum grave, adeoque et metus gravis non immerito existimabitur.

Q. 23. Quot *conditiones* requirantur, ut metus sit *gravis?*
R. *Quatuor* requiruntur.

Explanatur. Requiritur : **1°)** ut malum **certo** vel **probabiliter** immineat ; — **2°)** ut malum revera sit **grave,** absolute vel respective ; — **3°)** ut ille, qui incutit, sit **solitus et potens** exsequendi ; — **4°)** ut metum passus **non possit** illud malum effugere.

Q. 24. Quid faciat *metus* in ordine ad *voluntarium?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) In foro **externo,** metus *levis* pro nullo reputatur. Hinc illud juris (Reg. 184) : « *Vani timoris justa excusatio non est.* » — **2°)** In foro **interno,** metus, qualiscumque sit, *per se* non tollit voluntarium, sed tantum minuit ; unde quae fiunt ex metu gravi, sunt *absolute* et *simpliciter* voluntaria, et *secundum quid* tantum involuntaria : quia licet consensus detur cum repugnantia, nihilominus datur. — Dixi : *per se ;* excipias enim casum particularem, in quo ita sit gravis, ut mentem e suo statu dejiciat (pag. 33).

Resolvitur. 1°) Ex modo dictis et supra (pag. 28) facile intelligitur, quo sensu S. Thom. aliquando (1.2.q.6,a.6) dicat, ea, quae ex metu operamur, « *simpliciter esse voluntaria, et involuntaria secundum quid ;* aliquando vero (2.2.q.142, a.3.in cor.) ea « *non*

esse simpliciter voluntaria, sed mixta, » ubi sumit vocem *simpliciter* pro eo quod idem est ac *pure, omnino, ex omni parte,* et prout opponitur mixto ; aliquando etiam (ibid. ad 3) « *ea secundum quid voluntaria esse, non simpliciter.* » — **Resol. 2°)** Intelligitur quoque, cur actus ex metu positus, non obstante involuntarietate, quam adjunctam habet, dicatur « *simpliciter voluntarius.* » Ratio ex S. Thom. 1.2.q.6, a.6 est : « *Unumquodque enim simpliciter esse dicitur, secundum quod est in actu,* » i.e. « *secundum quod est hic et nunc et sub aliis conditionibus individualibus,* » seu prout consideratur *in concreto* (pag. 28). — Dicitur autem involuntarius « *secundum quid,* » i. e. ex S. Thom. « *prout consideratur extra hunc casum exsistens,* » seu prout apprehenditur secundum se et *in abstracto,* seu sub praecisione a circumstantiis.

Nota. Ubi S. Thom. docet ea quae fiunt ex metu esse mixta ex voluntario et involuntario, id intelligendum est de metu **naturali.** — « Nam, qui ex timore **supernaturali** gehennae peccatum evitat, juxta Conc. Trid. *voluntatem peccandi excludere* potest ; ut proin ejus actio, praeceptum implens ex hoc metu, nequidem *secundum quid* involuntaria sit ; quippe servare mandata Dei, tum per se, tum etiam abstrahendo a periculo gehennae, bonum est ; sed projectio mercium in se mala, et nonnisi mercatori alias morituro bona est. » Ita TT. Wirceb.

Q. 25. Metus *gravis* excusetne a *peccato ?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si actio vel omissio **est intrinsece mala,** tunc metus non excusat a *toto* peccato, quia relinquit simpliciter voluntarium. Excusat tamen a *tanto,* et eo magis, quo gravior magisque injustus est metus, quia minuit voluntarium ; non ita tamen minuit, ut de mortali fiat veniale, nisi forte ita esset gravis, ut mentem e suo statu dejiceret. — Actio autem aut omissio potest esse *intrinsece* mala : — vel *per se,* — vel per *accidens ;* — prout scilicet rectae rationi repugnat : — vel ex *natura sua :* ut esset apostasia, perjurium, libidini indulgere, etc. ; — vel *ex aliqua circumstantia :* puta si sit contra bonum commune, vel contra bonum fidei aut religionis, vel in contemptum legis aut legislatoris, ut esset pro milite tempore belli deserere stationem ; fran-

gere sigillum sacramentale; conficere sacramenta sine debita materia vel forma; manducare carnes in odium religionis. — 2°) Sin autem actio vel omissio **non est intrinsece mala,** tunc metus gravis excusat a *toto* peccato : non quidem *directe* seu ex eo quod tollat voluntarium ad peccatum requisitum; sed *indirecte,* quatenus tali casu lex obligare cessat. — Cfr. Bill.; — Sass.

Resolvitur. 1°) Semper uti apostatae illi habiti sunt, qui, metu tormentorum victi, fidem negarunt. — Merito tamen in Conc. Nic. mitior in eos poena statuta fuit, qui metu mortis, quam in eos qui sponte deliquerant. — **Resol. 2°)** Ex S. Aug. (in *Gen.* q. 42, et l. *contr. mend.* c. 9) peccavit Loth, ubi ex metu a Sodomitis incusso suas filias eorum libidini obtulit. Nec obstat, quod post hoc factum vocetur *justus* (2 Petr. II,7) : ita enim vocatur, comparative ad Sodomitas, quia ab eorum flagitiis semper abhorruit; et quia mentis ejus turbatio et studium salvandi hospites ejus culpam valde diminuit, forte etiam a mortali excusavit. Praeterea, dato etiam quod graviter peccaverit, peccatum poenitentia delevit et ideo justus, sicut Samson inter justos recensetur, non obstante scortatione ejus, quam poenitentia expiavit. — **Resol. 3°)** Teste Aug. (in *Ps.*V) nequidem pro tuenda vita propria vel aliena fas est mentiri : hoc enim est intrinsece malum et quidem per se seu ex natura sua. — **Resol. 4°)** Si quis inter haereticos compellatur edere carnes die vetito, non licet eas manducare, etiam ad vitandum periculum vitae aut alterius damni gravis; foret enim intrinsece malum ex circumstantiis, quia cederet in contemptum religionis. Huc spectat exemplum Machabaeorum, quibus tyranni comminabantur mortem, nisi manducarent carnes porcinas in odium Legis.—**Resol. 5°)** Merito Christus (Matth. XII) excusavit discipulos vellentes spicas et comedentes die sabbathi, exemplo dato Davidis comedentis, urgente necessitate, panes propositionis, quos alioquin non licebat ei comedere.

ART. II. — De ignorantia seu de tertia causa involuntarii.

Q. 26. Quid *generatim* sit *ignorantia?*

R. Est carentia notitiae vel cognitionis circa aliquod objectum.

Q. 27. *Quotuplex* sit *ignorantia?*

R. Multiplex.

Explanatur. 1°) Ex parte **subjecti**, — alia est **negativa**, quae est carentia scientiae in subjecto, saltem pro tali statu non apto, ut in pueris et amentibus, et melius dicitur *nescientia;* — alia est **privativa**, quae est carentia scientiae in subjecto apto habere illam, ut est ignorantia scitu necessariorum in adulto; — alia est **positiva**, et est carentia in subjecto apto, cum errore veritati ignoratae contrario, ut si quis ignoret Christum esse Deum, et judicet esse purum hominem. — **2°)** Ex parte **objecti**, — alia est **juris** vel naturalis vel divini vel humani, qua ignoratur lex et ejus obligatio, ut si ignores hodie esse legem abstinentiae; — alia **facti**, qua ignoratur factum aliquod vel facti circumstantia; ut si quis ignoret illum cibum, quem comedit, esse carnem, vel non cogitet, esse diem jejunii; — alia est **poenae**, qua ignoratur poena huic vel illi actioni annexa, v. g. excommunicatio percussioni clerici. — **3°)** Ex parte **causae** seu voluntatis a qua procedit, — alia est **invincibilis** et — alia **vincibilis.** Dicitur *invincibilis*, quae moraliter vinci nequit, cum nulla erroris cogitatio aut dubitatio, ne in confuso quidem, veniat in mentem operantis, dum operatur vel cum causam actionis ponit. Vice versa dicitur *vincibilis*. — Haec autem triplex distinguitur : A) *simpliciter talis* seu *pure vincibilis*, ad quam tollendam adhibita quidem est aliqua diligentia, sed non sufficiens; — B) *crassa* seu *supina*, ad quam tollendam nulla aut vix ulla diligentia est adhibita; ideo sic dicitur, quia crassi et pingues, et qui supini jacent, desides esse solent; — C) demum alia *affectata*, qua quis expresse non vult inquirere sive ob taedium, sive ut liberius peccet. — De hac intelligitur illud (Job. XXI, 14) : « *Recede a nobis et scientiam viarum tuarum nolumus.* » Item illud (Ps. XXXV, 4) : « *Noluit intelligere, ut bene ageret.* » — Ex S. Lig. (V. n. XXVI) « hac ignorantia laborant ii, qui data opera nec consilium petunt in dubiis, nec conciones et catecheses adeunt, ne in malam fidem incidant et a suo proposito absterreantur. » — **4°)** Ex parte **actionis** quae fit ex ignorantia,

— alia est **antecedens**, quae nullo modo est volita, est tamen causa operis, in quantum removet scientiam, adeo ut si ignorantia non esset, seu scientia adesset, opus non fieret : ut si quis trajiciat hominem quem invincibiliter putat esse feram, non occisurus, nisi ignorasset aut si scivisset esse hominem ; — alia **concomitans**, quae neque est voluntaria, et ideo invincibilis, neque causa operis, adeo ut, licet abesset, aeque opus fieret : ut si quis ratus invincibiliter se feram occidere, occidit hostem diu ad necem quaesitum, vel maxime occisurus etiam, si illum cognovisset ; — alia **consequens**, quae aliquo modo sequitur actum voluntatis nolentis vel negligentis inquirere, estque directe vel indirecte volita, et ideo aliter dicitur ignorantia *vincibilis*. — Cfr. S. Thom. (1.2.q.6,a.8; et q.76,a.2); — Bill.; — Sass.

Nota 1. « Ignorantia **antecedens** dicitur etiam *invincibilis* ; non tamen coincidunt ignorantia *antecedens* et *invincibilis* : addit enim *antecedens* prout hic sumitur supra invincibilem simpliciter, quod sit causa cur aliquid fiat quod non fieret, si abesset ; quod non competit omni ignorantiae invincibili, ut patet in ignorantia concomitante, quae, ut modo dicebam, est invincibilis et tamen non *antecedens*. Unde omnis ignorantia *antecedens* est *invincibilis*, sed non e contra. » Ita recte Bill.

Nota 2. Ad ignorantiam *invincibilem*, cui aequiparatur, referenda est **oblivio perfecta** et **inadvertentia plena.** Hae autem, si non sint perfectae, et ex negligentia procedunt, ad ignorantiam *vincibilem* spectant.

Nota 3. Male confunditur ignorantia *vincibilis* cum **culpabili** : nam *culpabilis* est, quae, adhibita morali diligentia, tolli et potuit et debuit ; *inculpabilis* e contra, quae vel non potuit, vel non debuit tolli, ideoque ad culpabilem non sufficit, quod *possit*, sed et requiritur quod *debeat* vinci. — Igitur ad ignorantiam *culpabilem* **requiritur** : — 1°. Ut sit de re, cujus notitia in tali persona et circumstantiis haberi possit : quod enim non est in mea potestate, nequit mihi ad culpam imputari. — 2°) Ut venerit in mentem cogitare vel dubitare de opposito : si enim nulla cogitatio etiam confusa venerit in mentem, qua voluntas ad inquisitionem excitaretur, non potest vinci. — 3°) Ut non adhibuerit sufficientem diligentiam in inquirenda veritate, dum de obligatione inqui-

rendi incidit cogitatio. — **4°**, Ut ignorans teneatur scire, quod ignorat, utpote concernens suum statum vel officium; alias erit vincibilis, ast non culpabilis. — Cfr. Sporer. — Hinc ait S. Thom. 1. 2. q. 76, a. 2 : « *Nulla ignorantia invincibilis est peccatum; ignorantia autem vincibilis est peccatum, si sit eorum quae aliquis scire* tenetur; *non autem si sit eorum quae quis scire non tenetur.* »

Q. 28. Quid faciat *ignorantia* in ordine ad *voluntarium?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° Ignorantia **antecedens** causat involuntarium et quidem *positive*, seu *noluntarium*. Quia actus, qui ex illa fit, nec directe nec indirecte est voluntarius; imo est contra habitualem inclinationem voluntatis : si enim adesset notitia, actus non poneretur. — **2°**, Ignorantia **concomitans** causat involuntarium, sed *negative* tantum, sive *non voluntarium;* non autem *positive*, quia non est contra inclinationem voluntatis : agens enim gaudet, dum advertit. — **3°**, Ignorantia **consequens**, — si pure sit *vincibilis*, quod valet cum proportione etiam de *crassa* seu *supina*, causat *voluntarium simpliciter*, quia ipsa est saltem indirecte voluntaria in sua causa, i. e. in negligentia discendi. Causat tamen *involuntarium secundum quid*, quia opus ex ea sequens est contra aliqualem inclinationem agentis. Si enim adesset scientia, non fieret, ut supponitur. — Si vero sit *affectata* seu directe voluntaria, non minuit voluntarium, imo est indicium voluntarii valde intensi, sub quo respectu et peccatum auget. — Cfr. S. Thom. (1. 2. q. 6, a. 8); — Bill.; — Sass.

Resolvitur. Ignorantia **affectata** adauget voluntarium, non quidem *ratione sui :* cum ignorantia, ut talis, semper opponatur voluntario; sed ratione *causae suae*, quae est major affectus in pravum, dicente S. Thom. (1. 2. q. 76, a. 4 : « *Ex intensione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod quis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi.* » Hinc quoque ignorantia *affectata* adauget peccatum, non quidem *ratione sui*, sed ratione *causae suae*, i. e. pravae voluntatis.

Q. 29. Quid faciat *ignorantia* in ordine ad *peccatum?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Ignorantia **antecedens** omnino excusat a peccato : quia causat involuntarium et quidem *positive*, seu *noluntarium*. — 2°) **Concomitans** non accusat quia est *non voluntaria* et invincibilis. Nam, ut ait S. Thom. (1.2.q.6, a.8 in c.), « *non potest esse actu volitum quod ignoratum est.* » Attamen non omnino excusat : quatenus scilicet agens approbat cum plena advertentia effectum ex ignorantia secutum. Unde qui ex tali ignorantia occidit clericum inimicum, excusatur ab homicidio externo, nec incurrit excommunicationem, irregularitatem, onus restitutionis : quia actus externus non est voluntarius, et internus non inducit has poenas; manet tamen reus complacentiae in homicidio patrato, si adhaereat cum plena advertentia huic malae complacentiae. — 3°) **Consequens** non excusat a peccato, quia non tollit voluntarium; minuit tamen peccatum, si sit tantum *indirecte* voluntaria, i. e. *pure vincibilis* aut etiam *crassa* seu *supina*, quia causat involuntarium secundum quid. — Si autem sit *directe* voluntaria seu *affectata*, non minuit peccatum, sed magis auget : « *ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiae pati velit ad hoc quod libere peccato adhaereat.* » S. Th. (q.3 de malo, a.7). — Cfr. (1.2.q.76, a.3); — Bill.; — Sass.

Resolvitur. Cum ignorantia **affectata** ex S. Thom. augeat voluntarium et peccatum, non quidem *ratione sui*, sed « *ex intensione voluntatis ad peccandum,* » hinc major malitia intelligitur de pravitate voluntatis, qua quis positive seu expresse non vult inquirere; non autem de ipsa infractione legis, quae est utique peccaminosa, quia aliquomodo cognita, sed minus tamen, quam si perfecte cognosceretur.

Q. 30. *Quanta diligentia* adhiberi debeat, ut quis *excusetur* a mortali vel etiam ab omni peccato?

R. Difficillimum est de hoc judicare in praxi, suntque pensandae omnes circumstantiae.

Explanatur. Et quidem : 1°) Si agatur de praecepto **naturali**, major requiritur. — 2°) Pensanda est **qualitas** personae : nam homo doctus, bene educatus, ad majorem tenetur, quam homo simplex et plebejus. — 3°) Pensanda est **operatio** : si enim haec possit graviter nocere proximo, major requiritur, ideo-

que major, ubi de vita quam de bonis fortunae agitur, et sic de aliis. — 4°) Pensanda insuper est ratio **temporis** et **loci**, etc.: nam in eodem negotio uno tempore et loco majorem teneor adhibere diligentiam, quam alio. **Generaliter** tamen dici potest, non esse necessarium, quod quis adhibeat diligentiam *summam*; hoc est : quod faciat totum quod in se est; sed sufficit adhibere diligentiam *moralem, communem, ordinarium*; hoc est : eam quam viri prudentes et timorati solent adhibere in simili negotio. — Cfr. Sass.

Resolvitur. 1°) Si confessarii, parochi, advocati, judices, medici, etc., advertant deesse sibi sufficientem scientiam et negligant acquirere, aut ante acquisitam pergant, rei sunt errorum, quos aliquo saltem modo praevident : quia sunt illis voluntarii in causa. — **Resol. 2°)** Similes si *ordinariam* juxta muneris sui conditionem diligentiam adhibuerint ac juxta gravitatem negotii hic et nunc occurrentis requisitam adhibeant circumspectionem, sunt tuti in conscientia. — **Resol. 3°)** Simplici sufficit, si sequatur suum pastorem vel confessarium, quem sufficienter instructum existimat. Sic et excusatur a culpa rusticus non servans jejunium in hebdomada occurrens, si dubitans veritatem inquisiverit ab iis qui interfuerunt concioni vel missae majori in qua haec solent promulgari : quia adhibuit diligentiam quam prudentes in simili negotio juxta facti qualitatem et circumstantias solent adhibere. — **Resol. 4°)** Si negligentia sit tantum venialiter culpabilis, opus ex ea sequens est veniale tantum; culpa enim commensuratur negligentiae culpabili habendi scientiam. Unde non incurritur irregularitas, censura, nec probabiliter onus restitutionis. (Ita Sasserath.)

Q. 31. Ignorantia *vincibilis* sitne *speciale* peccatum ?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Ignorantia vincibilis rei cujus notitia **per se** seu *ratione sui* praecipitur, qualis est ignorantia mysteriorum fidei, est speciale peccatum distinctum ab eo quod fit ex ejusmodi ignorantia : quia sic peccans facit contra duo diversa praecepta ex diverso motivo lata. Hinc dupliciter peccat, qui et fidei mysteria vincibiliter ignorat, et in haeresim incidit. — **2°)** Sin autem cognitio tantum praecipitur **per accidens**, ratione operis faciendi, non est speciale peccatum, sed tantum unicum contra illam virtu-

tem ad quam pertinet observatio praecepti, quod vincibiliter ignoratur. Ex eodem enim praecepto quo teneor v. g. jejunare, teneor et inquirere. Unde si negligens inquirere non jejunem, satis est, si confitear : violavi jejunium. — Cfr. Sass.; — Dens.

ART. III. — De concupiscentia, seu de quarta causa involuntarii.

Q. 32. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit *concupiscentia?*

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (de malo, q. 4, a. 2) *concupiscentia* hoc loco intelligitur : « *pronitas ad inordinate appetendum*, » seu motus appetitus sensitivi bonum delectabile prosequentis.

R. Ad 2um) Duplex est :

Explanatur. Alia est **antecedens,** quae praecedit voluntatis consensum quem allicit, ut dum, visa pulchra muliere, commovetur libido movetque voluntatem ad illam appetendam ; — alia **consequens,** quae subsequitur actum voluntatis, quatenus deliberato consensu vel jam excitata admittitur, vel etiam ex proposito excitatur ad intensiorem operationem producendam ; ut dum quis, viso inimico, aestuat sciens volens, vel dum volens se ulcisci de suo inimico, sponte in se excitat iram.

Q. 33. Quid faciat *concupiscentia* in ordine ad *voluntarium* et *peccatum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Concupiscentia **antecedens** quo vehementior est, eo magis minuit judicium rationis, ac proinde voluntarium *rationale* seu *proprie dictum ;* imo illud penitus tollit, si totaliter usum rationis impediat, ut patet in motibus primo-primis, quibus intellectus, propter praevium phantasiae et appetitus sensitivi vehementem motum, ita subito rapitur in bonum delectabile, ut non attendat ad rationem mali quae in tali objecto reperitur ; unde quoque evenit, ut voluntas caeco quodam impetu feratur in illud bonum, seu verum, seu apparens. — Ex quo fit, ut concupiscentia *antecedens* subinde minuat, subinde penitus peccatum auferat. —

2° Concupiscentia **consequens**, nimirum vel acceptata a voluntate, vel etiam voluntarie excitata, etsi *physice*, non tamen *moraliter* minuit voluntarium *proprie dictum*, cum ipsa imminutio judicii rationis procedat a voluntate ipsius agentis : qui enim vult causam, vult eo ipso etiam effectum. Unde « *non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.* » S. Th. (1. 2. q. 77. art. 6).

Resolvitur. 1° Hinc colligimus quod motus concupiscentiae, si sint *primo-primi*, non sunt peccaminosi : quia omnem antevertunt rationis usum. Si *secundo-primi*, sunt leviter peccaminosi : habent enim semiplenum consensum voluntatis. Si denique *plene-deliberati*, sunt graviter vel leviter peccaminosi, prout est materia. — Cfr. S. Thom. (1. 2. q. 6, a. 7; — q. 10, a. 3; — q. 73, a. 6; — q. 77, a. 6-7); — Tab.; — Dens; — Sass. — **Resol. 2°**) Ubi apud DD. dicitur : concupiscentiam **antecedentem** *augere* voluntarium, id intelligendum est, non quidem de voluntario *rationali* seu *proprie dicto*, quia ipsa mentem excaecat et impedit, quominus illecta ab objecto sensibili consideret turpitudinem actus et offensam Dei; sed de voluntario *latissime sumpto* seu *spontaneo*, quia concupiscentia efficit, ut majori cum inclinatione adeoque magis spontanee feramur in objectum concupitum, ut patet in hominibus iracundis et libidinosis.

Q. 34. Quid dicendum de illo qui sub motu deordinatae concupiscentiae *negative* se habet, i. e. : nec consentit, nec resistit ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° **Cessante periculo** *consensus*, ex vera sententia cum D. Thoma (de verit. q. 15, a. 4 ad 10) peccat leviter. — Ratio ex S. Lig. (V. 6.) est : tum quia « homo cavere debet, ne appetitus trahat post se voluntatem; sed haec obligatio quando periculum consensus non est proximum, est tantum levis : tum quia, si sub gravi teneremur omnes motus inordinatos positive repellere, teneremur ad impossibile : impossibile enim est, ut ait Caj., omnes hos motus collective sumptos positive coercere. » —

2°) Si vero **adest periculum** *consensus*, tunc peccat graviter, modo gravis sit materia : nam hoc in casu tenemur positive resistere, orando nempe, divina cogitando, animum ad aliud vertendo, etc. — *Excipe :* A) si hic motus magis excitetur resistendo ; — B) si levis sit ac continuus ; — C) si ortum habeat ex actione necessaria vel utili, etc., praesertim in personis timoratae conscientiae : quia tunc melius est illum contemnere. — **Periculum** autem *consensus* judicabitur adesse : tum ex qualitatibus poenitentis, si v. g. sit tenuis virtutis, quia jam alias consenserit ; tum ex materia delectationis, si multum sit periculosa in se, ut communiter censetur, si superveniat delectatio venerea ; quia hujusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque si positive non repellantur, (saltem per actum simplicis displicentiae), trahunt secum consensum voluntatis.

Scholium. Cum difficillimum sit operari oppositum iis qui pravo habitu seu consuetudine laborant ; hinc, quae de *concupiscentia* dicta fuerunt, etiam suo modo tenent de **consuetudine** et **habitu pravo.** — Unde **resolvitur : 1°**) Quamdiu prava consuetudo libere conservatur, comparatur concupiscentiae *consequenti:* et ideo, licet *physice* minuat voluntarium rationale seu proprie dictum, non tamen illud minuit *moraliter*, cum ipsa diminutio mentis sit voluntaria in causa, et consequenter non minuit malitiam in opere, quod ex illa procedit, sed potius illam auget, quatenus procedit ex voluntate magis intensa magisque in malo confirmata. — Hinc docet S. Thom. (1. 2. q. 78, a. 2) quod peccatum ex habitu sit peccatum *ex malitia*. — **Resol. 2°**) Quando pravus habitus jam displicet, eumque, quantum potest, quis eradicare conatur, tum comparatur concupiscentiae *antecedenti :* ideo plus minusve minuit voluntarium rationale seu proprie dictum, et consequenter subinde minuit peccatum, subinde illud tollit. Et ita, postquam quis consuetudinem contractam efficaci proposito retractavit debitamque desuescendi diligentiam adhibeat ; jam actus, v. g. blasphemiae, sequentes vi consuetudinis et quasi naturali impetu prorumpentes, ad peccatum formale amplius imputari nequeunt : quia non sunt voluntarii nec in se seu directe, ut supponitur ; nec indirecte seu in causa, quia haec efficaciter est retractata. — Cfr. Bonal ; — Sass.

PARS SECUNDA.

DE ACTIBUS HUMANIS CONSIDERATIS IN SUO ESSE MORALI SEU FORMALI.

CAPUT UNIC. — De moralitate actuum humanorum, ubi de eorum imputabilitate, de regulis morum, de speciebus moralitatis, de principiis seu fontibus moralitatis, deque requisitis ex parte voluntatis ad bonitatem vel malitiam moralem contrahendam.

Q. 35. *Quid* sit actus *moralis?*

R. Est actus humanus in ordine ad regulas morum i. e. actus procedens a voluntate deliberata cum subjectione seu respectu ad legem aeternam et rectam rationem, vel ad alterutram; nam utraque idem dictat. — S. Thom. (1. 2. q. 18-20).

Resolvitur. 1°) Errant igitur, qui moralitatem in **libertate** constituunt. — Utique libertas requiritur tamquam moralitatis fundamentum (pag. 4); nam actus necessarii non subjiciuntur regulis morum, nec ab eis sunt dirigibiles, sed soli actus liberi; ast essentia moralitatis minime in libertate est reponenda. — Etenim, ut recte docet Billuart, « prius concipitur in actu libertas quam moralitas. Hoc ipso enim quo concipitur egredi a voluntate sub indifferentia judicii, concipitur liber et nondum moralis, quia nondum concipitur lex cui subjiciatur. Imo, dato quod non esset lex seu regula morum, adhuc conciperetur liber et non esset moralitas. » Ergo libertas, quamvis requiratur ad moralitatem, haec tamen formaliter in ea non consistit. — **Resol. 2°)** Multo minus moralitas collocanda est in **solo utili** ac **delectabili** : si enim quod placet aut utile videtur, illud semper prosequi et amplecti liceret, omnia passim pessumdarentur, propria cupiditas modum non haberet, et quanto quis esset audacior, tanto esset honestior. Hinc damnata est in Syllabo (sub n. 58) sequens propositio : « *Omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.* — **Resol. 3°)** Sicut artificiositas consistit in respectu quem habet

artefactum ad regulas artis, ita **moralitas** proprie consistit in respectu quem habet actus liber voluntatis, seu actus humanus in suo esse physico consideratus, cum regulis morum cum quibus vel conformis vel difformis est. Si haec conformitas vel difformitas consideretur in actu secundum se seu objective, est moralitas *objectiva* seu *materialis;* si consideretur in agente seu in voluntate operantis, est moralitas *subjectiva* seu *formalis*. Ex quo patet unam moralitatem posse sine altera existere. Et sic actus qui objective consideratus legi consentaneus est, sed quem agens legi oppositum putat, materialiter erit conformis adeoque materialiter bonus; formaliter vero difformis legi adeoque formaliter malus.—**Resol. 4°** Idem actus **physice** consideratus potest esse *bonus* vel *malus*, secundum quod a diversis subjectis elicitur, sub diverso ad regulas morum respectu; seu, aliis verbis : fieri potest quod duo actus ejusdem speciei secundum esse *physicum*, sint diversae speciei secundum esse *morale*, v. g. actus fornicationis et actus conjugalis. Sic quoque sicarius et carnifex occidunt hominem : occisio a sicario mala est, utpote regulis morum difformis; occisio a carnifice, ut justitiae ministro perpetrata, est bona : quia justa adeoque regulis morum conformis; ex quo patet quod *esse morale* se habeat mere accidentaliter ad esse *physicum* actus humani.

Scholion. Quamvis **imputabilitas** ab actu morali *de facto* separari nequeat, a *moralitate* tamen distinguitur *ratione ratiocinata* seu *cum fundamento in re*. Etenim *imputabilitas* oritur ex libertate agentis ad actionem ponendam vel omittendam, ita ut ex illa sit laude vel vituperio digna; *moralitas* vero actionis constituitur ex ejus convenientia vel disconvenientia cum regulis morum. Itaque *imputabilitas* fundatur in dominio quod homini in suos actus competit; et ideo imputabiles dicendi sunt omnes et soli actus humani, tum illi quos unusquisque personaliter ponit, tum illi quorum positioni active cooperatur. Et quoniam dominium in actus humanos inde habetur quod ex libera voluntate procedunt, patet imputabilitatis *principia* recte assignari *voluntarium* et *liberum*, eaque omnia quae voluntarium et liberum tollunt, minuunt vel augent, pariter imputabilitatem tollere, minuere vel augere. Moralitas vero actionis fundatur in respectu ad regulas morum ejusque *principia* seu *fontes*, ex quibus actus humanus desumit

suam bonitatem vel malitiam, recte assignantur tria : *objectum* actus, *circumstantiae* ejusdem et *finis* operantis, ut dicetur infra.

Q. 36. *In quo* constituendae sint *regulae morum?*

R. In *recta ratione*, quae duplex distinguitur : — 1°) una *increata* et lex aeterna dicitur; — 2°) altera *creata*, quae est humana ratio seu ipsa legis aeternae cognitio. — Hinc vulgo etiam duae assignantur morum regulae : — 1°) una *extrinseca* et *remota*, in mente divina exsistens, sive lex seu voluntas Dei aeterna : — 2°) alia *proxima* et *intrinseca*, et in homine residens, secundum quod praedictam legem participat eique subordinatur, et est ipsa ratio humana, seu conscientia, quae est quasi praeco legis aeternae.

Explanatur. Ex doctrina S. Thom. (1.2.q.71,a.6) **moralitas** actuum humanorum dependet ab eorum debita **commensuratione.** « *Omnis autem* COMMENSURATIO *cujuscumque rei attenditur per comparationem ad* ALIQUAM REGULAM, *a qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanae est* DUPLEX : *una* PROPINQUA *et* HOMOGENEA, *scilicet ipsa* HUMANA RATIO ; *alia vero est* PRIMA *regula, scilicet* LEX AETERNA, *quae est quasi ratio Dei.* » — Ex quo patet, rationem creatam hanc regulam constituere non quidem *per se*, sed prout *substat* legi aeternae. Hinc ait S. D. (1.2.q.19,a.4 : « *Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet* EX LEGE AETERNA, *quae est ratio divina ; unde dicitur* (Ps. IV, 6) : Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine ; *quasi diceret : Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, a vultu tuo* DERIVATUM. »

Q. 37. *Quot* et *quaenam* sint moralitatis *species?*

R. Ex. S. Th. (1. 2. q. 92, a. 2) sunt tres : 1°) *indifferentia* quam lex permittit; 2°) *bonitas*, quam imperat; et 3°) *malitia*, quam prohibet.

Explanatur. Ait S. Thom. (l. c.) : « *Sunt autem* TRES DIFFERENTIAE *actuum humanorum : quidam sunt* **boni** *ex genere, qui sunt actus virtutum ; et respectu horum ponitur legis actus* PRAECIPERE

seu IMPERARE. *Quidam autem sunt actus* **mali** *ex genere suo, sicut actus vitiosi, et respectu horum lex habet* PROHIBERE. *Quidam vero ex genere suo sunt actus* **indifferentes** : *et respectu horum lex habet* PERMITTERE. » — Idem asserit (de malo, q. 2, a. 5) : « *Si ergo loquamur de actu morali secundum suam speciem, sic non omnis actus moralis est bonus vel malus, sed aliquis indifferens.* » Ergo ex S. THOM. nedum *bonitas* et *malitia*, sed etiam *indifferentia* sunt moralitatis species. — Quae doctrina hoc modo confirmatur. Ille actus est vere moralis, qui a voluntate deliberata procedit cum subjectione seu respectu ad regulas morum. Atqui actus ex objecto indifferens potest procedere a deliberata voluntate cum respectu ad regulas morum. Ergo. *Prob. min.* Qui dubius an aliquod opus liceat, puta, an liceat hodie laborare, et opus suspendit ac legem seu rationem consulit, nec labori indulget, nisi prius lex aut ratio responderit non agi diem festum adeoque licere laborare, ille, ut evidens est, deliberate agit et cum subjectione ad legem, quam prius consulit et cui ita subjicitur, ut ab opere abstineret, si esset a lege vetitum ; atque illud tantum exercet, cum videt per legem ei relinqui liberum seu indifferens. Ergo indifferentia pertinet etiam ad moralitatis speciem. — Cfr. BILLUART ; — PUIG et XARRIÉ.

Q. 38. An igitur dentur actus humani *indifferentes?*

R. *Cum distinctione :* — vel 1°) loquimur de actibus indifferentibus *objective* seu in *specie*, et certe quidem dantur, ut est edere, comedere, etc. ; — vel 2°) loquimur de actibus indifferentibus *subjective* seu in *individuo*, et probabilius est, quod non dantur : quia omnis actus deliberatus, prout fit hic et nunc, necessario debet esse vel bonus vel malus. Ita THOMISTAE contra SCOTISTAS. — Dixi : *probabilius ;* nam negari non potest, oppositam sententiam esse probabilem propter auctoritatem saltem extrinsecam.

Explanatur. Non dari actus indifferentes **subjective** seu in **individuo,** probatur ratione innixa doctrinae S. THOM. (1. 2. q. 18, a. 9) videlicet : Omnis actus a deliberata ratione procedens in individuo, — vel ordinatur ad finem rectae rationi consonum et exercetur in circumstantiis in quibus secundum rectam rationem est exercendus ; — vel non. Si primum, erit actus moraliter bonus ;

si secundum, erit moraliter malus. Atqui, omnis actus a deliberata ratione procedens vel debet ordinari in finem rationi consonum vel dissonum, et exerceri in circumstantiis rectae rationi consentaneis vel dissentaneis. Ergo, omnis actus deliberatus in individuo, debet esse bonus vel malus. — Et ex his patet, quare possit dari actus indifferens *secundum speciem*, quamvis non *in individuo* : quia nempe ad actum secundum speciem tantum, requiritur solum objectum, non vero finis et circumstantiae, quae profecto in actu individuali requiruntur. Unde, cum sint quidam actus, puta, ambulare, sedere, stare, etc., qui possunt fieri propter bonum vel malum finem, in debitis vel non debitis circumstantiis, inde est, quod hujusmodi actus sunt *secundum speciem* indifferentes, non autem sic *in individuo*, quia tunc nequeunt praescindere a fine et circumstantiis. — Cfr. Puig et Xarrié.

Resolvitur. Ubi docetur non dari actus indifferentes *subjective* seu *in individuo*, id unice procedit de actibus **deliberatis** seu proprie **humanis**, deque eorum indifferentia ad bonitatem et malitiam in ordine **naturali.** — Unde illa doctrina non est intelligenda : **1°** de actibus *indeliberatis* seu *hominis*, qui ex imaginatione vel naturae impulsu procedunt, ut plerumque fricare barbam, manum vel pedem movere, flores colligere, olfacere, etc. — Neque intelligenda est **2°** de indifferentia ad bonitatem et malitiam moralem in ordine *supernaturali*. Constat enim, in ordine ad vitam aeternam, dari actus indifferentes *in individuo*, neque bonos neque malos, neque meritorios neque demeritorios. Ita eleemosyna data ab infideli, sine auxilio gratiae ex motivo honesto naturali, est opus bonum naturale, non autem in ordine supernaturali. Actus quoque fidei et spei, quibus impii divina gratia excitati tendunt ad justitiam, nec merentur salutem aeternam : quia impii gratia sanctificante sunt destituti; nec digni sunt morte : quia illi actus sunt *dona Dei et Spiritus Sancti impulsus, non quidem habitantis sed moventis*, ut docet Trid. (sess. VI, c. 6 et sess. XIV, c. 4). — Unde quoque in Conc. Const. damnata fuit haec 16ª propositio Joan. Hus : « *Divisio immediata humanorum operum est : sunt vel virtuosa, vel vitiosa... quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* » — A qua doctrina non multum

abludit haec propositio Quesnelli, quae est 45ª inter damnatas : « *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* » — Cfr. Bill.

Q. 39. An actus *externus* addat bonitatem vel malitiam actui *interno?*

R. Ex S Thom. (1. 2. q. 20, a. 4, et alibi) actus externus *per se*, i. e. prout est mera exsecutio actus interni, non superaddit bonitatem vel malitiam formalem actui interiori efficaci. — Dico : *per se;* nam *per accidens*, adeoque non ratione sui, addit aliquam bonitatem vel malitiam *accidentalem* : — vel 1°) in quantum actus externus saepissime est occasio, cur interior multiplicetur, magis fiat intensus, diutius continuetur; — vel 2°) in quantum causat scandalum aut damnum proximi, aut e contrario bonam aedificationem ; — vel 3°) in quantum illi annectitur ab extrinseco specialis gratia, valor seu privilegium, aut e contrario ex actu exteriori sequuntur varia mala et incommoda, a quibus eximitur solus actus interior.

Explanatur. Quod actus exterior **per se** non addat bonitatem vel malitiam formalem seu distinctam actui interiori efficaci, probatur : 1°) Ex SS. LL., in quibus sincera voluntas pro facto reputatur. Sic Deus dicit Abraham (Gen. XXII, 16) : « *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi;* et tamen non opere, sed voluntate tantum mactaverat filium. Sic quoque ait Christus (Matth. V, 28) : « *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.* » — 2°) Ex SS. PP.; sic Aug. (epist. 102 ad Deo gratias, q. 4, n. 26) statuit de « *voluntatis affectu* » i. e. de actu interiori voluntatis, quod « *omnium factorum meritorumque mensura est.* » Et Bern. (Epist. 77, c. 2) : « *Quid planius, quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas.* » — 3°) Ex ratione. Libertas est fundamentum moralitatis (pag. 4), ideoque bonitas vel malitia moralis intrinseca ibi solum esse potest, ubi est libertas intrinseca. Atqui in actu exteriori potentiae exsecutivae non est libertas intrinseca : haec enim in sola voluntate intrinsece subjicitur. Ergo.

Resolvitur. 1°) Si voluntas sit de se disposita, ut non operetur, vel quia non potest, vel quia ei non sese offert occasio operandi, parata tamen ad operandum, si posset ; *simpliciter* et in ordine ad praemium vel poenam *essentialem*, tam bona est vel mala cum actu exteriori ac sine illo. — Dixi : *simpliciter*, etc.; quia actus exterior, quatenus in eo perficitur et consummatur bona vel mala voluntas, addit actui interiori bonitatem vel malitiam *secundum quid* et in ordine ad praemium vel poenam *accidentalem*, i. e. *eamdem* bonitatem vel malitiam *extendit* seu *perficit*. Et ideo ait S. Thom. (de malo, q. 2. a. 2) : « *Qui habet voluntatem dandi eleemosynam, et non dat, quia non habet facultatem, tantumdem meretur, quantum si daret, per comparationem ad praemium* ESSENTIALE, *quod est gaudium de Deo : hoc enim praemium respondet charitati, quae ad voluntatem pertinet. Sed per comparationem ad praemium* ACCIDENTALE, *quod est gaudium de quocumque bono creato, magis meretur, qui non solum vult dare, sed dat : gaudebit enim, non solum quia dare voluit, sed quia dedit, et ex omnibus bonis, quae ex illa datione provenerunt.* » Quod, proportione servata, repetit de *voluntate* et *actu* peccati. — **Resol. 2°)** Regulariter actus externus *per accidens* addit aliquid boni vel mali actui interiori, — sive ratione *multiplicationis numericae* actuum voluntatis, qui saepe in ipsa exsecutione repetuntur ; — sive ratione *majoris* eorum *durationis*, cum statim actus exterior perfici nequeat ; — sive ratione *intensionis*, cum ob arduitatem aut delectabilitatem actuum externorum, voluntas magis accenditur. — **Resol. 3°)** Qui invitus impeditur a martyrio sibi instanti non perdit praemium essentiale. Perdit tamen praemium accidentale seu *aureolam*, quae non datur habenti solam voluntatem martyrii, sed ex Dei privilegio et quasi ex opere operato martyrio reipsa tolerato annexa est. — **Resol. 4°)** Voluntas efficax suscipiendi sacramentum, et ipsa susceptio, sunt aeque bonae moraliter, seu ex opere operantis ; praestat tamen realis susceptio, cui ex Christi institutione specialis gratia annexa est ex opere operato. — **Resol. 5°)** Qui dat eleemosynam, jejunat, aut aliter corpus affligit, non plus meretur in ordine ad praemium essentiale, quam qui efficacem habet voluntatem haec faciendi et aliunde involuntarie impeditur ; plus tamen *satisfacit* : quia valor satisfactionis pendet etiam ab opere externo, quatenus est poenale

seu vera poenae perpessio. — **Resol. 6°)** Verissime ait S. Aug. (l. 13 de Trinit. c. 5) : « *Mala voluntate, vel sola, quisque miser efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malae voluntatis impletur* » : non quod actus exterior addat malae voluntati novam et distinctam malitiam ; sed — vel ob rationes modo allatas sub n. 1 et 2 ; — vel quia ex actu exteriori hebetantur sensus, generantur mali habitus, quibus homo fit pronior ad peccandum, oriuntur scandala, inducitur obligatio restituendi, incurruntur censurae, etc., quae omnia non sequuntur ex actu interiori. — Cfr. Bill.; — Puig et Xar.; — Dens.

Q. 40. *Quid* sint *principia* seu *fontes* moralitatis ?

R. Sunt ea ex quibus fit, ut actus humanus sit bonus vel malus, melior vel pejor, vel indifferens.

Q. 41. *Quot* sint *principia* moralitatis, ex quibus actus humani desumunt suam bonitatem vel malitiam ?

R. Ex S. Thom. (1. 2. q. 18, a. 2, 3, 4.) sunt tria.

Explanatur. Scilicet **1°) objectum** actus, — **2°) circumstantiae** ejusdem, — et **3°) finis** agentis. — Cum hoc tamen **discrimine,** quod ad bonitatem actus requiratur, ut ex *triplici* illo capite conformis sit rectae rationi, seu ut tria illa sint bona ; — ad malitiam vero sufficiat, quod vel *in uno* ex his deficiat, seu quod unum ex illis sit malum. — Hinc axioma : « *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* »

Q. 42. *Quid* ex parte *voluntatis* requiratur : — 1°) ad actus *bonitatem* — vel 2°) *malitiam* moralem contrahendam ?

R. Ad 1um) Ut actus sit moraliter *bonus*, bonitas seu honestas debet esse *directe* volita, saltem in actu *exercito*. — Hinc S. Th. (1. 2. q. 19, a. 7) : « *Ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit boni sub ratione boni, hoc est, quod velit bonum et propter bonum.* »

Explanatur. Ratio est ex Bill.: « quia honestas est per se et propter se appetibilis, sicque esse appetendam dictat recta ratio. » Quare nemo laudatur, quod v. g. visitaverit infirmum tantum confabulationis causa ; aut jejunaverit, ut pecuniae parceret ; quia non intenditur formaliter honestas misericordiae aut jejunii. — Non

requiritur tamen, ut intendatur **explicite** et **reflexe**, seu in **actu signato**, v. g. ut dicas aut cogites : volo jejunare, quia honestum est; sed sufficit appeti *implicite* et *aequivalenter*, seu *in actu exercito*, hoc est : actum apprehendi ut decentem, laudabilem, praemio dignum, commendatum a viris piis ; vel specialiter ut opus v. g. misericordiae, temperantiae, justitiae etc., et sic bona intentione fieri.

R. Ad 2um E contra, ut actus sit moraliter *malus*, sufficit malitiam esse *indirecte* volitam.

Explanatur. Ratio est : quia aliter non potest intendi malitia, cum malum non possit appeti nisi ratione boni adjuncti. Unde necesse non est, ut agens tendat in actum, ut malum et inhonestum est : quia sic vix aliquis peccaret, et « *nemo intendens malum operatur;* » — sed sufficit quod intendat actum, cui malitia scitur esse annexa, licet haec secundum se ipsi non placeat : quia hoc ipso virtualiter contemnit legem et indirecte vult malitiam. — Ratio disparitatis est : quod bonum *appeti debet;* malum vero non solum appeti non potest, sed *vitari debet;* non vitatur autem ab illo, qui libere ponit actionem, cui malum est annexum. — Hinc qui se voluntarie inebriat, licet non velit directe ipsam ebrietatis malitiam, sed solam intendat delectationem ex potu, turpiter tamen agit et peccat. — Cfr. Sass.; — Bill.

ART. I. — De primo principio moralitatis seu de objecto actus moralis.

Q. 43. *Quid* sit *objectum*, seu primum moralitatis *principium?*

R. Est id, sive res sit, sive persona, quod *primo* et *per se* attingitur ab actu.

Explanatur. Itaque per objectum hic non intelligitur quidquid objicitur voluntati : sic enim ipsae circumstantiae forent etiam ejus objectum ; sed id quod **primo** et **per se** attingitur a voluntate, quo modo circumstantiae non sunt objectum, quippe quae, ut tales, attinguntur tantum *secundario*. — Objectum autem considerari debet non quidem **physice** : sub quo respectu semper est

bonum, bonitate *naturae* seu *entis;* sed **moraliter** : quatenus ab agente attingitur modo rectae rationi convenienti vel disconvenienti. — Sic objectum furti non est res aliena, prout res est; sed quatenus recta ratio vetat, ne sumatur domino rationabiliter invito; similiter objectum temperantiae non est praecise potus aut cibus, sed potus aut cibus sumptus conformiter ad rationem. — Cfr. Bill.; — Sass.

Q. 44. *Qualis* est *moralitas* quam ex *objecto* desumit actus humanus?

R. Ex S. Th. (1. 2. q. 18. a. 2) est *prima* et *essentialis.*

Explanatur. Ratio ex S. Thom. (l. c.) est : quia « *sicut* **prima** *bonitas rei* naturalis *attenditur ex sua forma quae dat speciem ei; ita et* **prima** *bonitas actus* moralis *attenditur ex objecto conveniente.* » Objectum enim est veluti forma dans speciem actui humano, illumque constituens in determinata specie virtutis aut vitii. Et ita actus amoris ergo Deum ponitur in specie charitatis, quae est virtus theologica; furtum in specie injustitiae, et sic de ceteris. — Confirmatur : quia moralitas quam objectum actioni tribuit ante aliam quamcumque, quae sive ex fine, sive ex circumstantiis provenit, actui convenit, nec potest ab eo abesse, quamvis aliae abessent. — Sic furtum, quod quis in ecclesia committit ad se inebriandum, primario concipitur malum ratione objecti, quatenus est ablatio rei alienae, invito rationabiliter domino; quae injustitia a furto abesse nequit, etiam absentibus fine, qui est ebrietas, et circumstantia loci sacri.

Objicitur. Actus, qui est indifferens ex sua specie, non habet suam primam et essentialem moralitatem ex suo objecto. Atqui dantur actus secundum suam speciem indifferentes. Ergo, non omnis actus humanus desumit ex suo objecto primam et specificam moralitatem.

Resp. *Dist. maj.* Actus indifferens ex sua specie non habet suam primam moralitatem ex objecto in statu indifferentiae manente, *conc.;* in statu indifferentiae non persistente, *neg.* — Sic, cum quis propter salutem ambulat; ex ambulatione, quae est indifferens secundum speciem, et salute, quae quoddam bonum est, unicum objectum integratur, scilet, ambulatio salutaris : et ab hoc

objecto determinato bono, sumit suam primam bonitatem specificam actus volentis propter salutem ambulare. Cfr. Puig et Xarrié.

ART. II. — De secundo principio moralitatis seu de circumstantiis.

Q. 45. *Quid* sint *circumstantiae?*

R. Sunt actionis veluti *accidentia*; sunt enim ex S. Th. (1. 2. q. 7. a. 1) : « *conditiones extra substantiam actus, sed quae aliquo modo attingunt actum humanum;* » id est : aliquid ad ejus bonitatem vel malitiam moralem conferunt. Si enim nihil conferrent, non essent circumstantiae in genere moris. — Sic. v. g. quod furtum fiat manu dextera aut laeva, non est circumstantia : quia impertinenter se habet ad ejus malitiam.

Resolvitur. Itaque **tria** requiruntur, ut aliquid sit circumstantia : 1° Ut actus ille, respectu cujus dicitur circumstantia, sit constitutus in *esse morali,* sive ut jam habeat bonitatem aut malitiam ab objecto suo, independenter ab illa circumstantia : accidens enim praesupponit substantiam. — 2°) Ut illa circumstantia non destruat aut mutet *essentialiter* illud primum esse morale, quod habet actus ex objecto : si enim essentiam actus destrueret, jam non esset ejus accidens. — 3°) Ut illa circumstantia actum *aliquo* modo attingat secundum esse morale; quod fit, dum illa circumstantia aliquid contribuit ad ejus bonitatem vel malitiam augendam aut minuendam in eadem vel diversa specie. — Cfr. Dens.

Q. 46. *Qualem* bonitatem vel malitiam *circumstantiae* tribuant actui humano?

R. Ut patet ex definitione allata, circumstantiae, qua tales, tribuunt bonitatem vel malitiam *secundariam* et *accidentalem,* quia superveniunt actui jam in suo esse morali constituto. — Quae quidem bonitas vel malitia, ex circumstantiis desumpta, aliquando est solum *aggravans,* aliquando *speciem mutans,* prout nempe sunt circumstantiae.

Explanatur. Dixi : **qua tales** ; quia tribuunt quandoque etiam *primam* et *essentialem* bonitatem vel malitiam, quod quidem

duplici in casu contingere potest. — 1°) Quando fit aliquod opus objective indifferens : sic studium ob vanitatem est opus vanae gloriae ; ob lucrum animarum est opus charitatis. — 2°) Quando circumstantia mala est tota ratio quare opus bonum eligatur ; ut si quis jejunet mere ideo, ut laudetur ab hominibus. — Sed tunc circumstantiae, utpote **per se** intentae, inducunt rationem *objecti* in genere moris.

Q. 47. *Quomodo* circumstantiae *distinguantur?*
R. *Triplici* sequenti modo.

Explanatur. 1°) Aliae dicuntur **mutantes speciem,** quae novam addunt bonitatis vel malitiae speciem. Sic circumstantia voti addit actui castitatis specialem religionis bonitatem, et circumstantia personae sacrae actui fornicationis specialem adjicit malitiam sacrilegii. — **2°)** Aliae sunt tantum **aggraventes** vel **minuentes,** — sive **notabiliter,** sive **leviter,** — quae non addunt novam speciem, sed intra eamdem augent vel minuunt bonitatem aut malitiam, — sive notabiliter, sive leviter. — Sic major vel minor quantitas in eleemosyna tradita vel in furto ablata majorem vel minorem reddit eleemosynae bonitatem vel furti malitiam. Sic pariter adest circumstantia notabiliter vel leviter minuens in fornicatione, quod mulier in eam tantum consenserit metu gravi vel levi compulsa. — **3°)** Quod si, loquendo de peccatis, circumstantiae ita notabiliter malitiam aggravent aut minuant, etiam in eadem specie morali, ut de veniali faciant mortale, vel de mortali faciant veniale aut nullum ; tunc actum in aliam **speciem theologicam** transferunt (quatenus haec non ordinem honestatis naturalis, sed ordinem gratiae ac meriti respicit), — et vocantur : vel **in infinitum aggravantes,** quia gratiae et gloriae privationem secum afferunt, qualis est circumstantia gravis damni in levi mendacio praevisi ; — vel, ob rationem contrariam, **in infinitum minuentes,** ut dum quis grave malum alicui imprecatur ex non perfecta deliberatione, aut hominem occidit ad sui necessariam defensionem. ¶

Q. 48. *Quaenam* soleat assignari *regula*, ad dignoscendum,

quandonam circumstantia *malitiam* in eadem specie aggravet *notabiliter* vel *leviter?*

R. *Triplex* assignatur regula.

Explanatur. 1° In materia *quantitativa*, seu quae consistit in numero, pondere et mensura, circumstantia tunc censetur *notabiliter* aggravans, quando **seorsim sumpta sufficit ad peccatum mortale**: ut si quis ultra quinque francos, quos suppono sufficere ad peccatum mortale, furaretur alios quinque. — **2°** In aliis materiis, v. g. *durationc, intensione, exsecutione*, circumstantia censetur *notabiliter* aggravans, dum **notabiliter excedit modum ordinarium** peccandi in istis materiis; ut si quis totam noctem transigeret in impudicitiis cum muliere; per menses et annos perseveraret in odio; inimicum occidisset membratim concidendo, etc. — **3°** Si neutrum ex his occurrat, sed **addatur tantum aliquod augmentum veniale**, circumstantia censetur *leviter* aggravans; puta quod fur praedictus surripuerit alios duos francos; quod post rixam iratus aliquantulo tempore in odio permanserit. — Cfr. Bill.; — Sass.

Q. 49. *Quot* numerentur *circumstantiae?*

R. Ex S. Thom. (1. 2. q. 7, a. 3) *septem* numerantur, hoc Tullii versiculo : « Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. »

Explanatur. 1° Vox **quis** non denotat personam operantem secundum se : sic enim pertinet ad substantiam actus humani; — sed personae operantis conditionem, ratione cujus in aestimatione morali actus vel omissio plus vel minus valet moraliter : v. g. quod sit religiosus, sacerdos, vel laicus, conjugatus vel liber, superior vel subditus. — Saepe actui bono vel malo novam bonitatis vel malitiae speciem adfert : ut si voto ligatus servet continentiam, aut conjugatus fornicetur. — Saepe est tantum aggravans : sic mentiendo, caeteris paribus, gravius peccat religiosus quam saecularis; quia magis peccatum illum dedecet propter statum. — Quod tamen intelligendum est de peccatis cum perfecta deliberatione commissis, non vero ex fragilitate; nam ex S. Thom. (1. 2. q. 75, a. 10) : « *tale peccatum minus imputatur ei qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere.* » —

Similiter auget et bonitatem, si v. g. vir insignis sese humiliet, aut pauper eleemosynam largiatur. — 2°) **Quid** significat non ipsum objectum : hoc enim iterum ad substantiam pertinet; sed accidens illi conjunctum; puta, qualitatem, quantitatem. — Quandoque *mutat speciem :* ut in eleemosyna data *pauperi sacerdoti*, aut in furto *rei sacrae*, in percussione *parentis, clerici*. — Quandoque est *tantum aggravans :* ut si benefacias *pupillis, viduis*, aut laedas plane *innocentem*. — 3°) **Ubi** denotat loci qualitatem conferentem aliquid ad bonitatem vel malitiam actus; ut locus *sacer* respectu furti, fornicationis, homicidii; *publicus* ratione scandali, quo modo peccavit Absolon (2 Reg. XVI, 22), ingrediendo ad concubinas patris sui coram universo Israel; — estque *mutans speciem*. — Si vero turpibus cogitationibus inhaereas in Ecclesia est *aggravans tantum :* quia non repugnat ita sanctitati loci, sicut priora. — Si actus, de se licitus, sit prohibitus in reverentiam loci, v. g. extractio furis ex loco immuni, qualitas loci transit in substantiam et dat primam speciem. — 4°) **Quibus auxiliis** indicat media, imo et homines, quibus utimur ad peccandum; — *mutat speciem*, si v. g. ope magorum usus es ad inducendam in peccatum puellam, aut vestibus sacris ad alterum decipiendum; et ita Simeon et Levi (Gen. XXXIV) peccaverunt peccato sacrilegii, adhibendo circumcisionem ad occidendum Sichimitas; sic etiam peccaret, qui uteretur confessione ad sollicitandum ad turpia; — *aggravat* si sacerdotem induxeris ad mentiendum, aut ad alterum occidendum selegeris arma ad cruciandum exquisita. — 5°) **Cur** indicat finem extrinsecum operantis, de quo speciatim in sequentibus agetur. — 6°) **Quomodo** significat modum accidentalem quo fit actus, intense vel remisse, ex contemptu, levitate, vi, vel dolo, etc. — Aliquando *mutat speciem :* sic violentia facit de simplici furto rapinam et de fornicatione stuprum. — Aliquando *aggravat* aut *minuit :* sic aggravat, si peccasti ex scientia seu ex mera malitia; e contra minuit, si ex gravi metu, forti tentatione, etc. — 7°) **Quando** denotat conditionem accidentalem temporis : ut vel *quantitatem*, si actus diu vel parum duret, puta, an odium longo tempore perduravit; vel *qualitatem*, si peccatum fiat die festo, tempore sacro; — haec tamen circumstantia, per se loquendo, et seclusa directa intentione inhonorandi, non multum

facit ad augendam malitiam, nisi actus de se malus fuerit specialiter prohibitus intuitu temporis sacri, aut per illum divino cultui specialis irreverentia irrogetur, aut scandalum adsit : ut, si quis die veneris sancto exhiberet ludos publicos; sacerdos mox ab altari iret ad fornicandum; statim post communionem te inebries. — Unde per se non debet exprimi, an quis peccaverit etiam carnaliter die festo, vel communionis, aut etiam die veneris sancto. — Estque hoc discrimen inter *locum* et *tempus* sacrum : quod locus propter stabilitatem suam sit capax consecrationis et sanctitatis permanentis; non sic tempus continuo transiens, quod tantum per accidens, ratione mysteriorum vel actionum, quae tunc recoluntur vel fiunt, dicitur sacrum. — Si actus de se non malus isto tempore sit prohibitus, v. g. comestio carnis, tempus transit in objectum. — Cfr. De Lugo *de poenit.* disp. 16, n. 518 seqq.); — Sass.; — Bill.

Q. 50. An circumstantia *leviter mala* totum actum bonum semper corrumpat ?

R. Circumstantia *leviter mala* adveniens actui bono, puta : praecipitatio in agendo, tepor in precibus, inconsideratio aliqua in actione bona, levis indignatio, concomitans vana gloria, aliaeque hujusmodi circumstantiae, quae facile concomitantur actiones nostras, non auferunt totam actus bonitatem, nec consequenter omne meritum : — « *Si secus esset, vix ullus, vel in ipsis Sanctis, reperiretur actus bonus, cum tam facile opus quodlibet bonum circumstantia aliqua leviter mala infici contingat.* » Ita Billuart.

ART. III. — De tertio principio moralitatis seu de fine actuum humanorum.

Q. 51. Quid 1°) *generatim* intelligatur per *finem* ; — et 2°) *quotupliciter* distinguatur?

R. Ad 1um) Finis *in genere*, ut communiter definitur, est *id cujus gratia aliquid fit;* sive, ut docet S. Thom. (1. 2. q. 1, a. 1 ad 1), est id, quod respectu operationum nostrarum, est « *primum in intentione et ultimum in exsecutione.* »

R. Ad 2um) *Multipliciter* distinguitur.

Explanatur. Alius est **intrinsecus**, ad quem opus ex natura sua ordinatur : sic finis intrinsecus eleemosynae est sublevatio pauperis; qui finis etiam vocatur **operis**, et coincidit cum objecto. — Alius est **extrinsecus**, quem agens ex proprio arbitrio sibi proponit, ideoque vocatur finis **operantis**, potestque esse bonus vel malus : v. g. das eleemosynam ad obtinendam remissionem peccatorum vel ex vana gloria. — Hic autem finis *extrinsecus* est : — 1°) *ultimus* vel *non ultimus*, seu *intermedius*, prout in eo sistitur, vel ad alium finem refertur; — 2°) *primarius* vel *secundarius*, prout causa est totaliter ad actum movens, aut mere impellens. — Cfr. Sass.; — Bill.

Nota. Apud scholasticos occurrit etiam divisio, quam et memorat S. Thom. (1. 2. q. 1, a. 8 et q. 2, a. 7 ad 2), in finem **cujus**, finem **quo** et finem **cui.** — 1°) Finis **cujus** seu **cujus gratia**, qui et vocatur finis *qui* seu finis *objectivus* vel *materialis*, est ipsa res quam consequi intendimus. — 2°) Finis **quo**, qui vocatur etiam finis *formalis*, est ipsa consecutio illius rei. — 3°) Finis **cui** est subjectum cui illa res appetitur. — Sic dum paterfamilias laborando intendit acquirere pecuniam pro utilitate familiae, pecunia est finis *cujus*, assecutio pecuniae est finis *quo*, familia est finis *cui*. — Ceterum finis *cujus* et finis *quo* non sunt simpliciter duo fines, sed potius duae partes eumdem finem integrantes.

Q. 52. Ex *quonam fine* actus humanus desumat suam moralitatem?

R. Non ex fine *intrinseco* operis, sed ex fine *extrinseco* operantis.

Q. 53. Quare specialiter dicatur, actus humanos desumere suam moralitatem ex *circumstantiis* et *fine*, cum finis operantis in numero circumstantiarum contineatur.

R. Quia finis est *praecipua* omnium circumstantiarum, utpote praecipue movens in actione; et ideo de eo specialiter tractat S. Thom. (1. 2. q 7, a. 4) et cum eo communiter theologi. — Cfr. Bill.; — Dens.

Q. 54. *Qualis* moralitas desumatur ex fine?

R. Ex fine extrinseco, *qua tali*, desumitur moralitas *secundaria* et *accidentalis*. Nam, *qua talis*, in numero cir-

cumstantiarum continetur, quae primam et essentialem moralitatem dare nequeunt, cum sint accidentia quae actui superveniunt jam constituto in suo esse morali.

Resolvitur. 1° Hinc actus bonus, factus propter finem bonum, habet duplicem bonitatem, unam ex objecto, aliam ex fine; imo tot novas species bonitatis accipit, quot ei diversi fines boni praefiguntur. Sic eleemosyna data pauperi in honorem Dei et simul in satisfactionem pro peccatis, praeter bonitatem misericordiae quam habet ex objecto, etiam ex duplici adjecto fine duplicem acquirit bonitatem, religionis et poenitentiae. — **Resol. 2°**) Hinc, ut scite monet Dens, « pastor aut confessarius, assistens infirmo, eum consolabitur et adhortabitur, ut, quoniam ad multa opera externa virtutum est impotens, atque adeo bona ipsius voluntas apud Deum pro facto reputetur, juxta dicta; ut, inquam, sibi proponat multiplices fines bonos, et excitet plurium virtutum motiva, v. g. ut dolores et afflictiones suas referat, nunc in finem charitatis Dei, ad redamandum Christum pro nobis passum; nunc in finem charitatis proximi, ut Deus velit reducere peccatores ad poenitentiam, pauperes et afflictos confortare, errantes ad viam vocare; nunc dolores suos per horam immotus sustineat pro solamine animarum in purgatorio; nunc ex desiderio martyrii afflictionem et mortem offerat prout fecere martyres, quorum quidam forte tam acerbos dolores non sustinuerunt), pro fidei catholicae dilatatione, S. Matris Ecclesiae exaltatione, etc.; nisi enim hos fines intendat, speciale meritum eorum non acquiret. » — **Resol. 3°**) E contra actus malus propter finem malum habet duplicem malitiam ex eadem ratione; imo tot malitias habet, quot fines mali diversi praefiguntur. Illae autem malitiae aliquando specie diversae sunt : ut si velis furari adulterandi gratia; aliquando vero diversae sunt numero tantum : ut si ab uno velis furari claves et instrumenta, ut alterius pecunias auferas.

Q. 55. Quare in responsione dixeris : ex fine *extrinseco qua tali?*

R. Quia quandoque tribuit etiam *primam* et *essentialem* bonitatis vel malitiae speciem, quod in *duplici* casu contingere potest.

Explanatur. Casus sunt : 1°) Si actus ex objecto **indifferens** refertur in finem bonum vel in finem malum : sic studium ob vanitatem est opus vanae gloriae, ob lucrum animarum est actus charitatis. — 2°) Si actus ex objecto bonus **unice** refertur ad finem malum, ut si quis det eleemosynam *mere* ut laudetur ab hominibus. — Sed tunc finis, utpote per se intentus, induit rationem *objecti* in genere moris. — Cfr. Bill.; — Sass.

Q. 56. An itaque *finis* quilibet *malus* totam actus bonitatem corrumpat ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative*, saltem probabilius, si finis sit **graviter malus.** Nam actus qui a Deo totaliter recedit, nulla ex parte bonus esse potest. — Dixi : saltem *probabilius ;* non desunt enim qui putent cum Duns actum de se bonum relatum ad finem mortaliter malum posse etiam simul esse bonum et malum, si finis bonus et mortaliter malus sint sufficienter disparati : v. g. aliquis infidelis ex sincero misericordiae affectu dat eleemosynam et simul ad honorandum idolum. Fatentur tamen, finem bonum ordinarie non esse sufficienter disparatum a fine mortaliter malo, sed ab hoc, utpote malignantis naturae, plerumque absorberi ; adeoque rarius talem actum dari posse. — 2°) Etiam *affirmative*, si finis *leviter malus* sit finis **primarius** seu causa totaliter motiva actus. — 3°) *Negative*, si finis *leviter malus* sit finis **secundarius** seu causa mere impellens ; et hinc eleemosyna data partim ex misericordiae affectu, partim ob vanam gloriam, actus erit partim bonus et partim malus. — Cfr. S. Thom. (1. 2. q. 18, a. 4).

Resolvitur. Hinc SS. PP., et praesertim Aug., existimant Romanos orbem universum objugare meruisse, ob praeclara gesta ex objecto bona, etsi fine pravo vanae gloriae inficiata.

Q. 57. An *bonitas* finis extrinseci tollat *malitiam* actus ex objecto pravi ?

R. *Negative*, juxta illud : « *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* » Minuit tamen malitiam secundum quid.

Explanatur. Ratio, cur **non tollit** malitiam, est : quia malum est ex quolibet defectu eorum quae actui debentur juxta rec-

tam rationem, nec natura rerum mutari potest. — Hinc si fureris, ut des eleemosynam, actus non est bonus, sed simpliciter malus. — **Minuit** tamen malitiam, quia finis bonus minorem indicat malitiam in voluntate. — Quo sensu ait S. Thom. (2.2.q.110, a.2) : « *Quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacii.* » — Imo saepissime, hac in re, ignorantia, bona fides, simplicitas, omnino excusant a peccato.

Q. 58. An *malus* sit actus, positus *voluptatis* causa ?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative,* si ponatur ob **solam** voluptatem, ita ut quivis alii fines *positive* excludantur. Hoc enim est invertere ordinem ab auctore naturae institutum, juxta quem delectatio est propter operationem et non vice-versa. — Hinc merito damnatae fuerunt ab Innoc. XI sequentes propositiones : sub n. 8 : « *Comedere et bibere usque ad satietatem ob* solam *voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini ; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* » — Item sub. n. 9 : « *Opus conjugii, ob* solam *voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* » — 2°) *Negative* **secus.** Nam, quod ad opus quis moveatur appetitu delectationis, sicut et ad laborem spe praemii seu mercedis, id ordine naturae est consentaneum. Sic enim docet S. Thom. 1.2.q.4, a.2 ad 2) inquiens : « *Divinus intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes.* »

Resolvitur. « Non peccat, ne venialiter quidem, qui delectationem cibi, v. g. vel ludorum, expresse quaerit, etiamsi si actu non cogitet de ulteriori fine, dummodo finem hunc ulteriorem aliqua ratione virtualiter intendat, puta, quia vult generatim in his omnibus honeste se habere, nihilque admittere contra rectae rationis praescriptum, aut quia consuevit ea assumere propter aliquam animi vel corporis utilitatem, etc. » Ita Sabetti.

Q. 59. Utrum necesse sit *dirigere* omnes actiones in *gloriam Dei,* ut moraliter bonae sint, seu non peccaminosae ?
R. *Affirmatium* sententia est communior et verior.

Explanatur. Si enim Deus sit finis ultimus hominis, debet et esse finis ultimus actionum hominis deliberate positarum. —

Constat praeterea ex verbis Apost. (1 Cor. X, 31) : « *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* » — Ubi non merum consilium, sed praeceptum contineri cum SS. PP. docet S. Thom. (in. c. 3, ad Col. l. 3) inquiens : « *Quidam dicunt quod hoc est consilium ; sed hoc non est verum.* » — Ceterum non requiritur relatio *actualis*, neque *virtualis explicita ;* sed sat est, actiones in Deum dirigere **virtualiter implicite** ; quod facere intelligitur, quisquis facit aliquid ob finem alicujus virtutis, vel honestum et naturae rationali consentaneum : in hoc enim Deum implicite intendimus. — Cfr. Bill.

Resolvitur. « Unde, quamvis aliquis accedens ad mensam, non cogitat de conservatione vitae, sed solum de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat, quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitae, sicque non inordinate illam appetit. » Ita S. Lig. (V, n. XLIV). — Quia tamen tanta est humanae naturae imbecillitas, notat pro **praxi** (ibid.) : « Oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei. »

Q. 60. *Quotuplici* modo possit voluntas nostra *conformari* voluntati divinae ?

R. *Multiplici* modo.

Explanatur. Scilicet : — aut 1°) in volito **materiali,** quod est objectum quod Deus vult ; — aut 2°) in volito **formali,** quod est motivum quo Deus vult objectum materiale ; — aut 3°) **positive,** volendo positive id ipsum quod Deus vult et sub eadem ratione sub qua Deus vult ; — aut 4°) **negative** tantum, per non repugnantiam.

Q. 61. *Quomodo* voluntas humana, ut bona sit, DEBEAT *conformari* voluntati divinae ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Tenetur **in omnibus** conformari saltem *negative,* i. e. nunquam licet id quod Deus vult, improbare aut contra illud murmurari : omnia enim disponit sapienter. — **2°)** Tenetur *positive* conformari voluntati divinae in volito **formali** ; nam mo-

tivum divinae voluntatis ultimatim refertur ad gloriam Dei, ad quam voluntas humana, ut recta sit, debet referre omnes suas actiones, saltem virtualiter, ut supra dictum fuit. — 3°) Tenetur etiam *positive* conformari in volito **materiali**, ubi agitur de *praecepto* vel *prohibitione* : nam voluntas Dei praecipiens aut prohibens habet semper annexam voluntatem obligandi hominem ad volendum et agendum quod praecipit, aut non volendum nec agendum quod prohibet. — **Secus** non tenetur. Sic non teneor velle positive seu amplecti virginitatem quam Deus tantum consulit; nec teneor velle omnia mihi nociva quae, Deo volente, mihi accidunt, famem, morbum, mortem parentum, etc., ita ut mihi liceat, quantum possum, illa fugere aut contra conari. — Cfr. S. Thom. (1.2. q. 19, a. 10; et q. 23, de verit. a. 8); — Puig et Xarrié, Ord. Praed.

PARS TERTIA.

DE ACTIBUS HUMANIS SECUNDUM ESSE SUPERNATURALE SEU MERITUM THEOLOGICUM.

Praenotandum. Novatores saec. XVI, Lutherum et Calvinum secuti, tanquam palmare suae doctrinae principium statuerunt : humanam naturam essentialiter et intrinsece fuisse corruptam peccato originali, quod veluti mala substantia jugiter ipsi inhaeret omnesque ejus operationes inficit coinquinatque. Ex quo deducebant : hominem lapsum non justificari *intrinsece*, sed tantum denominative *extrinsece* per imputationem justitiae Christi, quae singulis imputatur, dum singuli Christi justitiam per fidem apprehendunt, credentes scilicet peccata sibi non imputari. — Hinc quoque docent nullum in homine opus simpliciter bonum, sed omnia ejus opera esse peccata, negantque vel justos homines suis operibus, quantumvis ex gratia factis, posse aliquid ad vitam aeternam pertinens apud Deum mereri. — Ad hunc errorem confutandum, heic quaedam de **merito** actuum humanorum sunt dicenda.

CAPUT UNIC. — De merito actuum humanorum. Ubi de quidditate meriti, de divisione meriti supernaturalis, de conditionibus requisitis, deque iis quae possumus alteri mereri.

Q. 62. Quid sit *meritum* seu opus meritorium, — tum 1°) *generatim* spectatum; — tum 2°) *supernaturale* seu in ordine ad vitam aeternam ?

R. Ad 1um) Opus meritorium, *generatim* spectatum, est opus quod dignum est aliqua retributione.

R. Ad 2um) Opus meritorium *supernaturale*, seu *theologicum*, est opus bonum ab homine viatore in obsequium Dei factum, potens movere Deum ad retributionem praemii supernaturalis.

Q. 63. *Quotupliciter* distinguatur meritum *supernaturale ?*

R. Duplex.

Explanatur. 1°) Meritum **de condigno,** quod absolute seu simpliciter meritum dicitur, est illud, quod habet condignitatem et aequalitatem cum praemio; — **2°)** Meritum **de congruo,** quod dicitur meritum *secundum quid*, est illud, cui licet desit talis condignitas, habet tamen congruentiam ad praemium ex liberalitate Dei conferendum, et ideo non semper infallibiliter recipimus, quod de congruo meremur. — Hinc ait S. Thom. (in 2 sent. dist. 27, q. 1, a. 3) : « *Dicitur aliquis mereri* **ex condigno,** *quando invenitur* aequalitas *inter praemium et meritum, secundum rectam aestimationem ;* — **ex congruo** *autem tantum, quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum* liberalitatem *donantis munus tribuitur quod dantem decet.* » Exemplum *utriusque* meriti afferri solet in milite, qui optime se gessit in prelio. Hic enim duplex habet meritum : unum **de condigno,** nempe ad stipendium strenue militantibus statutum; alterum **de congruo,** ut scilicet a rege, praeter ordinarium stipendium, ipsi conferatur aliquod donum, vel dignitatis aut nobilitatis praerogativa : congruum enim est, quod rex erga strenuos milites liberaliter se gerat. — Subdividitur autem meritum *de congruo* in **infallibile** et **fallibile.** — Meritum de congruo *infallibili* est, quod habet infallibilem retri-

butionem fundatam in promissione divina, non quidem justitiae sed liberalitatis. Meritum de congruo *fallibili* est, quod talem non habet annexam promissionem; unde vix differt ab *impetratione*.

Q. 64 Quaenam *conditiones* requirantur ad utrumque *meritum supernaturale?*

R. Inter conditiones requisitas aliae sunt *communes* utrique merito; aliae sunt *particulares* merito *de condigno*.

Explanatur. 1°) Ad **utrumque** meritum, tam de CONDIGNO quam de CONGRUO requiritur : — A) *ex parte merentis*, status **viatoris**, ut tradit S. THOM. (2. 2. q. 13, a. 4 ad 2) : « *Dicendum, quod meritum et demeritum pertineat ad statum viae.* » Cujus ratio est sola Dei voluntas volentis ut tempus merendi finiatur cum tempore vitae, dicente Christo (JOAN. IX, 4) : « *Venit nox, quando nemo potest operari;* » et Apostolo (GAL. VI, 10) : « *Dum tempus habemus, operemur bonum.* » Hinc beati in coelis, et animae in purgatorio, nec sibi nec aliis nunc aliquid merentur; sed orant ipsi pro nobis, et eorum invocamus intercessionem, provocantes etiam ad merita eorum quae sibi, dum viverent, acquisierunt. — Utrum HENOCH et ELIAS adhuc mereantur necne, DD. disputant. — Alii *affirmant;* alii *negant :* quia non vivunt conditione mortali. — B) *Ex parte actus*, tria requiruntur : a) Ut sit **liber**, nedum *a coactione*, sed etiam *a necessitate*, ut tradit S. THOM. (*de malo*, q. 6) : secus non esset actus humanus, estque de fide, ut constat ex prop. damn. in JANSENIO supra (pag. 25); — b) Ut sit **honestus** : secus praemio dignus non esset; et quidem debet esse bonus seu honestus non tantum ratione objecti et circumstantiarum, sed etiam ratione finis, ita ut dici possit fieri in obsequium Dei, saltem virtualiter et implicite; alias non esset ratio, cur ab eo retributio exspectaretur, dicente Christo (MATTH. VI, 1) : « *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (adeoque non in obsequium Dei); *alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est.* » — c) Ut ponatur **ex gratia** : alioquin ad vitam supernaturalem proportionem non haberet. Ut enim docet S. THOM. (1. 2. q. 114, a. 2) : « *Vita autem aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae... Et ind est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meri-*

torii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia *dicitur.* »

2° Insuper ad meritum de **condigno** requiritur : — A) *Ex parte merentis* **status gratiae**, dicente Christo (Joan. XV, 4) : « *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis ;* » et Apostolo (1 Cor. XIII, 3) : « *Si distribuero, etc., charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* » Idem probari potest ex Trid. (sess. VI *de justif.* cap. 16) et ex condemnatione propositionum 12, 13, 15, 17 et 18 inter Bajanas, quarum prior sic habet : « *Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni coelestis meritorium.* » — Ratio ex S. Thom. (1.2.q.114,a.2) est : quia inimicus Dei condigne mereri non potest dona supernaturalia ; unde peccator per contritionem infallibiliter, sed non de condigno meretur remissionem peccatorum. — B) *Ex parte actus* requiritur, ut *in aestimatione morali* sit **aequalis valoris** cum praemio, hoc est : ut, spectata persona praemiantis et conditione operantis, proportionem habeat ad praemium, velut semen in corde liberalissimi remuneratoris, quem magna decet largiri praemia. Itaque non requiritur aequalitas *absoluta*, sicuti invenitur in contractibus v. g. inter pretium et rem emendam ; sed sufficit aequalitas *moralis*, quae dicitur *virtutis* et *proportionis*, sicuti est inter semen et fructum qui ex semine nascitur, seu quam S. Thom. (in 2 sent. dist. 27, q.1, a. 3) vocat « *secundum rectam rationem,* » quatenus opus bonum hominis justi, propter praestantiam suam quam trahit ex dignitate filii adoptivi Dei, a liberalissimo Domino mereatur condigne praemiari. — C) Denique *ex parte Dei* requiritur **promissio** : quamvis enim, independenter a divina promissione, opera illa sint in actu primo meritoria ; cum tamen Deus, utpote supremus Dominus, titulo dominii, et aliis multis titulis, sibi vindicare posset actus omnes nostros bonos ; hinc, ut sint *condigne* meritorii in actu secundo, seu, ut praemium actualiter exigant, necessaria est Dei promissio, qua posita, obligatur ex fidelitate aut justitia large sumpta. — Ad meritum autem de congruo, in quo non invenitur aequalitas cum praemio, nec status gratiae nec promissio requiritur, quia sine his potest esse congruitas ad praemium. — Cfr. Puig et Xarrié, Bill., Sardagna, Perrone, Hurter.

Q. 65. An ad meritum *de condigno* requiratur, ut actus in Deum referatur *ex charitate?*

R. Quamvis auctores gravissimi censuerint, in homine justo omnem actum bonum ex gratia esse meritorium vitae aeternae sine ulla hujusmodi relatione; communior tamen et probabilior sententia cum S. THOM. (1. 2. q. 114, a. 4) postulat, ut opera, saltem virtualiter, in Deum ex charitate referantur. — Quae obligatio juxta S. THOM. (1. 2. q. 100, a. 10, ad 2) sufficienter impletur, quando debitis temporibus actus *charitatis* elicitur. — Cfr. BILL.

Nota. Haec relatio **supernaturalis** minime requiritur, ut actiones nostrae sint **honestae** : secus enim omnia opera infidelium et peccatorum, qui fide vel charitate carent, essent peccata. — Quae doctrina ab Ecclesia damnata est in proscriptis BAII propositionibus : « 25ª *Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia.* » Et « 55ª *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* »

Q. 66. Quid homo *sibi* mereri possit tam *de condigno* quam *de congruo?*

R. Distinctione facta inter *justum* et *peccatorem*, quae de hac re tenenda sunt, ex S. THOM. (1. 2. q. 114, a. 1-10) et communi TT. doctrina ad sequentia revocamus.

Explanatur. Et quidem **1°**) Justus, cooperando divinae gratiae auxiliis, meretur **de condigno** remissionem venialium, augmentum gratiae sanctificantis, vitam aeternam et gloriae augmentum. Et quamvis hoc non sit de fide, quia sub his terminis non fuit definitum, est tamen theologice certum ex Conc. TRID. (sess. VI, can. 32) : « *Si quis dixerit hominis justificati bona opera... non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam,... atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.* » Definiendo enim justos *vere* mereri, per particulam *vere* voluit significare meritum *de condigno*, quod est proprie meritum, non autem meritum cujusdam congruitatis. — **2°**) Primam gratiam sanctificantem non potest quis mereri **de condigno** : quia est principium meriti *de condigno*, cum nihil ante ipsam det condignationem operi; sed principium meriti *de condigno* non cadit sub meritum *de condigno*, ne idem sit prius

et posterius se ipso, causa et effectus respectu ejusdem. — 3°) **De congruo** mereri potest peccator primam gratiam sanctificantem, per actus supernaturales ex fide et gratiae auxilio factos : quia status peccati non impedit meritum *de congruo ;* dicitur enim (Dan. IV, 24) : « *Peccata tua eleemosynis redime.* » Itaque peccator per actus bonos : orationem, jejunium, eleemosynas, etc., praesertim si ea referat ad obtinendam veniam peccatorum, meretur gratiae auxilia, ut peccata vitet, et tandem auxilium proxime sufficiens ad ultimam dispositionem pro justificatione. Hinc peccatores consuetudinarii animandi sunt, ut instent orationi, et alia opera bona frequentent, ad impetranda divinae gratiae auxilia ; idemque est de haereticis in ordine ad illuminationem fidei. — 4°) Gratiam primam actualem seu excitantem nemo mereri potest : quia hoc meritum esset sine gratia ; ergo esset naturale, sed tali non debetur praemium supernaturale cui est improportionatum. — 5°) Justus non potest **de condigno** mereri gratiam finalem seu donum perseverantiae : quia Deus illam non promisit, nec proposuit, ut praemium ullis operibus reddendum. Hinc Scriptura monet (Philip. II, 12) : « *Cum metu et tremore vestram salutem operamini ;* » et (1 Cor. X, 10) : « *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* » — Neque justus mereri potest, nequidem *de congruo* **infallibiliter,** reparationem post lapsum futurum : quia mortaliter peccans quasi retractat omnes bonas voluntates, ideoque dicitur (Ezech. XVIII, 24) : « *Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur ;* » **fallibiliter** tamen mereri potest, et sic orat David (Ps. LXX, 9) : « *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* » — 6°) Gratiam finalem justus mereri potest **de congruo** : patet ex orationibus Ecclesiae et praxi fidelium illam petentium ; non meretur tamen **infallibiliter,** quia deest divina promissio. — Cfr. Puig et Xarrié, Bill., Sard., Perr., Hurt.

Objicitur 1. Vita aeterna in Scripturis passim vocatur *haereditas, gratia, misericordia.* Ergo nullus eam potest mereri.

Respondetur. *Dist. ant.* Sic vocatur *etiam* conc.; *unice* neg.: nam aperte dicitur : *corona justitiae, bravium, merces,* quia datur ob merita. — Ideo autem vocatur *haereditas,* quatenus datur filiis adoptivis ; dicitur *gratia* et *misericordia,* quia merita nostra profluunt ex gratia, quia Deus misericorditer et gratuito promisit

operibus bonis vitam aeternam. **Objicitur 2.** Si hominibus concedantur merita, fit Christo injuria et obscuranter ejus merita.

Respondetur. *Neg. ant.* Tantum abest, ut merita justorum obscurent Christi merita, ut haec potius illustrentur. Tanta enim horum est virtus, ut non solum obtinuerint hominibus gratiam, sed et ipsam virtutem merendi. Hinc sicut foecunditas palmitum non obscurat vitis foecunditatem, sed hanc potius manifestat, ita et justorum merita virtutem Christi vitis patefaciunt. **Objicitur 3.** Qui potest mereri finem, potest mereri media necessaria ad illum obtinendum. — Atqui, perseverantia est medium necessarium ad obtinendam vitam aeternam, quam homo potest mereri *de condigno*. — Ergo, homo potest mereri *de condigno* perseverantiam.

Respondetur. *Neg. maj.* universaliter sumptam. — Nam prima gratia sanctificans est necessaria ad vitam aeternam obtinendam; et tamen primam gratiam sanctificantem nequimus mereri *de condigno*, ut diximus (pag. 70). Sufficit ergo, quod media ad finem consequendum necessaria possimus habere, etsi non semper ea valeamus mereri : vel quia non sunt proposita nobis a Deo tamquam merces, vel quia aliud obstat.

Q. 67. Quid possit homo mereri *alteri?*

R. 1° Nemo, praeter Christum, aliquid *de condigno* alteri mereri potest. — 2° Justus mereri potest *de congruo* alteri gratias excitantes, quibus ipse sibi primam gratiam acquirat et ulteriora gratiae auxilia : v. g. parvulo applicationem baptismi, adulto congruam vocationem ad fidem et contritionem. — Ad merendum tamen alteri, requiritur *applicatio;* sufficit autem *habitualis,* cum sit species donationis.

Explanatur. Ex S. Thom. (1.2.q 114, a. 6) ratio utriusque est : Quoad **primum** : quia gratia puro homini collata est particularis ipsumque movet ad propriam perfectionem et salutem, non vero ut alios justificet; id namque proprium est gratiae capitis et universalis, qualis fuit in Christo, quae secundum praesentem providentiam nulli particulari justo conceditur. — Quoad **secundum** : quia cum homo in gratia constitutus, Deo gratus et amicus, impleat ejus voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat voluntatem hominis in salvatione alterius, modo

non adsit impedimentum ex parte illius cujus aliquis justus justificationem desiderat; et ideo illud meritum non semper *infallibiliter* impetrat, juxta illud Jerem. (XV, 1) : « *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* »

Resolvitur. 1°) Opera nostra bona prosunt aliis, (si iis, dum fiunt, applicentur, saltem habitualiter), non tantum quoad vim *impetratoriam*, sed et *satisfactorium*. — Probatur **1um**) ex Scrip. (Rom. XV, 30) : « *Obsecro ergo vos, fratres,... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* » Et (Jac. V, 16) : « *Orate pro invicem, ut salvemini.* » Et ut intelligeremus orationem istam esse meritoriam de congruo, subjungitur : « *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* » — Nec desunt exempla quae id confirmant. Sauli enim conversionem impetravit Stephanus, dicente S. Aug. (Serm. 382 de Sanct.) : « *Si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet.* » Ac ipse Aug. suam conversionem, Monicam matrem suam suis precibus impetrasse, testatur (l. 3 Conf. c. xi), adeo ut, prout ipse refert, matri ubertim pro se flenti dixerit quidam episcopus : « *Vade a me, ita vivas : fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* » — Probatur **2um**) : Si enim satisfactiones superfluae justorum reponantur in thesauro Ecclesiae et dispensentur fidelibus per indulgentias; cur non ipsi fideles, eas, dum fiunt, aliis applicare poterunt? — Postquam autem opus factum est vel applicatum, operans de eo amplius disponere non potest. — **Resol. 2°)** Praelati regulares possunt alicui benefactori concedere communionem orationum, jejuniorum, vigiliarum aliorumque bonorum operum, quae fiunt in isto monasterio vel religioso ordine. Ratio est : quia Praelatus est caput suorum subditorum; ergo, sicut singuli hoc possunt privatim, sic et ille qua caput, cui se membra conformare censentur. — **Resol. 3°)** Preces ministri Ecclesiae etiam mali exaudiuntur, dum Deum orat in sacrificio missae, in administratione sacramentorum, in officiis publicis : fiunt enim nomine Ecclesiae, cujus preces Deo placent, licet fundantur per os sacrilegum mali ministri. Deinde per ministrum Ecclesia sua desideria repraesentat Deo, adeoque ab Ecclesia oratio ministri accipit dignitatem et efficaciam ad impetrandum.

Q. 68. *Quotuplicis* generis sint opera bona *ex gratia* facta?

R. *Triplicis* generis, ut sequitur ex dictis. — 1°) *Opera*

viva, seu facta in statu gratiae sanctificantis. — 2°) *Opera mortificata*, quae quidem in statu gratiae peracta sunt, sed meritum omne per subsequens peccatum mortale amiserunt; recuperata autem gratia sanctificante, reviviscunt. — 3°) *Opera mortua*, quae fiunt in statu peccati mortalis. Haec autem vitae aeternae praemium non habent; attamen ad meritum *de congruo* prodesse possunt.

Scholion. Pro coronide hujus materiae, relate ad **bona temporalia**, addimus cum S. Th. (1. 2. q. 114, a. 10) : « *Quod si temporalia bona considerentur, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam aeternam, secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub merito.* » — « *Si autem considerentur... secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid, et ita non simpliciter cadunt sub merito*, quod respicit solam vitam aeternam et ea quae ad illam conducunt, *sed secundum quid* : » quatenus attenta Dei bonitate et liberalitate, congruum aliquo modo videtur, quod operibus moraliter bonis bonum aliquod reddat ejusdem ordinis. Unde Aug. (l. 5 de civ. c. 15) observat Romanis propter quosdam bonos eorum mores, mercedem temporalem fuisse redditam. — Cfr. supra (pag. 62).

DE CONSCIENTIA

SEU

de regula proxima et intrinseca actuum humanorum.

PRAEAMBULUM. Quae ad praesentem Tractatum pertinent, in **tribus capitibus** absolvemus. Dicemus : 1°) de quidditate et divisione conscientiae; 2°) de speciebus conscientiae ex parte *objecti*; 3°) de speciebus conscientiae ex parte *subjecti*.

CAP. I. — De quidditate et divisione conscientiae.

Q. 1. Quid *proprie* sit *conscientia?*

R. Est judicium seu dictamen intellectus practicum, dictans aliquid in particulari, seu hic et nunc, posse vel debere fieri, quia bonum vel praeceptum, aut omittendum esse, quia malum. — Seu brevius : *Judicium intellectus practicum de moralitate actionis hic et nunc a nobis ponendae.*

Explanatur. Dicitur 1°) **Judicium** : quia conscientia non est potentia vel habitus, sed *actus*. Patet : — tum ex ipso nomine, dicente S. Thom. (P. 1, q. 79, a. 13) : « *Conscientia enim secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiae ad aliquid, nam conscientia dicitur* cum alio scientia. *Applicatio autem scientiae ad aliquid fit per* actum. » — Tum quia potentia non potest deponi et habitus est difficile mobilis; conscientia vero deponi potest et facile mutatur. — Nec obstat, quod actus transeat, conscientia vero dicatur permanere in nobis non agentibus : quia, licet dictamen conscientiae secundum praesentiam actualem transierit, remanet tamen virtualiter, quamdiu non deponitur; praeterea, ut notat S. Th. (l.c.) remanet in suis causis, quae sunt habitus, et praesertim in *synderesi*, de qua illico. — Dicitur 2°) **intellectus,** non autem *voluntatis*, ut vult Durandus. Conscientia enim praeit voluntati ipsique significat quid in casu particulari bonum aut malum sit et ita amplectendum vel fugiendum, quod evidenter ad facultatem cognoscitivam pertinet. — Quod si conscientia dicatur bona vel mala et inquinata, id intelligendum est, non quidem *formaliter* et *subjective*, quasi ipsa sit subjectum bonitatis vel malitiae, sicque ad voluntatem pertineret; sed duplici alio sensu, videlicet : sive *directive*, quia dirigit bona vel mala opera ; sive *analogice*, per comparationem ad bonitatem vel malitiam voluntatis quae est in conscientia sicut cognitum in cognitione, in quantum scilicet, ut docet S. Th. (q. 27 de verit. a. 1 ad 5) : « *per conscientiam examinantem utrumque cognoscitur.* » — Dicitur 3°) **practicum,** non vero speculativum : quia conscientia non sistit in contemplatione, sed proxime dirigit in ordine ad exsecutionem. — Quo circa notandum est : triplicem distingui actum intellectus practicum. — 1^mus^ est, quo assentimur principiis universalissimis agibilium, v.g. bonum est faciendum, malum fugiendum; hic actus producitur a *synderesi*, quae est habitus primorum principiorum practicorum,

inclinans ad assentiendum principiis universalissimis practicis. — 2us est judicium universale ex his principiis deductum, v. g. ergo furtum, utpote malum, est fugiendum, vocaturque judicium *speculativo-practicum* : quamvis enim sit de agendis, non tamen est de agendo hic et nunc ; adeoque non est proxima regula actionis humanae ; actiones enim sunt singularium. — 3us est judicium particulare, quo judicamus, omnibus ponderatis, hic et nunc aliquid esse bonum vel malum et ita amplectendum vel fugiendum, v. g. ergo hoc vel illud, quia furtum, non licet ; vocaturque judicium *practico-practicum* seu simpliciter *practicum*. — Hoc autem differt a judicio *ultimo practico*, quod subsequitur conscientiam, et saepe conscientiae est contrarium, cum dictet solum aliquid hic et nunc esse agendum vel omittendum, non vero an sit licitum vel illicitum. Exemplificatur in illo, cujus conscientia dictat furtum esse illicitum, et qui tamen judicio ultimo practico resolvit, illud esse a se perpetrandum. Exemplum quoque habemus in Pilato, cujus conscientia dictabat Jesum, utpote innocentem, a morte esse servandum ; et qui tamen, timens clamores Judaeorum, Jesum tradidit voluntati eorum. — Dicitur 4° **de moralitate** seu bonitate vel malitia **actionis hic et nunc a nobis ponendae** ; quibus verbis significatur objectum specificum conscientiae proprie dictae. Est enim bonitas vel malitia actus humani, non quidem in genere et speculative, — sed A) *in individuo* sumpti, i. e. cum fine et omnibus aliis circumstantiis ; — non praeterea quatenus jam praeteriit, sed B) quatenus adhuc futurus seu *ponendus* ; — et quidem non ab alio, sed C) ponendus *a nobis*, quia dictamen conscientiae proprios tantum actus respicit, non vero alienos. Cfr. Bill. ; Sass.

Resolvitur 1. Quam modo attulimus, est definitio conscientiae **proprie** seu **stricte** dictae, prout scilicet est praeco legis aeternae seu regula intrinseca, a qua proxime derivatur moralitas seu bonitas vel malitia actionis humanae (pag. 47). Quo sensu vocatur etiam conscientia **antecedens** : quia, cum sit norma, juxta quam componendi sunt actus humani, necessario ipsos praecedere debet. De hac conscientia, quae sola est agendorum regula, hic agimus. — **Resol. 2.** Conscientia **improprie** seu **late** sumpta, diversimode accipitur ex S. Th. (P. 1. q. 79, a. 13). — Nimirum sumitur : — A) pro ipsa hominis *anima* seu *mente*,

juxta illud (Hebr. IX, 14) : « *Sanguis Christi... emundabit conscientiam vestram;* » — B) pro judicio de actibus *praeteritis* in individuo sumptis, et dicitur tunc conscientia *consequens*, qua judicamus : — vel a) nos aliquid fecisse vel non fecisse, et eatenus conscientia dicitur *testificari*, secundum illud (Eccles. VII, 23) : « *Scit conscientia tua, te crebro maledixisse aliis;* » — vel b) nos bene vel male fecisse quod fecimus, et eatenus dicitur *excusare*, vel *accusare* seu *remordere*, juxta illud (2 Cor. I, 12) : « *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae;* » item (Isa. LXVI, 24) : « *Vermis eorum non morietur.* » — **Resol. 3.** Optime faciunt pastores animarum, ubi aliquando docent populum, formalem actuum bonitatem vel malitiam repetendam esse ab **antecedente** conscientia, quae est regula proxima agendorum; non vero a **consequente**, quae actum in suo esse morali jam constitutum supponit. Decipiuntur enim saepius rudes qui, dum legunt libros, vel conciones audiunt, judicant se in quibusdam peccasse, quamvis de malitia illorum actuum inter agendum numquam cogitaverint aut fuerint suspicati. — **Resol. 4.** Conscientia in tota sua latitudine sumpta, prout nimirum est **antecedens** et **consequens**, i. e. dictans de actibus futuris et praeteritis, definiri debuisset : Judicium rationis practicum dictans aliquid in particulari esse vel fuisse faciendum ut bonum, vel fugiendum, ut malum. — Seu brevius : *Judicium intellectus practicum de moralitate actionis hic et nunc a nobis ponendae seu jam positae.*

Q. 2. Quaenam sit *differentia* inter *synderesim* et *conscientiam?*

R. Est haec : — prima est *habitus*, secunda est *actus;* — prima est regula morum *remota :* proponit enim principia practica generalia; secunda est regula morum *proxima :* nam eadem principia applicat ad casum particularem; — prima est regula *infallibilis :* quia est de principiis per se notis; secunda est regula *fallibilis :* quia fieri potest et saepe fit, quod male applicet principia bona.

Resolvitur 1. Conscientia **antecendens** seu **proprie dicta** est conclusio syllogismi practici. — Majorem ponit synderesis : v. g. *malum est fugiendum.* — Minorem submittit ratio : v. g.

adulterium est malum. — Conclusionem infert conscientia : *ergo mihi hic et nunc fugiendum est adulterium.* — **Resol. 2.** Conscientia est regula morum **proxima,** non quidem ratione sui, quatenus sit per se obligans ; sed quia applicat regulam remotam in casu particulari, ita ut, posita conscientia, lex fiat vere practica seu vivens ; semota autem conscientia, lex remaneret mere speculativa atque in praxi seu quoad actus in individuo sumptos, esset quasi non exsisteret. Unde conscientia respectu actionum nostrarum nihil aliud est quam intimatio seu promulgatio et applicatio legis divinae ad hic et nunc operandum, seu ut habet S. Thom. q. 17 de verit. a. 3 « *perventio legis divinae ad eum qui conscientiam habet.* » — **Resol. 3.** Sicut in speculabilibus potest esse conclusio falsa, sive quia deducitur ex principiis falsis, sive quia contra formam syllogisticam male infertur ex principiis veris ; — ita in practicis : quia licet synderesis errare non possit circa sua principia generalia per se nota, ratio tamen potest errare circa principia propria et particularia quae adhibet ad inferendam conclusionem practicam. — Sic si quis dicat ex synderesi : *obediendum est semper Deo praecipienti ;* et ratio subsumat : atqui *Deus praecipit succurrere proximo periclitanti ;* Ergo *teneor hic et nunc mentiri ad salvandam vitam proximi.* Haec conclusio seu conscientia est falsa defectu formae syllogisticae : quia vox *praecipit* in minori non satis explicatur. — Si tamen error foret invincibilis, conscientia esset quidem speculative falsa, sed practice recta. — Cfr. Bill.

Q. 3. *Quotuplici* modo dictet conscientia ?

R. *Triplici* modo.

Explanatur. Vel 1°) dictat sub **praecepto,** i. e. sub *peccato,* aliquid esse faciendum vel omittendum ; — vel 2°) dictat sub **consilio,** i. e. *pro meliori esse,* aliquid faciendum vel omittendum, ut non nubere ; — vel 3°) dictat aliquid neque praecipi, neque prohiberi, sed esse **permissum,** ut in se indifferens.

Q. 4. Quomodo *distinguatur* conscientia ?

R. 1°) Ex parte *objecti,* distinguitur : in *rectam, erroneam,* et *perplexam.* — 2°) Ex parte *assensus,* dividitur : in *certam, dubiam, probabilem, scrupulosam* et *laxam.*

Nota. Rigorose loquendo, conscientia **dubia,** non est conscientia proprie seu stricte dicta. — Patet ex ejus definitione : quia essentialiter est dictamen intellectus practicum, dictans agentem licite aut illicite, honeste aut inhoneste agere. Unde actus humanus in individuo numquam dubie, sed semper vere licitus est vel illicitus, honestus vel inhonestus.

CAP. II. — De speciebus conscientiae ex parte objecti seu de conscientia recta, erronea et perplexa.

Q. 5. Quid 1°) sit conscientia *recta* seu *vera* ; — et 2°) *quotuplex* distinguatur ?

R. Ad 1um) Est illa : « *quae dictat rei veritatem.* » Ita S. Alph. (H. A.). Aliis verbis cum Bill. : « *quae ex principiis veris dictat aliquid in particulari esse licitum vel illicitum, quod est revera tale.* »

R. Ad 2um) Passim *duplex* distinguitur, videlicet : potest esse — 1°) *speculative* et *practice recta* ; — 2°) *practice tantum recta.* — Prima est : quando quod dictat revera est tale, tum ex parte rei, tum ex parte rationum, qualis erat conscientia Jacobi accedentis ad Rachelem ; — secunda : quando quod dictat tale est ex parte rationum et non ex parte rei, et sic practice tantum recta fuit conscientia Jacobi accedentis ad Liam, dum putabat esse Rachelem.

Explanatur. Qui conscientiam **rectam** seu **veram** *dupliciter* distinguunt, provocant ad S. Thom. (1. 2. q. 57, a. 5 ad 5), ubi *duplex* **verum** distinguit : — unum *speculativum,* quod « *accipitur per conformitatem intellectus ad rem,* » ita ut intellectus accipiat et enuntiet rem sicuti est ; — alterum *practicum,* quod « *accipitur per conformitatem ad appetitum rectum,* » ita ut intellectus concipiat et enuntiet quod est conforme appetitui recto, utpote fundatum in prudenti ac firma existimatione rei, ex gravibus motivis orta. — Unde quoque allatam definitionem conscientiae rectae seu verae ita intelligunt : *quae ex principiis veris,* sive vera sint in se, sive, licet falsa, invincibiliter existimentur vera, *dictat aliquid in particulari esse licitum vel illicitum quod est revera tale,* sive secundum quod est, sive secundum quod prudenter apprehenditur. — Verum

in hac sententia, conscientia *practice tantum recta* nihil aliud est quam conscientia *invincibiliter erronea*, de qua postea. Et ideo « *ejusmodi distinctio non videtur hic satis quadrare*, » ait Reiffenst. (*Theol. Mor.* t. I, de cons.)

Q. 6. *Quid* et *quotuplex* sit conscientia *erronea ?*

R. Est illa : « *quae dictat falsitatem.* » Ita S. Lig. (H.A.); seu, aliis verbis, cum Bill. : « *quae ex falsis principiis, reputatis tamen veris, dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod non est revera tale.* » — Si haec falsa principia vera reputantur invincibiliter, conscientia dicitur *invincibiliter erronea*; si autem vincibiliter, dicitur *erronea vincibiliter*.

Q. 7. An *liceat* agere *contra* conscientiam ?

R. Nunquam licet agere contra conscientiam, quae dictat *sub praecepto*; sive sit conscientia *recta*, sive sit conscientia *erronea*, etiamsi *vincibiliter* erret : quia agens tunc facit id quod judicat malum, licet in se malum non sit, adeoque peccat. — Ut tamen quis contra conscientiam erroneam agendo peccet, debet actio ipsius esse *libera*. — Hinc si constitutus in carcere judicet se peccare non audiendo Missam, non ideo peccat; sicut nec ille qui distractiones involuntarias in oratione judicat esse peccata : quia omne peccatum requirit libertatem. — Cfr. Bill. ; — Sass.

Explanatur. Dictum est : **quae dictat sub praecepto,** i. e. si sit *praecipiens* aut *prohibens;* quia, si dictaret aliquid esse tantum *de consilio,* aut mere esse *permissum,* contra eam agere non foret illicitum : non enim tenemur facere quod nulla lege praecipitur, nec omittere quod nulla lege prohibetur. — Secus dicendum, si dictet *sub praecepto ;* si enim juxta illud (Rom. XIV, 23) : « *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est,* » peccat ille, qui non operatur *ex fide*, i. e. ut communiter interpretantur SS. PP. apud S. Thom. (lect. 2 in loc. cit.) ex credulitate, persuasione seu judicio conscientiae, quod licite agat; a fortiori peccat ille, qui agit id quod conscientia dictat esse illicitum, aut omittit quod dictat esse praeceptum. — Nec obstat, quod conscientia sit erronea, adeoque legi aeternae contraria : non enim dirigimur lege aeterna ut con-

sideratur in se, sed ut consideratur in ejus apprehensione per conscientiam, quae est regula proxima actuum humanorum, secundum quam mensuratur eorum esse morale.

Resolvitur 1. Cum S. Thom. (1. 2. q. 19, a. 3) dicendum est : « *Quod simpliciter* **omnis voluntas discordans a ratione,** *sive recta sive errante, semper est mala.* » — **Resol. 2.** Pro praxi recte notat Dens : « *Observent* **confessarii, concionatores aliique animarum directores,** *ne proponant tanquam praecepta, quae praecepta non sunt; et quae tantum sunt venialia, tanquam mortalia; ne praebeant occasionem alicui peccandi contra conscientiam.* » Quod monitum imprimis valet pro **Moralistis,** ne in quaestionibus inter DD. disputatis, pro lege seu sententia severiori *certo* pronuntient, contra libertatem seu sententiam benigniorem. — « *Hinc animadvertatur,* ait S. Lig. (V, 52) *in quale discrimen se immittant illi, qui rigidam doctrinam sectantes, facile damnant homines de peccato mortali in iis, quibus gravis malitia* EVIDENTI RATIONE *non apparet, eos sic exponendo periculo damnationis aeternae; et idem dicendum de iis, qui de facili notam laxitatis imurunt sententiis, quae aperte* IMPROBABILES *non videntur.* » — Quae omnia plane concordant cum doctrina S. Thom. (Quodl. 9, a. 15) edicentis : « *Omnis quaestio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* » Cujus rationem paulo post adducit, quia nempe : « *error quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale.* » — **Resol. 3.** Casu quo homo simplex se accuset de omissione v. g. Missae, dicendo se audire non potuisse, attamen judicasse, quod peccaret non audiendo ; si hic absolute audire non potuit, quia v. g. erat in loco, ubi non legebatur Missa, aut gravi morbo decubuit, non peccavit : quia omissio non erat libera ; si vero absolute audire potuit, sed ob justam causam non tenebatur, et nihilominus practice judicavit se omittendo peccare, peccavit contra conscientiam : quia auditio erat ipsi simpliciter possibilis et practice judicabat se ad eam teneri. — Cfr. Sass. ; — Reiff. — Sanchez (l. 1 in decal. c. 11, n. 5).

Q. 8. *Quale* peccatum sit agere *contra* conscientiam ?

R. 1°) Agere *contra* conscientiam, sive rectam sive erroneam, si dictet *sub peccato*, est peccatum ejusdem *speciei* et

gravitatis, quam dictat conscientia. Ratio est, quia actus voluntatis specificantur ab objectis suis, non prout sunt in se, sed prout proponuntur ab intellectu, et prout voluntas in illa tendit (p. 53 seq.). Unde dicit S. THOM. (lec. 2 in c. XIV ad Rom.): « *Actus judicantur secundum voluntatem agentium.* »

Resolvitur 1. Hinc qui copulam habet cum soluta, putans esse uxoratam, adulterium committit. Qui putat esse jejunium dum non est, peccat contra temperantiam, si non jejunet. Qui putat mentiri in aliquo casu esse mortale, peccat mortaliter mentiendo, licet in se sit veniale tantum. — **Resol. 2.** *Per se* loquendo, agere contra conscientiam sive rectam, sive erroneam, non est speciale peccatum : quia conscientia nullam per se imponit obligationem, sed tantum proponit obligationem alicujus praecepti aut virtutis, nec aliter peccatur contra conscientiam, nisi quatenus agitur contra legem vere vel erronee apprehensam exsistere. — *Per accidens* tamen agere contra conscientiam potest esse peccatum speciale seu distinctae speciei, ut si quis contra conscientiam ageret, ut eam paulatim exstingueret : quia tunc virtualiter contemneret regulam omnis bonae operationis, et consequenter exponeret se periculo omnis peccati.

R. 2°) Quod si conscientia dictet aliquid esse peccatum, *non cogitando*, nequidem confuse, *an veniale? an mortale?* — tunc *distinguendum est.*

Explanatur. A) Si operans ita constitutus sit, ut agere velit, sive sit mortale, sive veniale ; aut advertat periculum peccati gravis, peccat *mortaliter :* sic enim indeterminate amplectitur mortale, et se illius periculo exponit. — Idem est, si advertat ad obligationem gravem magis inquirendi in veritatem et negligat inquirere ; quod maxime verum est apud doctiores, qui obligationem inquirendi solent apprehendere ; non sic rudes et pueri. — B) His praecisis, probabilius peccat tantum *venialiter :* quia ad mortale requiritur advertentia malitiae gravis vel in se, vel in periculo. Deinde, dum tantum apprehenditur malitia abstracta et communis mortali et veniali, non apprehenditur malitia major veniali : ergo sic operans non est positive indifferens ad utramque, sed tantum

ad illam, quae non excedit veniale, et malitia sic cognita est negative levis in ejus mente. Nec qui se exponit periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter, nisi tale periculum saltem confuse advertat. — In praxi qui non solet facile consentire in mortale, praesumere potest se non satis advertisse, nisi constet de opposito.

Nota. Haec intelligenda sunt de qualitate peccati quod praecise contrahitur ex eo, quod actio fiat **contra** conscientiam : nam si quis ex conscientia **vincibiliter** erronea repraesentat sibi id quod facit esse veniale cum tamen sit mortale, is reipsa peccat mortaliter : quia, ratione ignorantiae culpabilis, malitia quae reipsa est in opere, censetur esse *interpretative* seu *indirecte* voluntaria. Unde qui furatur aurum, putans vincibiliter esse veniale, adhuc peccat mortaliter. — Cfr. Bill.

Q. 9. Si conscientia *ex errore* dictet aliquid esse praeceptum vel prohibitum *sub censura*, an operans contra illam incurrat *censuram ?*

R. *Negative :* quia poenae feruntur contra violatores legis *verae*, non *putativae*. — Hinc qui celebrat, falso putans se excommunicatum, non incurrit irregularitatem; nec qui percutit laicum, putans eum esse clericum, incurrit excommunicationem; licet uterque committat sacrilegium : quia lex existimata est ejusdem speciei, ac lex exsistens.

Q. 10. An teneamur *sequi* seu agere *juxta* conscientiam ?

R. 1°) Tenemur sequi conscientiam praecipientem seu prohibentem, si sit *recta* seu *invincibiliter erronea :* quia voluntas tenetur se conformare regulae proximae actionum humanarum, etiam putatae.

Resolvitur. Hinc qui **invincibiliter** judicat se hic et nunc sub peccato mortali teneri ex charitate mentiri ad conservandam alterius vitam, tenetur mentiri, et non mentiendo peccat contra charitatem.—Imo, mentiendo in casu, probabilius ex S. Lig. (I, 6) merebitur praemium apud Deum : non quidem praecise per mendacium; sed quia mentiendo voluit exsequi divinam voluntatem, quae exsecutio in tali casu bona est. In quam sententiam conspirat S. Thom. (Quodl. III, a. 27) inquiens : « *Actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur ; et non secundum materiale objectum actus.* »

R. 2°) Si vero conscientia sit *vincibiliter erronea*, et dictet aliquid esse praeceptum quod est prohibitum, vel e contra, — *distinguendum est.*

Explanatur. A) vel enim agitur de errore *actualiter* **vincibili,** ut habetur in illo qui hic et nunc aliquo modo advertit aut suspicatur de necessitate inquirendi, priusquam agat; — B) vel agitur de errore *antecedenter* quidem vincibili, **actualiter** autem **invincibili,** utpote quem in praesens quis amplius non advertit, ut si v. g. confessarius olim non satis Theologiam excoluit, aut hujus studium nimis diu ex negligentia intermisit. — In **primo** casu non licet sequi conscientiam : quia agens cum ea errat voluntarie, quum ex hypothesi error sit vincibilis. — In **secundo** casu non peccat ille qui talem conscientiam hic et nunc sequitur; peccavit tamen olim, quando omisit moralem adhibere diligentiam ad ignorantiam vincendam.

R. 3°) Si conscientia *vincibiliter* erronea dictet aliquid esse praeceptum, quod tale non est, *modo non sit prohibitum*, licitum est eam sequi : v. g. vincibiliter judicas in die cinerum audiendam esse Missam, potes, non deposita conscientia, audire.

Q. 11. Utrum *gravius* sit agere *contra* conscientiam *vincibiliter* erroneam, quam eam *sequi?*

R. *Affirmative,* CAETERIS PARIBUS.

Explanatur. Ratio est : quia gravius est peccatum quod fit ex scientia, quam quod fit ex ignorantia etiam culpabili; haec enim, nisi forte sit *affectata,* minuit voluntarium, adeoque et peccatum (pag. 39 seq.). — Dixi : **caeteris paribus**; quia attendenda est gravitas materiae ex utraque parte, et quomodo quis apprehenderit legem; sic si vincibiliter judices esse mentiendum pro conservanda vita, si mentiaris, peccas leviter peccato mendacii officiosi; si non mentiaris, reus es homicidii contra charitatem; si judices esse in hunc finem pejerandum, gravius est, falsum jurare.

Q. 12. *Quid* sit conscientia *perplexa?*

R. Est illa, qua quis putat se peccare, tam si hanc, quam si illam contradictionis partem eligat, et tamen unam illarum

eligere debet ; — seu brevius cum SASSERATH : « *quae judicat inesse peccatum utrique oppositorum, quorum tamen unum necessario fieri debet ;* » v. g. die festo assistens moribundo judicas te peccare, si infirmum deseras pro audienda Missa, et pariter judicas te peccare, si maneas et Missam non audias. — Est ergo species conscientiae *erroneae*.

Q. 13. Quid agere *debeat*, qui laborat conscientia *perplexa?*

R. 1. Sapientes seu libros consulere debet, si potest. Secus conscientia perplexa evaderet *vincibilis*, et agens peccaret, quidquid ageret : quia error seu perplexitas foret ipsi voluntaria in omissione diligentis inquisitionis. — 2. Si non potest, minus malum eligendum erit, evitando potius transgressionem praecepti naturalis, quam humani aut divini positivi. Quo casu non peccabit : quia facit quod in se est ad vitandam peccatum. — Si autem eligat quod credit majus malum, peccabit, non quidem tota malitia quae apparet in actione, (quia cum tota vitari non possit, tota non est libera), sed juxta excessum malitiae supra malitiam minoris mali. — 3. Si facile sibi non erit ad deliberandum quodnam eorum sit minus malum, tunc ad quodcumque se determinat, non peccat : quia tunc deest ei libertas necessaria ad peccatum.

CAP. III.—De speciebus conscientiae ex parte subjecti.

ART. I. — De conscientia certa et dubia.

Q. 14. *Quid* sit conscientia *certa ?*

R. Est ea, qua quis firmiter et absque errandi formidine judicat aliquid esse licitum vel illicitum.

Q. 15. *An* et *qualiter* conscientia *debeat* esse *certa ?*

R. Ut actus aliquis sit honestus et licitus, debet conscientia esse *saltem moraliter certa* aut *bona fide credi esse talis*. Alias posset quis merito dubitare de honestate actionis, sicque operans exponeret se periculo peccati formalis, et virtualiter contemneret legem. Ut igitur aliquis actus sit malus, sufficit dubium practicum vel prudens suspicio de malitia actionis.

Explanatur. Dixi : *saltem* **moraliter certa.** Quia major

certitudo *in agilibus* haberi non potest. — Moralis autem certitudo in praesenti materia est assensus propositioni alicui praestitus absque *prudenti* formidine errandi. Non excludit ergo certitudo moralis omnem omnino, etiam imprudentem, errandi formidinem; sed prudentem tantum. — Non est tamen necesse, me *reflexe* judicare quod sim certus : satis est, ut operatio bona fide fiat tamquam indubitanter bona et licita, sive ut nullum appareat periculum formalis peccati.

Nota. Cum Billuart (de consc.) **certitudo**, quae opponitur dubio, triplex distingui potest : *metaphysica*, *physica* et *moralis*. — Certitudo **metaphysica** est adhaesio mentis veritati, quae etiam per Deum aliter esse non potest, ut totum est majus sua parte ; quodlibet est vel non est. — Certitudo **physica** est assensus veritati quae secundum leges ordinarias aliter esse non potest, licet possit esse aliter per miraculum, ut stupam injectam in iguem comburi. — Certitudo **moralis** est assensus veritati alicui sine formidine fundata et rationabili de opposito, licet oppositum absolute et sine miraculo esse possit ; qualis est ea quae habetur in jure per duos testes fide dignos, aut quae habetur in baptismo alicujus ex regesto baptismali : quia licet posset contingere quod duo testes, qui habentur fide digni, falsum deponant, et quod parochus falsum scripserit, id tamen raro accidit et est periculum remotum, quod prudenter timeri non debet, alias non esset dubiorum finis. — Hinc scribit S. Thom. (2. 2. q. 47, a. 9 ad 2) : « *Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum.* » Et quoniam actiones nostrae morales secundum regulas prudentiae ordinandae sunt, ideo addit : « *Quia vero materia prudentiae sunt operationes humanae, non potest certitudo prudentiae tanta esse quod omnino sollicitudo tollatur.* » — Et (ibid. q. 70, a. 2) ait : « *In actibus humanis... non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sint circa contingentia et variabilia ; et ideo sufficit probabilis certitudo, quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.* »

Q. 16. *Quid* sit conscientia *dubia?*

R. Est suspensio intellectus circa objectum, an sit licitum vel illicitum, praeceptum vel prohibitum, ita ut nec affirmet, nec neget, sed anceps haereat.

Q. 17. An *dubium* differat ab *opinione?*

R. Maxime. Nam dubium excludit assensum : est enim *suspensio assensus inter opposita.*— Opinio vero est adhaesio alterutri a duobus contradictoriis cum formidine alterius.

Q. 18. *Quotuplex* sit conscientia *dubia?*

R. Sicut dubium, ita conscientia dubia est multiplex : — 1) *Positive* vel *negative* dubia, prout adsunt rationes graves dubitandi, vel leves tantum, aut etiam nullae. — 2) Dubia *juris* et dubia *facti*, prout — vel A) dubitatur de *lege* : an detur aliqua lex vel obligatio? an detur legitima facultas aliquid faciendi? quomodo haec intelligenda? an actus secundum jura valeat? etc., v. g. an votum semideliberatum obliget? an reservatio casuum extendatur ad ignorantes? — vel B) dubitatur de aliquo *facto* : v. g. an votum sit emissum? an sit clericus quem percussisti? etc.— 3 *Speculative* vel *practice* dubia, — prout dubitatur in genere, praescindendo ab exsecutione : uti an liceat die festo pingere; — vel dubitatur in praxi, consideratis omnibus circumstantiis : uti an mihi hoc die festo liceat pingere ad victum quaerendum.

Q. 19. Ad *liceat* agere cum *conscientia dubia?*

R. *Sub dist.*— 1°) Cum conscientia *practice* dubia, sive sit *juris*, sive *facti*, nunquam licet agere, sed obtinet tunc regula : «*In dubiis tutior pars eligenda.*»—2°) Cum *speculative* dubia, licet *aliquando*, modo prius *practice* resolvatur.

Explanatur. Ratio **primi** est : quia homo in operando debet esse moraliter certus de rei honestate; alias se exponit periculo peccati formalis, quia faceret hoc per quod timet se Deum offendere; ergo peccat eadem specie et qualitate peccati cujus est peccatum de quo dubitat; speciei autem innominatae, si puram rationem mali apprehendat, quod raro fit; imo ex S. Thom. (1. 2. q. 19, a. 5 ad 3), id *numquam* fit : quia ratio « *quando apprehendit aliquid ut malum,* SEMPER *apprehendit illud sub* ALIQUA *ratione mali.* » — Ratio **secundi** est : quia regula proxima non est nisi dictamen practicum; sed qui speculative dubitat, potest practice facere judicium prudens et moraliter certum sibi hic et nunc licere propter circumstantias. Sic dubito, imo probabilius judico aliquid esse malum, si tamen accedat mandatum superioris, possum, imo debeo

me practice resolvere v. g. hoc modo : in dubio debeo obedire superiori ; atqui, quamvis probabilius sit illicitum, manet tamen dubium ; ergo debeo facere. — Hinc, juxta S. Aug. (l. 22 cont. Faust. c. 75), homo, rege praecipiente, licite potest bellare, ut paci civicae serviat, quamvis forte dubitare possit, an sit justum bellum. Hinc quoque dubitans de valore matrimonii a se contracti, esto, stante tali dubio, non possit *petere* debitum ; potest tamen et debet illud *reddere*, ut docet S. Thom. (*Supp.* q. 55, a. 9 ad 3). Quia in praxi formare debet judicium, quod hoc sibi liceat, cum non ignoret, esse alteri reddendum id, quod est in illius possessione. — Dixi **aliquando** : quia excipiuntur casus, in quibus *tutiora* semper sunt sequenda, ut dicetur postea. — Cfr. Sass. ; — Puig et Xarrié ; — Bill.

Q. 20. Quomodo *speculative* dubitans de honestate suae actionis se gerere debeat, ut conscientiam *practice* certam sibi valeat efformare?

R. *Sub dist.* — 1) Si agatur de dubio *inani* seu mere *negativo*, illud pro nihilo habeat, ac despiciendo deponat. Unde obligatio vel libertas aeque certa reputabitur, ac si numquam dubium vel suspicio in contrarium exstitisset. — 2) Si sit dubium *grave* seu *positivum*, tunc — vel dubitans est *rudis*, et consulat probos et peritos eorumque exempla sequatur ; — vel est *exercitus*, et tunc, adhibita prius morali diligentia ad dubium vincendum, si vinci non possit, illud practice deponat per aliquod principium *reflexum*.

Q. 21. Quaenam sint principia *reflexa*, quibus conscientia speculative dubia possit deponi, et fieri moraliter certa?

R. Principaliora citantur : 1. *Lex dubia non obligat* seu *non potest certam inducere obligationem.* — 2. *In dubio melior est conditio possidentis.* — 3. *In dubiis pro eo standum est pro quo stat praesumptio.* — 4. *In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet.* — 5. *In dubio omne factum praesumitur rite factum* : seu : *In dubio praesumitur factum quod de jure faciendum erat*, seu : *In dubio standum pro valore actus.* — 6. *In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus.* — 7. *In*

dubio nemo praesumitur malus, nisi probetur. — 8. *In dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda.* — 9. *In dubio favendum est reo.* — 10. *In obscuris quod minimum est tenendum.* — 11. *In dubiis praesumptio stat pro superiore.*

Resolvitur. Merito in foro conscientiae judicatur juxta principia quae pro foro externo fuerunt stabilita : nam idem debet esse judicium in foro externo et in foro interno, nisi quando proceditur in foro externo ex falsa praesumptione; ut si ex jure praesumenda est culpa, etsi revera culpa non intercesserit. — Hinc illud vulgare dictum : « *Idem est judicium in foro poli,* i. e. conscientiae, *et in foro fori,* i. e. in judicio fori externi. »

Q. 22. *Quare* hujusmodi principia dicantur *reflexa?*

R. Ideo illa principia dicuntur *reflexa*, quia a proprio, immediato et directo eorum objecto ad aliud per ratiocinationem quasi *flectuntur*, ut per ea possit obtineri dictamen certum de subjectiva moralitate actus.

Q. 23. An semper *constet*, utrum et quousque unum vel alterum ex praedictis *axiomatibus* sit in casu particulari applicandum?

R. *Negat.*; et hinc saepe auctores in diversas sententias abeunt. Quare res incerta manebit et ex iis, quae DD. disputant circa usum opinionis *probabilis* (Q. 35), solvenda erit.

Q. 24. Quomodo probetur primum principium : « *Lex dubia non obligat?* »

R. Probatur ex S. Thom. juxta S. Lig. (I. 67) « hoc succinto argumento : *Lex non sufficienter promulgata non obligat.* Atqui, *lex dubia non est sufficienter promulgata* (quia, dum lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium, sive quaestio, sed non promulgatur lex). Ergo *lex dubia non obligat.* — Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet : — vel quod lex etiam non promulgata obligat; — vel quod lex dubia est vere promulgata, contra id quod expresse docet S. Thomas et alii communiter; sed nunquam harum propositionum ullam probabit in aeternum. »

Explanatur. Quod lex **ante promulgationem** vim obligandi non habeat, sic docet S. Thom. (1. 2. q. 90, a. 1) : « *Lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur : dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum... Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, (quod est proprium legis), oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione.* Unde **promulgatio** ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. » Et id quoque verum est, si agatur de lege naturali : hanc enim Deus promulgat per lumen rationis unicuique homini inditum, ut asserit idem S. D. (1. 2. q. 90, a. 4 ad 1). — Praeterea, legem, non utcumque, sed **ut certam,** promulgandam esse, ejusque *notitiam,* non qualemcumque, sed **moraliter certam,** in subditis requiri ut obligentur, proindeque *legem dubiam non esse vere promulgatam,* docet S. Thom. (de verit. q. 17, a. 3), ubi proposito sibi dubio : *Utrum conscientia obliget?* ita respondet : « *Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in quam agit. Unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam.* Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti. »

Objicitur. Nulla lex dubia est : omnes enim leges, sive divinae, sive humanae, sunt certe exsistentes, certeque promulgatae; dubitatur tantum, an talis casus particularis comprehendatur in lege generali, v. g. in Decalogo. Ergo lex semper vim obligandi habet et possidet.

Resp. Cum S. Lig. (I, 68) : « Quamvis lex generalis sit certa quoad exsistentiam et sit sufficienter promulgata; respectu tamen ad illum casum est dubia tam quoad exsistentiam, quam quoad promulgationem; ac propterea tunc, quia dubitatur an lex ad

casum illum extendatur, certum est non extendi quoad obligationem. — Id quidem agnovit D. Thom. (*l. c.*) cum dixit legem esse instar *ligaminis*, quod donec per contactum applicatur alicui, hic habet potestatem divertendi quo vult. »

Q. 25. Quomodo intelligenda sit regula : « *In dubio melior est conditio possidentis?* »

R. Est regula universalis, valetque — tum in materia justitiae; — tum, *regulariter loquendo*, in materia aliarum virtutum, pro utroque foro, interno et externo, ita ut liceat practice deponere dubium speculativum pro libertate, si veritas post diligentiam, gravitati rei proportionatam, haberi non possit.

Explanatur. Ratio responsionis est : quia possessio est titulus universalis omnibus virtutibus communis; unde sicut in materia justitiae, urgente dubio, an res sit mea necne, resultat aliqua aequalitas inter obligationem restituendi et libertatem retinendi, et accedente possessione uni parti, melior est ejus conditio; ita etiam in aliis materiis aliarum virtutum, urgente dubio, an res sit licita, necne, resultat aliqua aequalitas inter obligationem legis et libertatem hominis, et sic accedente possessione libertatis, utpote certae, melior est ejus conditio. — Dixi **regulariter loquendo** : quia excipiuntur casus in quibus semper *tutiora* sunt sequenda, ut dicetur postea. — Cfr. Spor.; — Sass.

Resolvitur. Merito Suarez (de cens. d. 40. sect. 5, n. 15) *falsam* dicit et *nulli fundamento* innixam opinionem illorum qui **negant** praefatum principium valere extra materiam justitiae. Jura enim, ex quibus illa regula desumpta est, generatim, et sine ulla restrictione loquuntur; sic in cap. « *In pari* » (65 de reg. jur. in 6°) absolute dicitur : « *In pari... causa potior est conditio possidentis.* »

Q. 26. Unde *discerni* possit, an pro *lege*, an pro *libertate* stet *possessio?*

R. *Communiter* sequentes solent dari regulae. — 1) Quando dubitatur de exsistentia illius, quo posito primum oritur obligatio, possessio est pro libertate; e contra quando dubitatur de exsistentia illius, quo posito desinit obligatio ante exsistens, possessio est pro lege. — 2) Si prior tempore sit libertas quam

obligatio, possidet libertas; si prior sit obligatio, possidet lex. — 3) Pro eo stat possessio, qui onus probandi rejicit in alterum, ipse vero se quasi defendit. — 4) Possessio censetur esse penes illum, pro quo est certa juris praesumptio : jus enim non praesumit sine causa, et ideo ubi est certa juris praesumptio pro aliqua parte, illa habetur vera, donec probetur oppositum, per rationes aut conjecturas praesumptionem juris elidentes.

Explanatur. Inter alia exempla, quibus praefatae regulae a DD. illustrantur, haec dari *solent :* — 1) Qui, facta diligenti inquisitione, dubitat an detur lex, praeceptum, consuetudo obligans, non obligatur : possidet enim libertas, quia libertas est prior lege, et volenti me adstringere incumbit probatio, cum quilibet sit actionum suarum dominus, quoties non constat se esse ligatum. — E contra si dubitetur an lex, lata et promulgata, sit abrogata, possidet lex ob rationes contrarias. Juxta plures tamen, si vere probabile sit, legem fuisse abrogatam, cessat praesumptio pro lege et possidet libertas. — 2) Si constet de lege et dubitetur de illius sensu, an talem casum comprehendat, probabiliter non comprehendit : quia dubitatur an sit lex pro tali casu. — 3) Si dubitetur, an lex sit promulgata, non obligat : quia non possidet ut potens obligare, cum sine promulgatione non obliget; si tamen aliquando fuit usu recepta, praesumitur promulgata : non solet enim usu recipi, nisi promulgata. — 4) In dubio, an lex lata sit recepta, siquidem *negativo*, lex obligat; secus, juxta multos, in *positivo* et probabili. — 5) Si die Jovis dubites an sit duodecima noctis, potes adhuc manducare carnes; si die sabbati dubites, non potes, juxta plerosque : quia in primo casu libertas, in secundo obligatio abstinendi possidet. — 6) Si dubites an compleveris annum vigesimum primum, non teneris jejunare : possidet enim libertas; si dubites an attigeris terminum aetatis excusantis, teneris juxta plerosque ob rationem contrariam. Similiter dubius an habeat aetatem requisitam ad ordines, non potest eos suscipere : quia lex vetans suscipere ante annos praescriptos possidet et aetas non praesumitur, sed probari debet. — 7) Si dubitetur de actu principali v. g. an aliquem percusseris, hoc praesumi non debet, sed qui affirmat

debet positive probare; si vero constet de actu principali et dubitetur de aliquo accessorio, si hoc de jure faciendum erat aut ordinarie fieri solet, praesumitur et hoc factum esse, dum non probatur oppositum : v. g. orasti horas canonicas, audivisti missam, et dubitas an cum debita attentione et intentione ; confessus es et dubitas an cum sufficienti dispositione ; haec et similia praesumuntur. Similiter dum constat de actu externo, in dubio praesumuntur actus interni necessarii et sufficientes : v. g. contraxisti sponsalia et dubitas an habueris animum te obligandi, haec iterum praesumuntur, etiam ideo quia post factum in dubio standum est pro valore actus. Intellige tamen haec : nisi praesumptio fortior sit in contrarium, aut ratio prudens contrarium suadeat. — 8) Si constet de voto emisso, sed dubitatur an cum sufficienti deliberatione, si emissum est ante septennium, possidet libertas : quia ex communiter contingentibus praesumptio est pro defectu rationis; si post septennium, possidet votum : quia in dubio praesumptio est pro valore actus. — 9) Si certus sis de voto, dubius de quantitate aut qualitate, v. g. an voveris dare eleemosynam majorem an minorem; an castitatem perpetuam an solum temporalem; an calicem argenteum tantum secundum cuppam, an totum argenteum, etc., nisi ex circumstantiis aliud colligatur, quia v. g. in tali loco calices secundum cuppam tantum argentei non sunt in usu, teneris tantum ad minus : tum quia possessio est pro libertate; tum quia promissio liberalis ex jure explicanda est in favorem promittentis, et *in obscuris quod minimum est sequendum*. — 10) Dubitans num aliquid cibi vel potus sumpserim; vel, certus de sumptione, num aliquid post mediam noctem deglutiverim, possum communicare. Etenim lex est *prohibitiva*, vetans ne quis communicet post fractum naturale jejunium. Unde probandum est factum jejunii fracti, ut quis a communione prohibeatur. Ita S. Lig. (I, 38 seq. et VI, 282).

Q. 27. Si *dubites*, utrum alicui obligationi *jam satisfeceris*, an *tenearis* adhuc *satisfacere?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1. Si dubites dubio **negativo,** seu ob defectum rationum, te satisfecisse, satisfacere certo teneris, ut liquet ex

dictis. — 2. Si dubites dubio **positivo** seu ob rationes vere probabiles, *subdistinguendum* videtur inter debitum **legale** et debitum **reale**, seu inter legem et materiam justitiae. — A) Si agatur de **lege**, v. g. si gravem seu prudentem habeas rationem, quod legem adimpleveris, v. g. poenitentiam persolveris, quia v. g. statim post confessionem soles persolvere, te teneri : — alii *affirmant*, — alii probabiliter *negant*. Sic enim praesumendum esse, aiunt, de Deo : ne exponamur infinitis auxietatibus et molestiis, quia nimis facile obliviscimur eorum quae fecimus. Ad axioma vero, quod objicitur : « *debito certo non satisfit per solutionem incertam*, » respondent : verum esse, quoties sermo est de dubio *practico* vel *negativo*, non autem si libertati faveat *vera* et *solida* probabilitas. — B In materia vero **justitiae**, puta in contractu oneroso, v. g. ex emptione, ubi *positive* dubitas an pretium solveris, tunc solvere non teneris juxta VARIOS dicentes, conformiter ad principium *legis dubiae*, obligationem, cui probabiliter satisfecisti, evadere ita dubiam, ut ei denuo satisfacere non debeas; — juxta ALIOS teneris, conformiter ad principium legis *possessionis*, cum creditor sit in possessione; — ALII tandem tenent solvendum esse pro rata dubii, saltem si uterque, tam creditor quam debitor, dubitat : quia, cum creditor non habeat jus nisi probabile, non est aequum, ut tantum ipsi solvatur, quantum solveretur, si jus certum haberet.

Resolvitur. Hinc patet, quod supra (pag.88) monuimus, saepe non constare, pro qua parte in casu particulari stet possessio, auctoribus hinc inde in diversas sententias abeuntibus, ut adeo res incerta maneat, et consequenter ex iis, quae DD. disputant circa usum opinionis **probabilis** (Q. 35), sit solvenda.

ART. II. — De conscientia probabili.

Q. 28. *Quid* sit conscientia *probabilis?*

R. Est illa, qua quis, innixus opinione probabili, practice certo dictat ex principiis reflexis aliquid esse licitum vel illicitum.

Resolvitur. Unde ad illam requiritur : — 1. Judicium probabilitatis, seu quod talis opinio sit vere probabilis. — 2. Judi-

cium practice certum, quod in praxi licitum sit sequi opinionem vere probabilem; alioquin operans non foret securus de honestate suae actionis, sed exponeret se periculo peccandi eoque ipso peccaret.

Q. 29. Quid *proprie* sit *opinio probabilis?*

R. Est judicium nitens motivo gravi, licet cum formidine de opposito.

Explanatur. Dicitur 1°) **judicium**; quae vox dupliciter accipi potest : vel *objective*, et eatenus opinio probabilis significat illam propositionem seu sententiam cui tanquam verae quis assentitur, cum formidine tamen de opposito; vel *subjective*, et eatenus significat assensum illum formidolosum. Cum autem assensus ille varietur secundum pondus rationum quae menti apparent in objecto; hinc quod de opinione probabili *objective* sumpta dicitur, de eadem *subjective* sumpta valet. — Dicitur 2°) **nitens motivo gravi**; unde ad opinionem probabilem requiritur motivum seu fundamentum idoneum, suadens ejus veritatem; seu : quod valet ad se attrahere assensum viri prudentis, fallibile tamen, et ideo cum formidine partis oppositae; sive illud fundamentum sit *intrinsecum*, ob rationes scilicet petitas ex ipsius rei natura, proprietatibus, causis, effectibus, et etiam ex inconvenientibus partis oppositae; sive sit *extrinsecum*, ob auctoritatem nempe DD., qui hanc opinionem tenent vel tenuerunt. Ex quo sequitur, id, quod viri prudentes honestum judicant ac licitum, solide probabile esse, nedum extrinseca, sed etiam intrinseca probabilitate : quia, prudenter aestimatur, viros probos ac prudentes, non nisi gravi et solido fundamento ductos, in eam ivisse sententiam. — Dicitur 3°) **licet cum formidine de opposito** : — « *Opinio enim*, ait S. Thom. (1.2.q.79, a.9 ad 4) *significat actum intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* » Unde quoque opinio probabilis differt a certitudine seu scientia, dicente S. Thom. (2.2.q.1, a.5) : « *Quia de ratione* scientiae *est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione autem* opinionis *est, quod id, quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere.* »

Nota 1. Opinio probabilis sub *duplici* respectu spectari potest : vel 1°) *seorsim, solitarie* et *extra concursum alterius probabilis*

oppositae; seu, ut alii loquuntur, **absolute,** in se et in sua probabilitate propria; vel 2°) *conjunctive* et *in concursu alterius,* seu **respective** et **comparative** ad opinionem aliam. — Porro opinio probabilis, **comparative** ad aliam, *quadruplex* distinguitur: — A) **Minus probabilis,** quae nititur levioribus rationum momentis quam opinio opposita. — B) **Aeque probabilis,** quae habet pro se argumenta moraliter aequalia illis quae habet opposita. — C) **Probabilior,** quae habet argumenta majoris ponderis quam sunt argumenta partis oppositae, et subdistinguitur in *notabiliter* probabiliorem et *parum* probabiliorem, secundum quod excessus probabilitatis est notabilis vel parvus. — D) **Probabilissima,** quae nititur argumento gravissimo quod reddit oppositam *tenuiter probabilem.* — *Tenuiter* autem probabilis inter vere probabiles reputari nequit. Caret enim motivo gravi.

Nota 2. Opiniones, quae innituntur probabilitate **extrinseca,** dici solent: non quidem probabiles, probabiliores, etc.; sed **communes, communiores, communissimae**; qui tamen termini non semper eodem modo a DD. definiuntur. — Juxta Navarr. (*Man. conf.* XXVII, 289), Sanch. (*Matr.* III, 44. 2), *communes* illae dicuntur, quas tenent sex graves DD., eas ex professo tractantes. Quo sensu admisso, duae opiniones, licet invicem oppositae, ambae communes esse possunt, aut una communis, altera communior aut communissima, prout plures aut multo plures pro se auctores numerat. — Juxta alios praefati termini ita intelliguntur, ut opinio dicatur *communis:* si auctores eam amplectentur generatim; *communior:* si pauci contra sentiant; *communissima:* si paucissimi sint, qui aliter sentiant.

Q. 30. Ad fundandam probabilitatem *extrinsecam* possitne *sufficere* auctoritas tantum *unius* auctoris?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negative,* si sermo sit de probabilitate **absoluta,** — nisi auctor sit magni nominis in Ecclesia, ut v. g. DD. Thom., Bonav., Antonin., Isid., Lig., etc. — *Affirmative* vero, si de probabilitate **respectiva** loquamur; et sic unius vel doctoris, vel parochi, vel confessarii, vel alterius viri prudentis auctoritas potest quandoque illiterato, plebejo ac rustico sufficere,

ut probabile censeat quod ei ab ipsis proponitur, dicente S. Thom. (2.2.q.4, a.8) : « *Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur.* »

Resolvitur 1. Merito damnata fuit ab Alex. VII sequens propositio sub. n. 27 : « *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.* » — Hac enim generali propositione semel admissa, jam nulla, quantumvis laxa, foret sententia, quam sequi non liceret. — **Resol. 2.** Mathematice determinari nequit, *quot* DD. requirantur ad fundandam probabilitatem extrinsecam absolutam alicujus opinionis. Auctoritas namque scriptorum, non ex multitudine, sed ex eorum gravitate existimari debet : sunt enim opiniones instar monetae, cujus valor minime ex numero, sed ex pondere et metallo aestimatur. Aliquando etiam unum ad hoc posse sufficere, dummodo sit auctor magni nominis et omni exceptione major, edocemur ex responsione S. Poenit., quae an 1831 interrogata, an esset inquietandus confessarius qui in Poenitentiae tribunali sequitur doctrinam S. Alphonsi, non perpendens momenta et rationes, quibus innituntur variae ipsius opiniones, sed ob solam tanti nominis auctoritatem, respondit : « *Negative.* »Quae responsio fuit confirmata a Greg.XVI,die 22 Jul.1831.

Q. 31. Quid intelligas per opinionem *tutiorem* et *minus tutam?*

R. *Tutior* est illa, quae stat pro lege contra libertatem, et ideo magis removet a periculo peccati, etiam materialis. — *Minus tuta* est, quae stat pro libertate contra legem, et qui eam sequitur potest saltem materialiter peccare; v. g. dubitas an hodie tenearis jejunare; tutius est jejunare, quia sic nequidem peccas materialiter; si non jejunes, potes peccare saltem materialiter, quia forte est lex.

Q. 32. Possitne dari opinio, quae sit *tutior* et *minus probabilis*, aut *probabilior* et *minus tuta.*

R. *Affirmative.* Quia major vel minor *securitas* opinionis desumitur ex ejus distantia a peccato;— major vero vel minor *probabilitas* ex majoris vel minoris veritatis apparentia. —

Sic sententia D. Bonav., quod fidelis, saltem *religiosus*, teneatur statim poenitere post peccatum, est tutior, sed minus probabilis. Opinio vero D. Thom., qui docet oppositum, est minus tuta, sed probabilior.

Q. 33. An semper *teneamur* sequi *tutiora?*

R. *Negative* : nam Alex. VIII damnavit propositionem sub n. 3 : « *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam* ; » quod utique intelliges de opinione *minus tuta*, cum nemo unquam negaverit licere sequi probabilissimam *tutiorem*.

Resolvitur 1. *Tutiorismus*, quem vocant **absolutum** seu **rigidum**, i. e. systema obligans ad sequendam semper partem tutiorem, jure merito ab Ecclesia fuit damnatus. Nam 1°) onus imponit intolerabile, sicque spiritui evangelico adversatur : si enim onus sit impar viribus humanis semper conari ad tutiora, magis est ad ea obligari. 2°) Moraliter necessitat ad peccandum : quia sic teneremur servare leges plurimas reipsa non exsistentes; plurimi peccarent formaliter, ubi alias nequidem materialiter. 3°) Repugnat omnium praxi ; et ita S. Thom. plurima minus tuta docet licere, pro quibus ad summum habet motiva probabiliora tantum. — **Resol. 2.** Perperam regula juris : « *In dubiis via tutior est eligenda,* » ad omnia omnino dubia extenditur : sic enim induceretur discordantia juris, quod pluries in dubiis solutiones dedit cum hoc principio non convenientes. Unde vis hujus regulae necessario limitanda est. Limitatur autem ad *quatuor* casus in responsione sequenti indicatos.

Q. 34. Quandonam *teneamur* sequi *tutiora?*

R. In *quatuor* sequentibus casibus : — 1°) Si quis dubitans nolit inquirere veritatem. — 2°) Si non possit prudenter se resolvere in favorem libertatis, ideoque maneat dubium practicum. — 3°) Quando jus illud expresse statuit. Et ita (CC. 20 et 24 *de homic.*) presbyter in dubio an homicidii commissi fuerit causa efficax necne, a sacerdotali officio abstinere debet. — 4°) Quando opinio probabilis, probabilior, aut etiam probabilissima, minus tuta, non removet periculum non obtinendi finem intentum ad quem quis tenetur : v. g. dum agitur, non

quidem de sola honestate actionis, sed *de valore actus*, quem procurare, vel *de damno temporali aut spirituali* proprio vel proximi, quod impedire quis tenetur. Ratio est : quia honestas actionis pendet a prudenti dictamine rectae rationis ; non sic valor actionis, aversio damni, et hinc quoad ista certior vel securior via est tenenda.

Resolvitur 1. Ministrum sacramenti, ubi de ejus valore agitur, et defectus ab Ecclesia non suppletur, teneri per se loquendo, sequi tutiorem probabilem, si in praxi moraliter deduci possit, relicta minus tuta, non moraliter saltem certa (1). Constat ex propositione damnata ab Innoc. XI sub n. 1 : « *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori.* » Ratio damnationis est : quia major probabilitas non facit, ut posita actione obtineatur valor sacramenti unice pendens ab institutione Christi. Ergo relinquens tutiorem probabilem peccat contra *praeceptum Ecclesiae* in re gravi ; contra *religionem*, exponendo sacramentum periculo nullitatis ; contra *charitatem*, exponendo proximum periculo non suscipiendi sacramentum, proinde nec fructus sacramenti ; contra *justitiam*, si ex officio ministrat ; imo licet hoc non faciat : quia hoc ipso, quod in se suscipiat sacramenti administrationem, se obligat ad valide, quantum potest, ministrandum. — **Resol. 2.** Medicum, chirurgum et similes, teneri ad media certa et tutiora, quae hic et nunc moraliter haberi possunt, et ad quae tenetur infirmus vel vult adhibere : quia ex tacito contractu se ad hoc obligarunt, ut sanitatem, modo quo humana diligentia possunt meliori, procurent. — Si tamen aegrotus *extreme* laboret, et non habeatur aliud remedium nisi incertum, imo et dubium an non sit mortem acceleraturum, adsit autem ex adverso probabilis spes, quod sit profuturum, poterit adhiberi. — **Resol. 3.** Judicem in causis civilibus teneri ad sequendam sententiam probabiliorem, cum ex pacto cum republica inito teneatur judicare juxta merita causae. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI sequens propositio sub n. 2 : « *Probabiliter exis-*

(1) Habes explanationem hujus principii in opere meo cui titulus : *Principia dogmatico-moralia universae theologiae sacramentalis*, p. 255 seq. Lovanii 1875, ap. Fonteyn.

timo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. » — Quod si partis utriusque causa videatur *aeque probabilis,* non potest judex adjudicare cui voluerit : mentiretur enim in facto, dum adjudicando huic ostenderet illum esse victorem, qui non est. Hinc damnata fuit ab ALEX. VII propositio sub n. 26 : *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.* » Debet igitur partes inducere ad compositionem, vel rem, si divisibilis est, dividere aut ejus pretium ; nisi una pars litigans esset in possessione, quia melior est conditio possidentis. — Dixi : in **causis civilibus.** Quia in **criminalibus** debet amplecti opinionem minus probabilem, si haec faveat reo contra quem, ut jura loquuntur, debent esse probationes luce meridiana clariores, ut condemnari possit, quales non sunt, quamdiu pro innocentia rei stat probabilitas. — **Resol. 4.** Tutiora esse sequenda in iis quae saluti sunt necessaria necessitate medii, ac proinde in rebus ad fidem seu veram religionem pertinentibus ; quia si circa illa erratur etiam invincibiliter, bona fides efficere nequit, ut illud non sit medium necessarium salutis, vel ut reipsa ponatur, si quid substantiale deficit. Hinc damnata fuit ab INNOC. XI propositio sub n. 4 : « *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* » — **Resol. 5.** Eum qui judicat probabilissime in dumeto latere feram, si adhuc probabiliter dubitet an non sit homo, peccare jaculando : quia charitas et justitia obligant ad cavendum occisionis periculum, quod per probabilitatem non tollitur.

Q. 35. An et qualem *liceat* sequi opinionem *probabilem,* ubi agitur de *sola honestate actionis?*

R. 1°) Extra necessitatem, non licet sequi opinionem *levis* seu *tenuis* probabilitatis, relicta tutiori. Constat ex propositione damnata sub n. 3 ab INNOC. XI ; « *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* » — Dixi : *extra necessitatem ;* quia in hac possum et teneor tentare extrema, adeoque sequi opinionem etiam *tenuiter* probabilem, charitate imo saepe justitia sic exigente.

R. 2°) Si sit *verae* et *solidae* probabilitatis, tunc — vel *solitarie* seu seorsim reperitur et extra concursum alterius probabilis; — vel *conjunctive* et in concursu alterius, juxta dicta (pag. 94 seq.). — Si 1um) licet agere cum opinione solide probabili, non quatenus sola probabilitas, per se, prudentiam alicujus actionis efficere potest; sed quatenus probabilitas, non secus ac dubium positivum (pag. 87), in causa est, ut per discursum ad aliquod principium deveniatur certum ac firmum de morali honestate actionis. — Si 2um) alii aliter sentiunt. — A) *Probabilioristae* docent, licitum esse sequi opinionem vere et solide probabiliorem minus tutam in concursu minus probabilis tutioris; attamen in conflictu duarum opinionum aeque probabilium sequendam esse tutiorem; a fortiori licitum non esse, sequi sententiam minus probabilem et minus tutam, relicta probabiliori et tutiori. Ita Billuart, Ord. Praed., insignis ille D. Thomae interpres, qui ob doctrinae praestantiam miramque in exponendo luciditatem, inter celebriores Theologiae Principes jure meritoque salutatur. — B) *Aequiprobabilistae* censent, licitum esse sequi opinionem minus tutam vere probabilem, relicta opinione tutiori aeque vel fere aeque probabili; illicitum tamen esse, sequi opinionem minus probabilem, relicta tutiori et certe seu notabiliter probabiliori. — C) *Probabilistae puri* existimant, quando agitur de sola honestate actionis, licitum esse, per se loquendo, sequi opinionem minus probabilem et minus tutam, dummodo tamen sit vere probabilis, relicta tutiori et probabiliori. — Dicunt : *per se loquendo;* quia *per accidens* non liceret, si v. g. obstet periculum peccati formalis respectu alicujus personae particularis, ex occasione talis sententiae in deteriora labentis. — Quidam nuperrime conati sunt evincere hanc ultimam sententiam explodendam esse quasi laxam ex S. Alphonsi doctrina (H. A. I, 31). — Juxta D'Annibale (I, 242, not. 3) : «*Durus est hic sermo et plus aequo decretorius. Sententiam, quam toto fere saeculo XVI tenuerunt* TT. *quique doctissimi, quasi laxam explodere, hoc solius Ecclesiae judicio fas est, quae est columna et firmamentum veritatis.*»

Resolvitur 1. Circa *relativae* probabilitatis usum tria tantum systemata indicavimus, quia haec sola ut systemata suos habent fautores, scilicet : — **Probabiliorismum**; **Aequiprobabilismum**, et **Probabilismum purum** seu *simplicem*. — Silentio praeterivimus tria antiquata systemata, quae vocabantur : Tutiorismus seu Rigorismus *strictus* et *absolutus;* Tutiorismus seu Rigorismus *mitigatus* et Laxismus. — *Primum* horum systematum, contendens semper legi esse favendum, damnatum fuit, ut diximus (p. 97). Auctorem habuit J. B. Sinnichium, Doct. Lov., Saec. XVII, quem secuti sunt, quotquot exstiterunt Jansenistae. — *Secundum*, contendens tamdiu legi favendum esse, quamdiu opinio libertati favens non sit probabilissima vel unice probabilis, etsi aperte damnatum non fuerit, merito tamen ab omnibus jam rejicitur, et ideo dici potest tacite ab Ecclesia fuisse reprobatum. Quidam inter antiquos *Lovanienses*, qui post Sinnichium scripserunt, hoc systema amplexati sunt, non tamen omnes, ut falso quandoque asseritur. — *Tertium* systema seu Laxismus, docens qualibet probabilitate, quantumvis tenui, suffultam opinionem ad praxim reduci posse, etiam proscriptum fuit; ut constat ex propositione damnata sub. n. 3 ab Innoc. XI (pag. 99). — **Resol. 2.** Tam **Aequiprobabilistae**, quam **Probabilistae puri**, licentiam admittunt sequendi in praxi opinionem vere probabilem, licet minus tutam. Sed in hoc discrepant, quod juxta Aequiprobabilistas sententia aliqua nequeat amplius dici vere probabilis, quamprimum sententia opposita illam sua probabilitate *certo* et *evidenter* superat, sive, quod idem est, *notabiliter* superat (nam excessus ille certo et evidenter videri non potest, nisi sit notabilis); *puri* vero Probabilistae dicunt, cum opinione certo probabiliori constare etiam oppositam vere et solide probabilem. Aliud enim est moralis certitudo et moralis evidentia veritatis objectivae; — et aliud moralis certitudo et evidentia majoris probabilitatis. De priori libenter fatentur, tolli per eam probabilitatem comparativam, non item de posteriori. — **Resol. 3.** Utrum **S. Lig.** fuerit necne **Aequiprobabilista**, acriter inter DD. disputatur. Quam controversiam dirimere ad me non pertinet. Sed dato, rem ita esse, quod tamen juxta plures historice certum non est; nihilominus ex approbationibus et encomiis, quibus S. Sedes opera tanti Doctoris exornavit, immerito quis concluserit, sive

Probabiliorismo, sive **Probabilismo puro** vulnus fuisse inflictum. Qui hoc assereret, nec mentem S. Sedis in approbandis scriptis Sanctorum assequeretur, nec principia et praxim ipsius S. Doctoris recte intelligeret aut applicaret. Dum enim S. Sedes scripta Sanctorum approbat, non ideo singulam illorum scriptorum sententiam *veram* esse declarat : hoc enim esset veluti illorum libros *canonizare*, quod hucusque nec factum est, nec unquam fiet. — Rem ita se habere, fuse ostendit Bened. XIV (*de Serv. Dei beat.* l. 2, c. 34), et ipse S. Lig. practice confirmavit : nam in quaestionibus particularibus solvendis, non semel posthabita sententia D. Thomae, alteri adhaesit, innixus aliorum DD. auctoritate, solidisque, prouti sibi videbantur, rationibus, etsi approbationes, quas opera scholarum Principis obtinuerunt, omnium praeclarissimae fuerint, ac prorsus singulares. — Interim, licet nullum decretum S. Sedis circa opera S. Lig. *dogmaticam*, ut vocant, approbationem importet, quasi jam infallibiliter certi essemus, omnes S. Alphonsi opiniones unice veras esse; id tamen ex iis constat, quemcumque posse, nisi definitione Ecclesiae aut propria evidentia certus sit de errore, in vim horum decretorum, *tutum* esse in conscientia sequendo opiniones hujus S. Doctoris. — Ex quo sponte sequitur haec conclusio : Ergo *tuto* agit in conscientia qui, saltem in conflictu duarum opinionum aeque probabilium de honestate objectiva actus, sequitur sententiam *minus tutam* faventem libertati, relicta tutiori favente legi. — **Resol. 4.** Ut non pauci existimant, omnia argumenta quae contra **Probabilioristas** adferuntur, non minus urgeri possunt contra **Aequiprobabilistas.**—Imprimis,cum vera ac solida probabilitas, ubicumque invenitur, certitudinem perimat oppositae sententiae, quomodo, aiunt, ipsi probare poterunt, legem tunc tantum esse incertam, cum contra illam militat *aequalis* vel *fere aequalis* probabilitas? — Praeterea, juxta eosdem, urgeri maxime possunt eadem incommoda, ut patescere existimant ex argumentis quae contra Probabilioristas communiter proferuntur. — **Resol. 5.** Systema **Probabiliorismi** dilucide exponit Magister Billuart, illudque omni genere argumentorum probandum suscipit.— Systema **Aequiprobabilismi** praeter alios exponit Marc. — Quod denique systema **Probabilismi puri** attinet, quando agitur de sola honestate actionis, licitum esse, per se loquendo,

sequi opinionem minus probabilem et minus tutam, etiam in concursu probabilioris et tutioris, dummodo tamen altera sit solide probabilis, breviter, pro more suo, sic exponit Sasserath, Ord. FF. Min. Conv., in Univ. Colon. olim Prof. (1). — « 1°) Lex sequendi probabiliorem, si daretur, esset lex naturalis et quidem generalissima; ergo non deberet latere tot homines doctos et pios; atqui latet. Ergo. — Deinde haec lex non est sufficienter promulgata : quia post exactissimam inquisitionem plurimi et doctissimi eam non agnoscunt. Ergo non obligat. — 2°) Non datur obligatio inquirendi in opinionem probabiliorem : ergo nec sequendi. *Prob. ant.* A Etiam doctis difficillimum est in moralibus invenire majorem probabilitatem et discernere quid sit probabilius; ergo aliis erit impossibile; ergo passim deberent sequi tutiora, quod supra rejectum est. B Cum maxima sit agendorum multitudo et varietas, nimis grave est majorem semper probabilitatem inquirere et homines fierent nimis perplexi : quia incerti de majori probabilitate, et ita impedirentur ab operationibus hic et nunc necessariis ac opportunis. C Multi approbantur pro confessionibus excipiendis, qui examinare non possunt, quid sit probabilius; sed satis est, si sciant, quae sententiae sint vere probabiles; ergo graviter peccarent superiores et examinatores hos admittendo; quia onus faciendi involvit onus sciendi. — 3°) In opinione minus probabili potest fundari conscientia practice certa : ergo ruit fundamentum adversariorum. *Prob. ant.* Hoc sit dictamen : quod spectatis omnibus principiis tam directis quam reflexis, prudenter judico mihi hic et nunc esse licitum, hoc licite facio. Atqui sic judico licere pingere v. g. die festo. Ergo. — *Maj.* est certa : quia ex prudenti intellectus judicio sequitur prudens electio voluntatis, et peccatum essentialiter est imprudens et temerarium. *Min.* etiam est certa; quia ago ex motivo absolute et respective gravi, ut suppono; proinde prudenter : quia motivum grave per hoc distinguitur a motivo levi, licet oppositum secundum se sit prudentius; nam et ille, qui saeculum deserit, caeteris paribus, prudentius agit; qui

(1) *Curs. Theol. Mor.* Part. I, pag. 245 seq. Ed. 2ª. Col. 1760. Quod praeclarissimum opus, solida doctrina refertum, miraque brevitate multa complectens, postea in recentioribus editionibus ab aliena manu ad aliena principia fuit redactum, susdeque versum.

tamen in eo manet, utique adhuc prudenter agere dici potest; et licet obedientia sit melior quam victima, adhuc haec bona est; ergo a pari. — Denique dictamen potest esse hoc : licet sequi probabiliorem relicta probabili magis tuta; sed nobis probabilior est opinio : licere sequi minus probabilem in concursu probabilioris et tutioris; ergo nobis licet... — Nec dicas : committi fallaciam, sive aequivocationem; quia transitur a probabilitate directa ad reflexam. Nam contra est : cui omnibus pensatis probabilius est licere pingere v. g. die festo, apud te licite pingit. Ergo et cui omnibus pensatis probabilius est licere sequi minus probabilem, licite illam sequitur; atqui sic nobis est. Ergo. » Hucusque Sasserath. — Deinde tradit sequentes objectiones eisque respondit.

« **Objicitur 1.** Qui sequitur minus probabilem, non sequitur quod magis accedit ad veritatem; — non facit quod potest pro veritate assequenda; — non sequitur quod est propinquius honesto, etc. Sed haec requirit prudentia, dum non possum assequi veritatem; ergo non agit prudenter, nec adhibet diligentiam moralem ad vitandum peccatum. Ergo peccat.

Resp. 1°) *Retorq.* Qui sequitur probabiliorem minus tutam, relicta probabiliori tutiore, non facit quod potest : quia potest sequi tutiorem, quae est etiam magis propinqua honesto. — **Resp.** 2°) *Dist.* Non facit, quantum absolute potest, *conc.;* quantum tenetur, *neg.* Non tenemur facere, quae absolute possumus, alias teneremur sequi tutiora : sufficit adhibere diligentiam sufficientem ad vitandum peccatum formale: quod facimus, dum certi sumus de honestate actionis et lege Dei permittente, per principia reflexa, per quae minus probabilis fit aeque propinqua honesto et *formaliter* aeque tuta.

Obj. 2. In negotio *temporali* prudentia dictat, ut sequamur probabiliorem; ergo magis in negotio *salutis.*

Resp. 1°) *Retorq.* In negotio temporali prudentia dictat, ut sequamur tutius, licet oppositum sit probabilius; ergo et in negotio salutis. — **Resp.** 2°) *Neg. con.* In primo error materialis aeque nocet ac formalis; non sic in negotio conscientiae, ubi saepe incurritur error materialis etiam sequendo probabiliora : nam, teste Philosopho, falsa sunt saepe probabiliora veris.

Obj. 3. Famulus operans, quod est probabilius contra voluntatem sui domini, imprudenter agit; ergo et homo, si hoc agat, quod est probabilius contra voluntatem Dei.

Resp. 1°) *Retorq.*, ut supra. — **Resp.** 2°) *Neg. con.* Famuli conducuntur, ut commoda dominorum quaerant; hinc tenentur morali diligentia sequi tutiora; Deus autem nullum habet detrimentum suae gloriae, si nos prudenter, licet speculative minus probabiliter operemur; et praesumimus prudenter Deum nolle nos obligare ad sequenda tutiora in omnibus et probabiliora; hinc *neg. suppos.* quod sequens minus probabilem operetur id, quod est probabilius contra voluntatem Dei.

Obj. 4. Ut aliquam sententiam prudenter sequar, debeo illam judicare veram; ergo.

Resp. 1°) Ergo subditus non potest obedire, dum probabilius judicat esse illicitum; quod est falsum (p. 86 seq.). — **Resp.** 2°) *Neg. Maj.* Sufficit scire esse vere probabilem; tunc enim ex principiis reflexis formo conscientiam certam licere sequi eam, et praescindo, an vera sit, an non.

Obj. 5. Quod est probabilius illicitum, nequit esse certo licitum; ergo non possum esse certus de honestate actionis. — *Deinde* talis virtualiter dicit : etsi probabilius sit, quod Deus nolit hoc a me fieri, tamen volo facere; sed hoc est inhonestum. Ergo.

Resp. 1°) *Retorq.* Quod est probabiliter illicitum, nequit esse certo licitum : sed dum sequeris probabiliorem faventem libertati contra probabiliorem tutiorem, facis quod est probabiliter illicitum. Ergo. — **Resp.** 2°) *Dist. Ant.* Nequit esse certo licitum vi judicii *directi*, conc.; *reflexi*, neg. Nam vi hujus sum certus, quod Deus permittat mihi hanc actionem, ne nimiis anxietatibus et peccatorum periculis exponar. — Ad *alterum*. **Resp.** *Neg. Maj.*; sed dicit : etsi probabilius sit probabilitate judicii speculativi, quod Deus nolit hoc fieri, volo tamen facere, quia certus sum certitudine dictaminis practici, quod Deus sic permittat hic et nunc fieri; in quo nil est inhonesti.

Obj. 6. Ex praemissa probabili nequit inferri conclusio vel conscientia certa.

Resp. 1°) Nec ex probabiliori; manet enim probabilis.—2°) Dictamen ultimum non infertur ex praemissa probabili, sed ex praemissis reflexis moraliter certis; pariter dictamen ultimum non fundatur in opinione directa, quae est incerta; sed in ejus probabilitate, quae est certa.

Obj. 7. Motiva reflexa non addunt certitudinem opinioni probabili; est enim et manet probabilis.

Resp. 1°) Nec hanc addunt probabiliori. — **Resp.** 2°) *Conc.* Sed nec hoc requiritur; alias non liceret sequi *probabilissimam;* dant certitu-

dinem judicio reflexo et usui opinionis probabilis, sicut si medicus dicat : iste infirmus non tenetur audire Missam, haec propositio directa est, et manet tantum probabilis : attamen reflexa, qua infirmus dirigitur, scilicet : qui sequitur consilium prudentis medici non peccat, ista est certa; ergo et hic. » — Hucusque SASSERATH.

An recte solverit argumenta, judicet ipse lector.

Q. 36. An aliquando sit *obligatio* sequendi opinionem *minus probabilem* et *minus tutam?*

R. *Affirmative* : — 1°) In *subdito*, qui tenetur obedire superiori praecipienti secundum probabilem, etsi ex judicio ipsius minus probabilem et minus tutam ; quia tenetur obedire in omnibus, quae non sunt certo illicita.— 2°) In *confessario judice*, qui cum debeat pronuntiare secundum allegata et probata poenitentis, non secundum privatam suam opinionem, tenetur contra propriam opinionem probabiliorem absolvere poenitentem qui tenet oppositam probabilem, et de reliquo est dispositus.—3°) In *confessario doctore et medico*,qui quando poenitentem suum videt anxium in lectione horarum, repetendis confessionibus, explicandis circumstantiis, etc., tenetur illum dirigere secundum opiniones benigniores minus probabiles, sicut e converso secundum rigidiores, si sequendo benignas declinet ad noxias laxitates.

Objicitur. Confessarius non debet absolvere contra suam conscientiam : ergo nec contra suam opinionem.

Resp. *Neg. cons.* Debet enim formare sibi conscientiam non secundum suam, sed poenitentis opinionem practice, ut suppono, probabilem, v. g. sic : quamvis ego judicem esse illicitum pingere die festo, quia tamen opinio mea est incerta, et poenitens probabiliter putat oppositum, nec tenetur opinionem suam deserere ; non possum judicare illum esse indispositum ; ergo cum peccata ipsius audiverim, absolvere teneor.

Q. 37. An quis possit, in *eadem materia*, inter probabiles opiniones, modo *hanc*, modo *oppositam* sequi?

R. *Affirmative*, per se : quia inter probabiles opiniones nulla datur *formaliter* tutior et securior altera.

Explanatur. Dixi : **per se**; nam *per accidens* id fieri nequit, in sequentibus casibus. — 1°) Si inde scandalum oriri posset, ut si judex modo hanc, modo oppositam sententiam sequendo, justam inconstantiae aut etiam injustitiae notam incurreret. — 2°) Si usus utriusque opinionis cederet in praejudicium legis certae, vel tertiae cujusdam personae. — **Hinc A**) illicite agit, qui votum jejunii juxta probabilem sententiam commutat in opus aequale, v. g. in eleemosynam, et postea, ne teneatur dare eleemosynam, amplectitur oppositam : quia sic votum certum nullo modo impleret saperetque fraudem et illusionem. — **Hinc B**) illicite ageret sacerdos, qui die Jovis, audita duodecima noctis in uno horologio, omitteret Completorium, eo quod non amplius teneatur illud recitare ; et tamen juxta oppositam sententiam adhuc pergeret vesci carnibus, quia nondum est audita duodecima in altero horologio : quamvis enim duo horologia se habeant ut duae sententiae probabiles, utrumque tamen sequi non licet, certo enim violatur una lex : si enim primum fallat, peccat omittendo Completorium ; si secundum, peccat comedendo carnes. — **Hinc C**) qui nixus probabili opinione de valore testamenti informis, adiret haereditatem provenientem ex testamento quod formis legalibus caret, non potest dein, praetextu opinionis, quae hoc testamentum negat valere, abnuere solutionem legatorum. Alias certo ageret contra jus unius vel alterius haeredis ab intestato vel in ipsius testatoris damnum. Neque suffragatur ei actualis possessio haereditatis : quia nolens solvere pia legata, bona fide non potuit adire haereditatem ; ergo nec bona fide eam posset retinere. — Cfr. Sass.; — Voit (tom. I, n. 104).

ART. III. — De conscientia scrupulosa et laxa.

Q. 38. *Quid* sit conscientia *scrupulosa?*

R. Est ea, quae ex inanibus rationibus judicat talem actionem esse peccatum, cum tamen non sit ; — vel esse peccatum grave, cum tantum sit leve.

Q. 39. Liceatne agere *contra* conscientiam *scrupulosam?*

R. Licet teneamur agere contra scrupulos, non possumus tamen agere contra conscientiam scrupulosam, sed prius debemus eam deponere.

Q. 40. Quid agendum sit ei, qui *scrupulis* laborat?

R. Sicut in arte medica multum interest nosse causas et origines morbi, ut convenientia possint aptari remedia; ita in curando scrupulorum morbo inspiciendae sunt causae et origines hujus spiritualis aegritudinis : non enim una eademque medicina cunctis convenit scrupulosis.— Aliter enim curandus est qui ex *ignorantia*; aliter qui ex *tentatione daemonis*; aliter qui ex *naturali complexione*; aliter qui ex *nimia abstinentia* aut *immoderatis vigiliis*; aliter qui ex *superbia*; aliter qui ex *nimia cum scrupulosis familiaritate*, scrupulis laborat. — Cfr. Puig et Xarrié.

Resolvitur. Hinc DD. multas easque diversas assignant **regulas** pro scrupulosis. — « *Sed revera post orationem nullum his remedium efficacius restabit, nisi* obedientiam omnimodam *directori praestare. Hinc ante omnia confessarius suadeat hoc duplex principium principale :* — Primum, *quod coram Deo tuto incedit, si patri spirituali obtemperat; tunc enim non homini obedit, sed ipsimet Deo qui dixit :* Qui vos audit, me audit.... — Secundum, *quod major scrupulus, qui debet eum angere, erit inobedientia, propter quam non tantum amittendi animi pacem, devotionem et in virtutes progressum, sed etiam desipiendi, sanitatem consumendi, et quod deterius est, etiam animae faciendi jacturam, magno se exponit periculo.* » — Ita S. Alph. (*Hom. apost.* tract. 1. n. 8). — Qui plura hac de re desideret, adeat Sylvium (1. 2. q. 19, a. 5).

Q. 41. *Quaenam* sit conscientia *laxa?*

R. Est illa, quae solum curat vitare gravia; — seu quae ex levi fundamento judicat non esse malum, quod malum est, — vel esse leve, quod est grave.

Q. 42. *Quotuplex* sit conscientia *laxa?*

R. *Triplex :* alia *simpliciter laxa*,— alia *pharisaica*,— alia *cauteriata*. — Prima libertatem plus aequo extendit, judicans ad actionis licentiam sufficere quamcumque probabilitatem, licet tenuem et exiguam, juxta illud ab Innoc. XI damnatum sub n. 3 : « *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* » — Secunda magna parvi, et

parva magni aestimat, secundum illud (Matth. XXIII, 24) : « *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.* » — Tertia ex habitu peccandi etiam gravissima nihil pendit, judicando bonum malum, et malum bonum, sine ullo remorsu, de qua 1. Tim. IV, 2 : « *Et cauteriatam habentium suam conscientiam.* »

Q. 43. Quaenam sint *causae* conscientiae *laxae?*

R. Sunt : — 1°) Vita mollis, quae enervat; — 2°) neglectus orationis, qui nos omnino dejicit; — 3°) nimia temporalium sollicitudo, quae nos terrenos facit; — 4°) peccandi consuetudo, quae tollit peccati horrorem; — 5°) familiaritas cum hominibus vitiosis, quibus assuescimus; — 6°) luxuria, quae impedit quominus christianus ad spiritualia inclinetur et tendat.

Q. 44. Quinam sint *effectus* conscientiae *laxae?*

R. Sunt : — 1°) Caeca animi tranquillitas post peccatum; — 2°) insensibilitas ad pia monita; — 3°) irrisio piarum exercitationum; — 4° summum salutis periculum, juxta illud (Rom. II, 5) : « *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae.* »

Q. 45. Quaenam sint praecipua *laxae* conscientiae *remedia?*

R. Sunt : — 1°) Recessus spiritualis per aliquot dies, dicente Domino (Os. II, 14) : « *Ducam eum in solitudinem et loquar ad cor ejus;* — 2°) frequens et humilis oratio cum novissimorum meditatione juxta illud (Eccl. VII, 40) : « *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis;* » — 3°) quotidiana conscientiae discussio, secundum illud (Is. XLVI, 8) : « *Redite praevaricatores ad cor;* » — 4°) frequens piorum librorum lectio; — 5°) diligens confessio; — 6°) fuga improborum et conversio cum bonis, juxta illud (Prov. XIII, 20) : « *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur* » — Cfr. Scavini.

DE LEGIBUS

SEU

de regula remota et externa actuum humanorum.

PRAEAMBULUM. Hujus tractatus erit **pars triplex** et adjicietur **Appendix.**

In **prima** parte tradentur *notiones generales.*

In **secunda** agetur de *institutione* legis, adeoque dicetur : 1°) de *legislatore;* 2°) de legis *objecto;* 3°) de *subjecto,* et 4°) de *promulgatione.*

In **tertia** agetur de *exsecutione* legis, ibique dicetur : 1°) de legis *obligatione;* 2°) de *modo* eam observandi; 3°) de *causis excusantibus;* 4°) de legis *interpretatione;* 5°) de legis *dispensatione;* 6°) de *cessatione* legis.

In **Appendice** dicetur : 1°) de *privilegiis;* 2°) de *consuetudine.*

PARS PRIMA.

NOTIONES GENERALES.

CAP. UNIC. — De legis quidditate, proprietatibus et divisione.

Q. 1. Quid *proprie* sit *lex?*

R. Ex S. Th. (1. 2. q. 90. a. 4) est : « *quaedam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* »

Explanatur. Est **1°) ordinatio** : i. e. agendorum aut omittendorum praescripta regula. Unde ad essentiam legis pertinet *obligatio* seu morale aliquod vinculum adstringens ad aliquid agendum vel omittendum. « *Dicitur enim lex a* ligando, » ait S. Thom. (l. c. a. 1). Et in hoc differt a *consilio,* cui vis tantum directiva vel suasoria inest. — **2°) rationis,** videlicet practicae : quia lex essentialiter

est aliquid rationis, dicente S. Th. (l. c. a. 1) : « *Rationis enim est ordinare ad finem, qui est primum principium in agendis.* » Nec obstat quod lex in Scriptura dicatur *voluntas*, juxta illud (Ps. CLII, 10) : « *Doce nos facere voluntatem tuam ;* » nam Scriptura ideo hoc dicit, quia legem semper comitatur actus voluntatis legislatoris, volentis legem suam observari. — 3°) **ad bonum commune** : quibus verbis indicatur finis legis, qui est felicitas societatis, civilis, ecclesiasticae, vel universi generis humani. — 4°) **ab eo qui curam communitatis habet** : i. e. ab habente auctoritatem publicam seu jurisdictionem in communitatem *perfectam*. Quo nomine intelligitur multitudo hominum sub gubernatione praesidis habentis jurisdictionem *politicam*, eam scilicet, quae se extendat etiam ad poenas graviores, ut mortis, exilii, carceris, etc., quales sunt regna, provinciae, civitates, Christi Ecclesia, Ordines religiosorum, etc. Unde ad legem condendam non sufficit potestas *dominativa* sive *oeconomica*, qualem v. g. habet paterfamilias in domesticos. — 5°) **promulgata** : secus lex frustra constitueretur, cum impleri non possit quod nullimode innotescit ; sive interim promulgatio sit de essentia legis ; sive, quod probabilius est, conditio tantum insupplebiliter requisita, ut actu obliget. — Et haec est definitio legis **proprie** seu **stricte** dictae. — In **lato sensu**, lex diversimode accipitur : — A) Pro instinctu seu inclinatione, juxta illud (Rom. VII, 23) : « *Video aliam legem in membris meis.* » — B) Pro termino alicujus rei, juxta illud (Prov. VIII, 27) : « *Quando certa lege vallabat abyssos.* » — C) Pro conditione adjecta alicui contractui, ut cum dicitur : *Paciscor tecum, ea lege, ut* etc. — D) Pro quacumque regula aliquid praescribente, sive bonum sive malum, juxta illud (Is. X, 1) : « *Vae qui condunt leges iniquas.* » — E) Pro libro legem continente, juxta illud (Luc. X, 26) : « *In lege quid scriptum est ?* » — F) Pro ipsa re quam lex praescribit, juxta illud (Joan. VII, 19) : « *Nemo ex vobis facit legem.* »

Resolvitur. Ex dictis intelligitur : — quae sint *causae ;* — qui sint *effectus*, — et quinam *actus* legis. — 1°) **Causae** legis sunt quatuor : *materialis* est quidquid a lege praescribitur ; *formalis* est ejus essentia ; *finalis* est bonum commune ; *efficiens* est ipse legislator. — 2°) **Effectus** legis ex S. Th. (1. 2. q. 92, a. 1) est : « *bonos facere eos quibus datur, vel simpliciter* (seu undequaque, ut

facit lex charitatis); *vel secundum quid* (et in certa materia, quod faciunt aliae leges particulares). » — 3°) **Actus** legis ex S. Th. (ibid. a. 2, sunt quatuor : *praecipere, prohibere, permittere* et *punire;* non quod a lege eliciantur : non enim lex est habitus aut potentia; sed quia quodammodo lex integratur ex istis quatuor. — Et quamvis omnis lex obliget, *obligare* tamen non debuit distincte numerari inter actus legis, quia est actus inseparabiliter consequens ad actus numeratos. Sic ex praecepto aut prohibitione sequitur obligatio opus faciendi vel vitandi; ex permissione sequitur obligatio in aliquibus non impediendi; ex punitione sequitur in judice obligatio poenam infligendi et in subdito illam sustinendi.

Q. 2. Quaenam sint legis *proprietates* seu *conditiones*, ut *obliget?*

R. Sunt *sex* sequentes.

Explanatur. Debet esse : — 1°) **Possibilis,** non solum *physice,* sed etiam *moraliter,* ita ut non sit nimis observatu difficilis, adeoque « *secundum naturam, secundum consuetudinem patriae, loco temporique conveniens,* » ut habet S. Isid. apud S. Th. (l. c. q. 95, a. 3). Secus esset irrationalis. — 2°) **Honesta,** nihil statuens juri naturali aut divino repugnans. — 3°) **Utilis** bono communi, cum ad hoc solum potestas legislativa concessa legatur. Aliunde si foret de inutili, eo ipso esset injusta : quia imponeret subditis onus sine ratione. — 4°) **Justa,** subditis imponens onera secundum aequalitatem proportionis. — 5°) **Stabilis** seu **perpetua,** non quidem *positive :* potest enim abrogari; sed *negative,* ita ut obliget quamdiu ab habente potestatem vel consuetudine non abrogatur. Unde non expirat morte legislatoris, sicut ordinarie expirat simplex praeceptum morte naturali vel civili praecipientis; nec obligat tantum praesentes, sed etiam futuros. Interim, licet aliqua stabilitas requiratur in lege, cum feratur pro communitate, dici tamen nequit perpetuitatem adeo esse de essentia cujusvis legis, ut hujus ratio deficiat eo solum quod legislator ab initio tempus praefixerit quo lex desinet. Unde quoque haec conditio a S. Thom. (*l. c.*) non commemoratur. — 6°) **Promulgata,** quandoquidem ad incognitum nulla est obligatio; cognosci autem sine promulgatione non potest. « *Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod*

est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. » Ita S. Thom. (1. 2. q. 90, a. 4).

Resolvitur. 1° Ut legislator *licite* procedat, debet legem ad bonum commune dirigere, et peccaret, si eam ex odio aut alio pravo fine ferret. — Verum ut lex sit *valida*, adeoque obliget, satis est, si ex seipsa, sive ex natura sua, tendat ad bonum commune. — **Resol. 2°** Si lex sit toto regno utilis, non ideo desinet obligatio, quod alicui provinciae, civitati aut privato sit nociva aut multum onerosa : quia pars subditur toti bono communi.

Q. 3. An *idem* sit *lex* et *praeceptum?*
R. *Negative.*

Explanatur. Quamvis aliquando promiscue accipiantur, differunt tamen sicut genus a specie : omnis enim lex est praeceptum, non vice versa. — Unde **differunt** in hoc : — 1°) lex fertur in communitatem ; praeceptum etiam in personam privatam ; — 2°) legislator est persona publica ; praecipiens potest esse persona privata ; — 3°) finis *directus* et *immediatus* legis est bonum commune; praecepti vero bonum privatum ; — 4°) lex afficit immediate territorium ; praeceptum immediate personam ejusque veluti *ossibus haeret ;* — 5°) praeceptum cessat morte praecipientis ; lex vero non extinguitur cum legislatore.

Q. 4. *Quotuplex* sit lex?
R. *Multiplex.*

Explanatur. Distinguitur : 1°) **Aeterna, naturalis** et **positiva.** — Prima ex S. Aug. (Ep. 22 cont. Faust. c. 29) est : « *Ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* » — Secunda ex S. Thom. (1. 2. q. 91, a. 2) est : « *Participatio legis aeternae in rationali creatura ;* » seu ipsa lex aeterna prout nobis per dictamen rationis manifestatur. — Tertia est, quae libere a legislatore posita est, et ideo ea quae prohibet non sunt ex se, id est, *essentialiter* mala, sed mala *accidentaliter,* quatenus a superiore prohibita. — Lex autem positiva est : — vel *divina,* — vel *humana,* prout Deum, vel hominem auctorem immediatum habet. — *Divina*

alia est *veteris*, alia *novi Testamenti*. — *Humana* alia est *ecclesiastica* seu *canonica*, alia *civilis*, alia *gentium*. — Prima ordinatur a potestate ecclesiastica ad profectum animae et rectam Ecclesiae gubernationem. — Secunda fertur a potestate politica ad tranquillitatem reipublicae et rectam illius gubernationem. — Tertia est quae ex tacito omnium gentium consensu condita et recepta est, uti est lex de immunitate legatorum, et ideo *jus gentium* nuncupatur. — 2°) Lex universaliter dividitur in **affirmativam** et **negativam**, prout directe et primario aliquid praecipit faciendum, — aut illud prohibet ; et hinc, an lex sit *affirmativa* vel *negativa*, non est praecise sumendum ex vocibus affirmativis vel negativis ; sed attendi debet finis legis, an actio aliqua vel actionis omissio principaliter praecipiatur. — 3°) Lex alia est **praeceptiva**, quae aliquid praecipit vel prohibet, sed poenam transgressoribus non imponit ; — alia **pure poenalis**, quae nullum proprie praeceptum continet, sed solum poenam imponit transgressoribus ; — alia **mixta**, quae et actum praecipit vel prohibet, et simul poenam in transgressores statuit. — Quaenam autem sint leges *pure poenales*, debet desumi ex verbis legis et praecipue ex interpretatione DD. et consuetudine, quae est optima legum interpres. — 4°) Lex alia est **prohibens** tantum, — vel simul **irritans**, prout actum — vel simpliciter illicitum, — vel nedum illicitum, sed insuper invalidum aut invalidandum declarat. — 5°) Lex alia est **favorabilis**, — alia **odiosa**, — prout primario intendit beneficium et favorem, — vel onus et gravamen eorum pro quibus fertur. — 6°) Lex alia est **scripta**, — alia **usu servata**, — prout mandato scripto fertur, — vel sola consuetudine introducitur et servatur. — 7°) Lex aliquando est **fundata in fictione**, si ex justa causa idem statuit pro casu ficto quod alia lex in casu vero ; — aliquando est **fundata in praesumptione**, si ex conjectura certae cujusdam circumstantiae aliquid praecipit vel prohibet estque duplex : — una fundata *in praesumptione communis periculi* ; — altera *in praesumptione facti*. — Prior nititur judicio moraliter certo, quod ex tali actu fraus vel damnum eveniat ; — posterior nititur conjectura particularis circumstantiae pro hoc vel illo casu.

Resolvitur 1. Ex S. Thom. (1.2.q.93,a.3) omnes leges, « *quae sunt in inferioribus gubernantibus,* » a lege **aeterna** derivantur.

Quod probat sequenti argumento : — In omnibus moventibus ordinatis, virtus secundi moventis derivatur a virtute primi moventis : et sic ratio agendorum in civitate derivatur a Rege ad inferiores administratores, et in artificialibus ratio artificialium actuum derivatur ab Architecto ad inferiores artifices. — Atqui, lex aeterna est primum movens in genere legum, cum sit *ratio gubernationis in supremo Gubernante,* nempe Deo, movens et dirigens omnes actus omnium creaturarum ad debitum finem ; caeterae autem leges, ab hominibus latae, dirigunt ac movent tamquam secunda moventia. — Ergo, omnes hujusmodi leges a lege aeterna derivantur. — Ut autem recte notat Billuart, **triplici modo** potest intelligi leges alias ab aeterna derivari : **1°**) Tamquam ab exemplari ; quia omnes leges, ut sint justae, debent esse conformes legi aeternae. — **2°** Tamquam a causa efficiente, quia omnis potestas legislativa inferior est a Deo. — **3°**) Quatenus lex aeterna mediante lumine rationis vel fidei dirigit legislatores, ut videant, quae et quando leges sint instituendae pro diversitate circumstantiarum, personarum, locorum et temporum. — **Resol. 2.** Quamvis omnes leges, quae sunt in inferioribus gubernantibus, deriventur a lege aeterna, inde tamen inferri nequit, leges humanas de *jure divino* obligare. — Sciendum enim est, leges posse a Deo derivari vel **immediate** vel **mediate** tantum. Dicuntur a Deo *immediate* procedere, quae non habent alium auctorem quam Deum, quales sunt lex *naturalis* et lex *divina positiva,* et ideo hujusmodi leges obligant de jure divino. Illae autem leges dicuntur *mediate* a Deo procedere, quae feruntur ab homine, auctoritate ipsi a Deo concessa. Unde, sicut causa creata vere est causa proxima sui effectus, esto illum non causet, nisi virtute a Deo participata ; ita pariter lex humana, cum suam vim et efficaciam obligandi proxime habeat ab homine legislatore, vere dicitur, quod ejus sit, adeoque quod obliget jure humano, quamvis legislator potestatem suam a Deo acceperit. — Cfr. Puig et Xarrié. — **Resol. 3.** In omni lege vel praecepto **affirmativo** implicite involvitur *negativum ;* et similiter in omni lege vel praecepto **negativo** includitur *affirmativum.* — Sic praeceptum dilectionis proximi secundum formam affirmativum est ; implicat tamen etiam negativum. — Uti *affirmativum,* obligat ad proximum amandum et ei succurrendum,

juxta illud Joan. III, 18 : « *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* » — Uti *negativum*, vetat odium ceterosque actus amori benevolentiae contrarios, juxta illud Tob. IV, 16 : « *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* » — **Resol. 4.** Leges **negativae** obligant *semper et ad semper*, i. e. pro omni tempore quo durant. Sic lex jejunii obligat ad omissionem duplicis refectionis pro tota die et omni parte diei. — E contra leges **affirmativae** obligant *semper sed non ad semper*, i. e. aliquo tantum tempore quo durant. Sic lex audiendi Missam omni die dominica obligat non tota die, sed tantum pro aliqua parte diei.

PARS SECUNDA.

DE LEGIS INSTITUTIONE.

CAP. I. — De legislatore seu de iis qui possunt ferre leges.

Q. 5. An detur in hominibus *potestas* condendi leges?

R. Praeter Deum, qui auctor est legis *aeternae*, *naturalis* et *positivae divinae*, dari etiam in hominibus potestatem ferendi leges humanas, de fide certum est.

Resolvitur. Potestatem legislativam non pendere a **probitate vitae**, adeoque ea pollere omnem principem, tam saecularem quam ecclesiasticum, — sive bonum — sive malum, constat ex propositione 15 Joan. Wicleff : « *Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.* » Item ex prop. 12 Joan. Huss : « *Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus.* » Quas propositiones damnavit Conc. Const. sub Mart. V. — Aliunde id invicte eruitur ex SS. LL. Sic Christus jubet tributum dari Caesari principi ethnico Matth. XXII, 21, et obedire Scribis et Pharisaeis secundum legem praecipientibus, quamvis malis et improbis ibid. XXIII, 3. Item Paulus docet principes, etiam infideles, esse Dei ministros ipsisque parendum esse, non solum propter iram, sed propter conscientiam Rom. XIII, 5-7. Huc quoque spectant : tum illud (Tit. III, 1 ; tum illud (1 Petr. II, 13-15).

Q. 6. *Quinam* possint condere leges *ecclesiasticas*, vel *civiles?*

R. Leges *ecclesiasticas* condere possunt : Pontifex et Concilia generalia pro tota Ecclesia ; Episcopi, et omnes qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo, pro suis subditis.— Leges vero *civiles* : summi imperantes, i. e. qui praesunt societati perfectae, v. g. monarchae, praepositi civitatis exemptae, praepositi status mixti seu temperati, vel reipublicae.

Resolvitur 1. Sicut episcopi **seorsim** sumpti, modo canonice fuerint instituti, et realem suae sedis possessionem ceperint, leges ferre possunt pro respectivis suis subditis, sive intra, sive etiam extra Synodum dioecesanam, dummodo, si extra fiat, prius audiatur Capitulum, in hypothesi quod detur, (cujus tamen consensus non requiritur, nisi agatur de rebus quae in capituli aut cleri praejudicium, i. e. in juris jam acquisiti violationem cederent); — ita pariter episcopi **congregati** in Concilio, sive *nationali* in quo omnes archiepiscopi certae nationis sub uno Primate conveniunt, sive *provinciali* quod congregatur ex episcopis suffraganeis certae provinciae auctoritate Archiepiscopi seu Metropolitani), leges pro tota natione vel pro tota provincia constituere valent. — Attamen horum Conciliorum Nationalium seu Provincialium decreta, antequam promulgentur, mitti debent ad S. Congr. Conc. Trid., — non quidem ut confirmentur, — sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. — Quandoque tamen accidit, ut, ita petentibus Metropolitanis a quibus sunt celebrata, per apostolicas litteras confirmentur. Quae confirmatio duobus modis fieri potest : sive in forma *communi*, qua Conciliorum decreta neque absolute approbantur, neque auctoritate apostolica sanciuntur, sed promulgari dumtaxat permittuntur; — sive in forma *specifica*, qua, praemisso examine, eorum decreta *motu proprio* atque ex *certa scientia* a S. Sede confirmantur, quo casu naturam induunt legis pontificiae quoad eos ad quos diriguntur. — De recognitione CC. Prov. egi in opere *(Synopsis S. R. E. Card. Congr.)* — Cfr. Bened. XIV *de Syn. dioec.* (l. 13, c. 5, n. XI; et l. 12, c. 5, n. XIII). — **Resol. 2.** *Praelati* **Regularium** veras leges condere possunt, sive in Con-

gregatione seu Capitulo generali Ordinis, sive alio modo, intra limites suae jurisdictionis, juxta proprias Ordinis constitutiones. — Contra **Capitulum,** (idem dic de *Administratore Dioecesis*), Sede vacante, nihil innovare aut abrogare potest, sed dioecesim gubernare juxta leges jam exsistentes. Attamen statuta quae pro circumstantiis necessaria forent, ut leges jam latae vigorem habeant, ferre potest. — Ceterum, cum jurisdictio in plures divisa difficulter exerceatur, voluit Conc. Trid., ut intra octo dies a cognita Sedis vacatione, Capitulum eligat **Vicarium Capitularem,** in quem omnis jurisdictio transferatur. — Pariter *Abbatissae* seu *Superiorissae* **Monialium** non possunt ferre leges proprie dictas, cum jurisdictionis ecclesiasticae non sint capaces. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res praescriptas, vel circa ea quae ad profectum Monialium juxta regulas conducunt.

Q. 7. *Undenam* illam habeant *potestatem?*

R. *A Deo,* supremo et universali legislatore. — Hinc dicitur (Rom. XIII, 1) : «*Non est potestas, nisi a Deo.*» Et (Prov. VIII, 15-16) : «*Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.*»

Explanatur. Et quidem **R. Pontifex** illam habet *immediate* a Christo Domino, ut definivit Conc. Vatic. *Const. dogm.* 1ª, cap. III. — **Episcopi** *immediate* a Papa, adeoque *mediate* tantum a Christo. — Hinc scribit Pius VI (in Brevi ad Episc. Motulen. 16 Sept. 1788) : « *Dignitatem episcopalem quoad ordinem immediate esse a Deo, et quoad jurisdictionem ab Apostolica Sede.* » Hinc quoque dicit S. Thom. (l. 4. contra Gent. c. 76) : « *Christum soli Petro promisisse :* Tibi dabo claves regni coelorum, *ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda.* » — Idem dicendum de caeteris **superioribus ecclesiasticis,** jurisdictionem ordinariam in foro externo habentibus. — Denique **reges** aliique supremi principes *juxta plures* illam habent *immediate* a republica seu communitate, ut habetur leg. 1. *Quod principi placuit,* Digest. lig. 1. tit. 4. Aliqui tamen eam *immediate* a Deo acceperunt, uti constat de Saül et Davide. — *Juxta alios,* etsi

designatio personae imperantis ac etiam forma regiminis originitus a populi conventione esse queant, nihilominus ipsa supremae potestatis collatio *immediate* fit a solo Deo, i. e. a divina ordinatione, natura rei sic exigente.

Objicitur. S. Paulus (Act. XX, 28) dicit ad **Episcopos** : « *Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* » Ergo potestatem jurisdictionis *immediate* habent a Deo. — **Resp.** Cum Bellarm. *de Rom. Pont.* l. IV, c. 25, : « dici episcopos constitutos a Spiritu Sancto non *immediate*, sed *mediate*. Quia Apostoli inspirante Deo et virtute accepta a Spiritu Sancto illos episcopos constituerant. Quemadmodum etiam (Act. XV, 28) dicunt : *Visum est Spiritui Sancto et nobis ;* et tamen de lege humana loquuntur; et (Rom. VIII, 1 : *Non est potestas, nisi a Deo.* Nimirum *mediate* vel *immediate*. » — Praeterea, ut scite notat cl. P. Pius (in *Theol. Mor.* V. D.V. , « valde dubium est, utrum hic Apostoli textus solos Episcopos, an non potius simplices etiam presbyteros comprehendat. Ita enim illum S. Scripturae locum intelligunt melioris notae interpretes : Corn. a Lapide,— Beelen. Cui interpretationi favent plures SS. Patres. Jam autem si in hoc textu non tantum de episcopis, sed et de simplicibus presbyteris sermo est, quomodo Episcoporum jurisdictionem *immediate* a Deo esse ex eo erui posset? »

Scholion. De *politici imperii* **divina origine** praeclare, pro more suo, loquitur Leo XIII, variis in locis, praesertim in Enc. « *Diuturnum illud* » 29 Jun. 1881, et « *Immortale Dei* » (1 Nov. 1885., ubi sic scribit : — « *Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur : quae, non secus ac societas, a natura proptereaque a* **Deo ipso** *oriatur auctore. Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum Dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est : ita ut quicumque jus imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo.* Non est potestas nisi a Deo. »—Tum addit, loquens de specie seu **forma** politici gubernii : — « *Jus autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum ;* **aliam sibi vel aliam** *assu-*

mere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. » — Hinc quoque in Litteris ad Episcopum S. Flori, quae Romae die 29 Nov. 1890 ex Secretaria Status « *de sententiarum dissidio in Galliis excito* » prodierunt, haec sequentia leguntur : « *Quae mens ac sententia sit Apostolicae Sedis ea super re, facile dignoscere potes ex doctrina explicata in actis quae ab eadem prodiere. Patet ex illis catholicam Ecclesiam, cujus divina missio tempora et loca omnia complectitur, nihil in sua constitutione et doctrinis habere quod ab aliqua abhorreat reipublicae forma, quum singulae optimum civitatis statum parare ac tueri possint, si juste ac prudenter adhibeantur. Scilicet Ecclesia assurgens supra mutabiles imperii formas ac contentiones et studia partium, spectat imprimis religionis incrementa et animarum salutem, quod bonum supremum est, cui curando ac provehendo studium operamque omnem sedulo debet conferre. Haec cogitans et animo intendens Apostolica Sedes, traditionem sequens aetatum omnium, non modo civiles potestates observat, (sive unius, sive plurium imperio regatur respublica), sed etiam cum iis agit missis exceptisque nunciis et legatis, et consilia confert ad transigenda negotia et definiendas quaestiones quae mutuas rationes Ecclesiae et reipublicae attingunt. Perfunctio hujus muneris cujus amplitudo humanas res supereminet, nullum infert praejudicium juribus quae forte ad aliquos spectare possunt, velut sapienter declaravit sanctae memoriae Pontifex* Gregorius XVI, *decessorum suorum vestigia sequens, in Litteris apostolicis die VI Augusti datis anno 1831, quarum initium :* Sollicitudo. » Eamdem doctrinam exponit Leo XIII, in sua : *Lettre encyclique* (16 Fev. 1892); item in alia (3 Maii 1892) ap. N. R. T. (XXIV, 1 seqq.; 229 seqq.).

Q. 8. An *vim legis* habeant CC. RR. *declarationes* et *decreta?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative* quoad Congregationem **Rituum.** Imo hujus declarationes et decreta *etiam in similibus casibus* obligare, tenet sententia communissima. De qua controversia vide

N. R. T. X, 479 seq.). — 2°) Quoad **ceteras** Congregationes, *affirmative* pro casibus particularibus pro quibus eduntur. An vero valeant *pro casibus similibus*, disputatur. — *Affirmandum* videtur, si sint a Papa approbatae, et non condant jus novum; i. e. si tantum legem dubiam explanent vel interpretentur; seu, aliis verbis: si sint mere *comprehensivae*. — *Negandum* vero, si condant jus novum, seu, si sint *extensivae*; — nisi tamen Papa declaret, se velle eas ab omnibus servari (1).

Resolvitur. Declarationes SS. CC. **comprehensivae**, si sint authenticae, vim legis habent non solum quoad eos, quibus responsa dantur, sed etiam quoad alios. — Nec obstat, quod hujusmodi declarationes non promulgentur solemniter. Nam declaratio mere comprehensiva specialem et solemnem promulgationem non requirit, cum non condat jus novum, sed jam conditum et promulgatum mere explicat. Quod si non ad omnium notitiam ipsa pervenit, hoc tantum inde sequetur, quod qui contra explicatum legis sensum agit, tum a culpa, tum a poena, ob ignorantiam sit excusandus, donec declaratio ipsi innotescat, sive ex authenticis S. C. Litteris, sive authentico earum exemplari, sive relatione fide digna, prout fit de aliis legibus. — Contra declarationes SS. CC., si sint **extensivae**, non habent vim legis, nisi fiant ex speciali Pontificis mandato et legitime promulgentur. Ratio est: quia hoc ipso, quod non contineantur verbis legum proprio sensu acceptis, jam sunt novae leges, quae in declarante requirunt legislativam potestatem. Atqui, SS. CC. ex sua institutione habent quidem potestatem interpretandi, non vero leges condendi.

CAP. II. — De objecto seu materia legis.

Q. 9. *Quaenam* sit *materia* seu *objectum* legis?

R. Est generatim quidquid lex praecipere vel prohibere potest.

Resolvitur. 1°) Objectum legis esse possunt omnes et soli ac-

(1) De variis Congregationibus Romanis et Tribunalibus egi in opere: Synopsis S. R. E. Cardinalium Congregationum. Lovanii 1857. — Item in alio: De la Cour Romaine sous le Pontificat de N. S. P. Le Pape Pie IX. 2 vol. Louvain. 1859-1861.

tus quorum positio vel omissio favet bono communi. — **Resol. 2°)** Cum potestas humana sit subordinata potestati ac voluntati Dei, et inferior nequeat derogare auctoritati superioris, non potest esse objectum legis humanae quidquid est contra legem naturalem et divinam positivam. Hinc S. Thom. (1. 2. q. 96, a. 4) loquens de legibus humanis, quae sunt contra legem divinam, ait : « *Tales leges nullo modo licet observare; quia, sicut dicitur* (Act. IV) : *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* » Quam doctrinam Magnus Leo XIII (Enc. *Quod Apostolici muneris*, 28 Dec. 1878), hisce verbis confirmat : « *Quod si legislatorum ac principum placita aliquid sanciverint aut jusserint quod divinae aut naturali legi repugnet, Christiani nominis dignitas et officium atque apostolica sententia suadent* obediendum magis Deo quam hominibus. »

Q. 10. An *eadem* sit *materia* legis *aeternae* ac legis *naturalis?*

R. *Affirmative* : cum lex *naturalis* nihil aliud sit, quam lex *aeterna*, prout nobis per dictamen rationis manifestatur.

Q. 11. *Quaenam* sit *materia* seu *objectum* legis *naturalis?*

R. Omne illud quod lumen naturale dictat esse *ex se* necessarium vel contrarium naturae rationali. — Et ideo praecipuum discrimen inter legem positivam et naturalem est : quod illa sit tantum de necessariis *ex voluntate legislatoris* : haec vero de necessariis *ex se* ad honestatem et finem creaturae rationalis.

Q. 12. Utrum lex *naturalis* contineat *plura* praecepta, vel *unum* tantum?

R. Continet plura, quae tamen omnia, juxta S. Thom. (1. 2. q. 91, a. 2) fundantur in uno : « *Bonum est faciendum et malum vitandum.* »

Explanatur. Ratio doctrinae S. Th. est : — Quia praecepta legis naturalis eo modo se habent ad rationem *practicam*, sicut prima principia demonstrationum se habent ad rationem *speculativam*. Atqui, in speculativis sunt plurima principia demonstrationum, quae tamen omnia fundantur in hoc uno : « *impossibile est idem esse et non esse,* » seu quod de eodem non sit affirmare et negare, ex eo quod istud fundetur super rationem entis et non

entis. Ergo similiter omnia praecepta legis naturae fundantur in eo, quod *bonum sit faciendum et malum fugiendum*. — Prob. *conseq.* Quia sicut *ens* est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita *bonum* est primum quod cadit in apprehensione practicae rationis quae ordinatur ad opus : omne enim agens agit propter finem qui habet rationem boni ; et ideo primum praeceptum legis naturae est quod bonum sit faciendum et malum illi oppositum fugiendum, et super hoc fundantur omnia alia praecepta legis naturae, ita ut nihil praecipiat aut prohibeat, nisi sub ratione boni vel mali.

Resolvitur. Lex naturae potest dici **multiplex** et **una.** — *Multiplex :* quia continet plura et diversa praecepta. — *Una :* quia omnia fundantur in uno et ad unum ultimum finem ordinantur.

Q. 13. *Quotuplicis* generis distinguantur *praecepta* legis *naturalis?*

R. *Triplicis* generis.

Explanatur. 1° Quaedam sunt **prima et universalissima morum principia,** v. g. « *bonum est faciendum et malum vitandum ;* » « *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris ;* » ad haec reduci possunt quaedam ex praeceptis Decalogi, quae ex illis nullo negotio a quovis ratione utente facile deducuntur, ut : quod Deus sit colendus, parentes honorandi. — **2°** Alia sunt, quae licet immediate ex iis principiis inferantur, **non tamen ita facile et evidenter** sicut priora ; ut sunt alia Decalogi praecepta, excepto tertio, quatenus est caeremoniale. — **3°** Alia denique sunt, quae **nonnisi difficili** discursu ex iis deducuntur, v. g. usuram esse illicitam.

Q. 14. Dic : 1°) *Qualia* praecepta contineret lex positiva divina *vetus,* — et 2°) quo sensu dicatur *imperfecta?*

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (1. 2. q. 99, a. 4) *triplicis* generis continebat praecepta.

Explanatur. Erant : — 1°) **caeremonalia,** quibus praescribebantur ritus ad Dei cultum ordinati ; — 2°) **judicialia,** quae modum justitiae administrandae et servandae inter homines determinabant ; — 3°) **moralia,** quae ad honestatem pertinent, ut sunt praecepta Decalogi a Deo data et per Moysem promulgata. Haec autem et alia praecepta moralia modo non obligant ut sunt

praecepta *veteris* legis, sed ut sunt praecepta legis *naturae*, et ut a Christo sunt *renovata*; excipe determinationem sabbati ad cultum Dei specialem, quae facta est ab Ecclesia.

R. Ad 2um) Lex *vetus* dicitur *imperfecta* : non quidem *positive*, quasi aliqua perfectio pro statu illo ipsi debita defuisset; sed *negative*, i. e. minus perfecta quam *nova*.

Q. 15. *Quid* contineat lex positiva divina *nova?*

R. Lex *nova* seu *evangelica*, quae etiam dicitur lex *gratiae* seu *libertatis*, vel *Novum Testamentum*, TRIPLICIS quoque generis continet praecepta.

Explanatur. Nimirum : — 1°) **moralia**, quae Christus innovavit et penitus declaravit; — 2°) **sacramentalia**, quae dedit circa sacramenta et missae sacrificium; — 3°) **fidei**, quae clarius explicavit. — His adduntur : — **Consilia**, quae idcirco *evangelica* dicuntur, nempe : paupertatis, castitatis et obedientiae.

Resolvitur. Lex *nova* cum omnibus modis **perfecta** sit, nulla alia lex ei succedet, sed usque ad saeculi consummationem est duratura. — Quod sic ostendit S. THOM. (1.2.q.106, a.4) : « *Successit status novae legis statui veteris legis, tamquam perfectior imperfectiori. Nullus autem status praesentis vitae potest esse perfectior quam status novae legis : nihil enim potest esse propinquius fini ultimo, quam quod immediate in finem ultimum introducit; hoc autem facit nova lex.* » — Hinc merito damnata est in SYLLABO, sub n. 5, sequens propositio : « *Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.* »

Q. 16. *Quaenam* sit *materia* legis positivae *humanae?*

R. Sunt actiones humanae, quae cadunt *sub potestate* legislatoris, et referri possunt *ad commune bonum*. — Unde praecipi possunt non tantum actus humani *honesti* quarumcumque *virtutum*; sed et actus ex objecto *indifferentes* : quia hi quandoque possunt esse utiles, imo necessarii, bono communi. Sic potest civibus imponi, ut portent arma, ut sic assuescant seque exerceant pro bello.

Q. 17. An lex *humana* possit prohibere *collective* omnia vitia, aut praecipere omnes actus cujuscumque virtutis?

R. *Negative* : quia lex non debet esse moraliter impossibilis toti communitati. — Nec refert, quod lex *divina* et *naturalis* prohibeant omnia vitia, quamvis levia : quia, cum sint *immediate* a Deo conditore, dant vires ad exsequendum quidquid a Deo praecipitur. Secus vero lex *humana*.

Resolvitur. Ex S. Thom. (1.2.q.96, a.2-3) : « *Lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus* VIRTUOSI *abstinent, sed solum* GRAVIORA, *a quibus possibile est* MAJOREM *partem multitudinis abstinere ; et* PRAECIPUE *quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset, sicut prohibentur lege humana homicidia, furta et hujusmodi.* » — Pariter « *non de omnibus actibus omnium virtutum lex humana praecipit, sed solum de illis qui* ORDINABILES *sunt ad bonum commune, vel* IMMEDIATE : *sicut cum aliqua directe propter bonum commune fiunt ; vel* MEDIATE : *sicut cum aliqua ordinantur a legislatore pertinentia ad bonam disciplinam, per quam cives informantur, ut commune bonum justitiae et pacis conservent.* »

Q. 18. An lex *humana* possit praecipere actus *heroicos?*

R. Ordinarie *negative* : quia vires humanas excedere moraliter censentur.

Explanatur. Dico : **ordinarie** ; nam, etiam cum periculo vitae, praecipi possunt in **duplici casu** : — 1°) Ob bonum commune ; et sic potest episcopus tempore pestis obligare *confessarios*, et magistratus publicus *medicos*, ut maneant in civitate ; — 2°) Ob aliquem peculiarem statum libere electum ; et sic praecipitur continentia in *clerico*, et severa disciplina in *religioso*.

Resolvitur. Actus **heroici** vocantur, qui cum maxima difficultate sunt conjuncti. — Quocirca ex Bened. XIV (de *Canon. SS.* l. 3, c. 21) sciendum est : virtutes ratione exercitii distingui in *communes* et *heroicas ;* — sunt *communes*, quae ab homine exercentur secundum illam rationem, quam solent servare plerique eorum qui virtutem profitentur ; — *heroicae* sunt, quae habita ratione circumstantiarum, admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt.

Q. 19. An lex *humana*, tam *civilis*, quam *ecclesiastica*, possit praecipere actus *internos?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) loquimur de actibus internis **per se** *conjunctis cum actu externo,* i. e. sine quibus externus non ponitur, sive in esse physico sive morali, quia vel est causa per se illius, vel conditio necessario requisita; v. g. volitio recitandi horas per se conjungitur cum recitatione : sine hac enim non est actus humanus; similiter dolor internus per se conjungitur cum confessione, quae sine illo non est talis, qualem requirit Ecclesia. — Vel 2°) loquimur de actibus internis **per accidens** *tantum conjunctis cum actu externo,* i. e. qui neque ad ejus esse physicum neque morale substantiale requiruntur, v. g. intentio communicandi in satisfactionem pro peccatis : quia communio potest debite fieri sine illa intentione. — Vel 3°) loquimur de actibus **mere** internis, qui nec per se, nec per accidens conjunguntur cum actu externo, ut oratio pure mentalis, simplex actus fidei, spei, secundum se seorsim.

Si **1**um), *affirmative* pro utraque lege. — Qui enim potest praecipere unum, potest et aliud sine quo illud esse non potest : alias potestas esset chimaerica; sed lex humana potest praecipere v. g. verum contractum, verum juramentum; ergo et actus internos voluntatis, sine quibus juramentum et contractus non subsistunt. — Praeterea Alexander VII damnavit propositionem sub n. 14 : « *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* » Ergo praecipitur confessio valida; ergo dolor et propositum; ergo actus internus.

Si **2**um), etiam *affirmative,* saltem pro lege *ecclesiastica,* quia tales actus expediunt bono communi Ecclesiae. Sic datur lex ecclesiastica praecipiens parochis, ut certis diebus missae sacrificium pro grege applicent; quae applicatio est actus internus, nullatenus necessarius, ut missae sacrificium in suo esse constituatur.

Si **3**um), omnino *negandum* pro lege **civili** : quia sine his actibus finis reipublicae, i. e. pax externa, sufficienter obtinetur. — An vero lex **ecclesiastica** id possit, communius *negant.* Pro qua sententia citatur S. Thom. (1.2.q.91, a.4), reclamante Sylvio cum aliis. — Alii, et forte probabilius, *affirmant.* — Ecclesia enim potestatem accepit a Christo illimitatam, cum verba (Matth.XVI,19): « *quodcumque ligaveris* » etc., omnino generalia sint, nec ullam subindicent exceptionem.— Interim verum manet illud : « *Ecclesia non judicat de internis;* » scilicet, sicut non judicat de externis

per accidens occultis, nimirum quatenus contra illa non procedit per sententiam *particularem*, quia ad hanc testibus seu probatione legitima indiget.

CAP. III. — De subjecto legis.

Q. 20. *Quisnam* sit *subjectum* legis?

R. « Est homo subditus, capax rationis, juxta tenorem legis. » — Ita SARRA (*Memoriale Theol. Mor.*).

Explanatur. Dicitur 1°) **homo** : absque ulla distinctione, juxta illud Apostoli (Rom. XIII, 1) : « *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* » Est contra quosdam antiquos, qui vel christianos vel justos excludebant a subjectione legis *humanae*. Unde quando Apostolus (1.Tim. I, 9) dicit : « *Lex justo non est posita,* » id solum innuit, justum non agere ex timore legis, sed ex legis amore. — Dicitur 2°) **subditus** : quia potestas legislativa in iis, ad quos se extendit, subjectionem importat; subjectio autem non datur, nisi in subditis. — Dicitur 3°) **capax rationis** : saltem *habitualiter;* lex enim non imponitur, nisi subditis, qui obedientiae capaces sint atque directionis. — Dicitur 4°) **juxta tenorem legis** : quia dari possunt leges in quibus usus rationis non sufficit, ut quis fiat subjectum capax, sed certa aetas requiritur. Et ita nemo subjicitur legi jejunii ecclesiastici, quantum ad unicam refectionem, ante annum vigesimum primum.

Q. 21. An infantes *ante usum* rationis et *perpetuo* amentes alicui legi subjiciantur?

R. Nulli omnino legi, nequidem *naturali*, subjiciuntur; unde nec materialiter peccare possunt. — Ratio est : tum quia leges sunt praecepta rationabilia, adeoque obligare non possunt ratione carentem; tum quia lex *naturalis* promulgatur per lumen rationis, quo praedicti sunt destituti. — Peccant tamen qui eos inducunt ad transgressionem legis naturalis, v. g. ad blasphemandum, fornicandum, etc. : — tum ne assuescant malosque habitus contrahant; — tum quia talis actio merito imputaretur principali agenti libero, qui eorum opera tamquam instrumento uteretur; — tum quia nullus potest esse

prudens finis eos incitandi ad ea, quae aliis jure naturali sunt prohibita. — Ita BINER (*Apparatus*, etc. Part. II, c. 1. n. 49).

Resolvitur 1. Juxta BILL. MOL., BEC., alios, quamvis infantes ante usum rationis et perpetuo amentes non subjiciantur legi naturali *perfecte* et *in actu secundo*, quatenus ista lex non est ipsis promulgata per dictamen actuale rationis, cujus non sunt capaces, et adeoque illam legem transgrediendo non peccent *formaliter;* nihilominus peccant *materialiter*, quia subjiciuntur legi naturali *imperfecte* seu *in actu primo*, quatenus est omnibus cum natura indita seu impressa et essentialiter naturae conjuncta. — Utrum S. THOM. id revera docuerit, non ita certo constat. — Quidquid sit, haec sententia, juxta quam nemo nascitur **exlex**, non differt, quod **praxim** attinet, a data responsione, cum nemini liceat hujusmodi infantes et amentes inducere ad aliquid quod est contra jus naturae, ut dictum fuit.— **Resol. 2.** Non peccat qui perpetuo amentibus offert carnes manducandas diebus vetitis; imo, valde probabiliter non peccat, qui ipsis imponit opera servilia die festo : quia cum non teneantur lege, esset cooperari rei licitae. — Nec dicas, id illicitum esse, quia applicans censetur per illos perinde ac per equos laborare. Disparitas enim est, quod equi laborare non possint absque ductu et ope illius qui lege ecclesiastica stringitur; secus de fatuis, quibus sufficit mandatum applicantis.— Cfr. BILL.; — SASS.

Q. 22. An *dormientes*, *ebrii* et *ad tempus* tantum amentes legibus subjiciantur?

R. *Affirmative :* quia sunt in statu *habituali* usus rationis, ac proinde *per se* legi subjecti, licet *per accidens* excusentur a peccato *formali*, defectu libertatis. — Hinc non licet hujusmodi ministrare cibos vetitos, cum id esset cooperari eorum transgressioni *materiali*.

Q. 23. *Quinam* subjiciantur legi *naturali* et *evangelicae?*

R. Omnes omnino *adulti*, tam *fideles* quam *infideles*, quamvis tamen non peccent *formaliter*, si laborent ignorantia *invincibili*.

Q. 24. *Quinam* teneantur servare leges *humanas?*

R. Omnes legislatoris *subditi*, requisitam *aetatem* haben-

tes. — Hinc ad leges *ecclesiae* tenentur *baptizati*, licet haeretici, apostatae, schismatici, excommunicati, nisi ipsa excommunicatio interdicat exercitium illorum actuum qui alioquin praecipiuntur, v. g. interesse sacro; — non vero *judaei*, *pagani* aliique *infideles*, et ipsi *catechumeni*. — Interim observat TARQUINI : Ecclesiam *aliquando* nolle legibus suis vel certa aliqua lege haereticos obligare, ne ipsi haeretici magis magisque peccatis inquinentur.

Resolvitur. Merito praesumitur Ecclesiam nolle haereticos obligare iis legibus, quae **directe** ad sanctificationem animarum tendunt, ut sunt leges jejunii, festorum. In his enim Ecclesia mitius agit, ne peccata multiplicentur. — Secus dicendum de legibus, quae ad compescendos abusus et ad ordinem publicum tuendum latae sunt, v. g. circa matrimonii impedimenta. — Quod enim his legibus teneantur haeretici, pluries ab ecclesiastica auctoritate, explicite vel saltem implicite declaratum est. — Cfr. DE ANGELIS (l. 1, tit. 2, n. 15).

Q. 25. Quaenam *aetas* requiratur, ut quis legibus *humanis* subjiciantur?

R. *Ordinarie* loquendo, aetas *usus rationis*, qui apparere solet circa septennium. Pro aliquibus vero legibus provectior aetas requiritur, uti est lex annuae communionis et lex jejunii. — Hinc ad leges positivas non tenetur qui post septennium *certo* non habet rationis usum; sed *probabilius* ex S. LIG. (I, 155) tenetur qui ante septennium *certo* habet. — Quoniam tamen ex S. THOM. (2. 2. q. 147, a. 4) : « *Legislator attendit id quod communiter habetur et in pluribus accidit*, » et ut habetur in jure « *ea quae raro accidunt, contemnunt legislatores;* » idcirco, secundum non paucos, *probabiliter* non tenetur, nisi agatur de lege annuae confessionis; quia TRIDENTINUM ad hanc vult obligatos omnes doli capaces qui peccati mortalis conscientiam habent. — Attamen *impuberes*, i. e. mares ante 14, foeminae ante 12 annum expletum, non incurrunt poenas et censuras ecclesiasticas, nisi aliud in jure sit expressum, ut in percussores clericorum et violantes clausuram monialium.

Resolvitur. Sententiae asserenti : pueros **ante** *septennium*, etiamsi usum rationis acquisiverint, *non teneri* ad leges positivas, si legem annuae confessionis excipias, suffragatur praxis S. Poenit., ex resp. 15 Mart. 1837, ubi dicitur : « *Pueros*, post *septennium*, *teneri observare qualitatem ciborum ab Ecclesia praescriptorum.* » — Cfr. De Angelis (l. 3, tit. 46, n. 5).

Q. 26. Quid dicendum, si *dubitetur* de puero, an adeptus sit usum rationis?

R. *Post* septennium praesumitur pro usu rationis et est obligatio; — non *ante* : quia ex communiter contingentibus prudens est praesumptio.

Q. 27. An et quomodo *legislator* teneatur *propriis* suis legibus?

R. Legislator *monarchicus*, i. e. absolutus, sive ecclesiasticus sive civilis, qualis est Papa pro tota ecclesia, episcopus pro dioecesi, rex et imperator pro monarchia pura — (de quo solo potest esse quaestio, quippe in statu *aristocratico* etiam optimates et in statu *democratico* simpliciter omnes, si distributive sumantur, sunt subditi, adeoque legibus, uti alii, tenentur), — suis propriis legibus non tenetur, *quoad vim coactivam*, sive obligationem ad poenam suis legibus sancitam : quia nemo sibi ipsi superior et inferior est; — neque *quoad vim directivam* seu culpam in conscientia, saltem *directe* seu quatenus ab ipso procedunt : quia lex et obedientia directe est ad subditos. — Obligatur tamen quoad vim directivam *indirecte*, i. e. ex quadam decentia naturali, modo tamen non sint leges suam dignitatem dedecentes, ut esset lex de non ferendis armis · aequitas enim naturalis exigit, ut caput se conformet membris, debetque superior subditis suis praelucere exemplo. — Haec tamen obligatio, *per se loquendo*, non est gravis : levis enim tantum videtur deordinatio, si legislator quandoque se non conformet.— Dico : *per se;* nam *per accidens* peccat mortaliter, si inde sequerentur scandala, sicut ut plurimum transgressiones superiorum scandalis sunt obnoxiae; vel sequerentur aliae graves inconvenientiae in communitate, sicut si inde fieret gravis injuria subditis, prout fieri posset in

contractibus, in pretiis rerum taxatis, etc. — Cfr. SPOR.; — SASS.; — BILL.

Q. 28. An *clerici* et *regulares* teneantur legibus *civilibus?*

R. *Affirmative* : quia sunt partes communitatis politicae; modo tamen hae leges immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti, aut eorum statui, aut sacris canonibus non adversentur. — Secus autem obtinet illud (ACT. V, 29) : « *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus.* »

Q. 29. An *religiosi exempti* subjiciantur legibus *episcoporum?*

R. « Extra casus a jure expressos, non tenentur statutis episcoporum, nisi ex quadam decentia, quoad ea, quae illorum exemptioni et privilegiis non repugnant. » — Ita TABERNA, S. J.

Resolvitur. Casus principaliores a jure expressi, in quibus religiosi exempti ad leges episcopales tenentur, sunt : si episcopus — 1°) fert leges uti delegatus Apostolicus; — 2°) fert censuras et interdicta in populum; — 3°) indicit preces, jejunia, publicas supplicationes et alia ob utilitatem populi, dummodo haec non repugnent statui eorum; — 4°) fert statuta quae respiciunt administrationem sacramentorum, sacrificium Missae, et sacrum cultum.

Q. 30. An *peregrini* teneantur legibus *proprii* territorii, dum *extra illud* versantur?

Praenotandum. *Peregrini* vocantur, qui habentes domicilium vel quasi domicilium extra illud versantur.

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative,* si sermo sit de legibus **personalibus,** i. e. de praeceptis : quia « *ossibus adhaerent.* » Hinc sacerdos in sua dioecesi suspensus a Missa, nec etiam in aliena celebrare potest. — **2°)** *Negative,* si sermo sit de legibus **localibus,** quae afficiunt loca : quia « *extra territorium jus dicenti non paretur impune.* » — Excipe, si *fictione juris* in proprio territorio adhuc praesentes censeantur. Quod praesertim contingit : — vel *ratione rei* circa quam operantur; — vel *ratione ipsius actionis* quam exercent. Et sic v. g. extra territorium vendens domum in eo sitam, tenetur ejusdem leges servare in venditione. Sic etiam

beneficiatus, illegitime absens, incurrit poenas in non residentes latas ab episcopo loci in quo beneficium exsistit.

Resolvitur. Ut peregrini eximantur a legibus particularibus sui territorii, oportet, ut **physice et moraliter** extra illud exsistant. — Dico : *physice et moraliter;* si enim physice tantum seu quoad personam absint, sint vero praesentes moraliter, — vel quoad rem, circa quam operantur, — vel quoad actionem malam quam exercent, legibus proprii territorii subjacent. — **Hinc** allatis exemplis addantur sequentia. — **1°)** Tenetur aliquis legibus tributorum ob praedia, merces, etc., quae in proprio territorio exsistunt, licet ipse sit extra territorium suum. — **2°)** Parochus, qui extra dioecesim vagatur et omittit agere, quae ipsi ex officio incumbunt, puniri potest : quia peccatum moraliter fit in dioecesi. Similiter lex obligans sub censura clericos, ut certo tempore compareant in capitulo, obligat extra exsistentes : quia absentia consummatur in proprio territorio. — **3°)** Si homicidium sit casus reservatus in hac dioecesi, dioecesanus extra hanc exsistens, si aliquem in hac exsistentem jaculando occidat, incurrit casum reservatum : quia cum peccatum consummetur in hac, censetur moraliter praesens.

Q. 31. An saltem teneatur, si peregrinus e proprio territorio *ideo praecise* discedat, ut a lege *eximatur,* alias remansurus?

R. Etiam tunc peregrinum legibus localibus sui territorii non teneri, communior et probabilior est sententia : quia, ut tradit REG. JUR. 55 : «*nullus censetur dolo facere, qui jure suo utitur.*» — Excipe, si exeat : — 1°) ut a reservatis absolvatur; — 2°) ut matrimonium clandestine celebret in loco, ubi TRIDENTINUM nondum est receptum.

Explanatur. Licet peregrinus in casu videatur agere in fraudem legis, fraus tamen ipsi non patrocinatur, quod tantum jura improbant; sed tantum patrocinatur ipsi conditio loci, quem accedendi jus habet. Lex enim non obligat, ut quis non exeat, sed ut exsistens in territorio eam observet; sicut lex non obligat, ne petatur dispensatio, sed ut observetur, quamdiu dispensatio, non habeatur. — Proprie **in fraudem legis** agit, — qui, dum lex moraliter censetur adesse, ponit impedimentum mere excusans ab

obligatione legis : v. g. vesperi ante festum vadit sine urgente causa ad locum, ubi praevidet se altera die non posse audire Missam ; — item qui impedimentum ponit impletioni, dum pergit lex in actu saltem primo obligare : v. g. si praecise ideo, ut te a lege jejunii eximas, laborem non necessarium assumas. Qui autem exit ex territorio, ibi nequidem in actu primo amplius obligatur, cum ibi non sit lex. — Ex duobus autem casibus exceptis non licet argumentari ad alios, cum haec positiva sint, adsitque specialis ratio : non enim in *secundo* haberi posset finis Tridentini, nec tranquillitas territorii proprii, si liceret egressus ille cum animo contrahendi clandestine et mox redeundi : simile est in *primo*. — Egressus autem in casibus nostris non praejudicat tranquillitati territorii proprii. — Cfr. Sass.

Q. 32. Qui discedit e proprio territorio, ubi lex viget, *teneaturne* ante discessum eam *implere*, v. g. jejunare, missam audire, si eo venturus est, ubi lex non viget?

R. Alii aliter sentiunt.—In his conveniunt : — 1°) quod non possit sumere carnes, quia praeceptum negativum abstinendi a carnibus obligat pro singulis momentis ; — 2°) quod si tali die *unum* tantum fieret Sacrum ac celebraretur ante illius discessum, teneretur illud audire, quia tenetur praecepto habens opportunitatem implendi illud.—*Probabiliter* secundum aliquos posset mane jentare : quia jejunium est quid individuum ; — nec teneretur Missam audire, si exeat antequam Sacrum fiat, aut ultimum celebretur, si plura fieri debeant : quia, ut aiunt, non tenetur exspectare.

Resolvitur. Si antequam exeas, fiat Missa v. g. hora 6ª, et postea etiam alia v. g. hora 9ª, non teneris audire, si v. g. hora 8_a exeas : quia si mansisses, potuisses exspectare hanc ultimam ; ergo cum ante tempus illius sis deobligandus, eo quod futurus sis in loco, in quo non est obligatio, non teneris praevenire, licet **suadendum** sit, ut audias, si commode possis ; — sicut a pari, si maneam in loco meo et praevideam me hora 11ª, ubi est ultima Missa, per dispensationem deobligandum, non teneor audire hora v. g. 8ª. — Nec **Objicias.** Qui praevidet impedimentum tenetur praevenire : sic qui praevidet, se non posse horas legere post pran-

dium, debet orare mane. Ergo et hic. — **Respondetur.** *Dist. ant.* Si lex maneat saltem in actu primo obligans, *conc.;* si non maneat, *neg.* Exiens ad locum, ubi non est lex, facit respectu sui non amplius esse legem, sicut petens dispensationem. Sic, licet hoc vesperi possim orare matutinum et laudes pro die crastina, non tamen teneor, licet praevideam me crastina die impediendum : quia hodie non est lex.

Q. 33. An *peregrini* et *vagi* teneantur legibus *loci in quo versantur*, licet nullum ibi acquisiverint domicilium vel quasi domicilium.

Praenotandum. Vocantur *vagi*, qui domicilium vel quasi domicilium nullibi habent,—sive nunquam habuerunt,—sive, relicto suo domicilio, novum nondum acquisiverunt.

R. Certa ab incertis sunt secernenda. — 1°) Certum est, eos teneri legibus *juris communis* in eo loco vigentibus, etsi in proprio territorio per *privilegium* aut *consuetudinem* sint abrogatae. Sic Belga tenetur in Hispania ad Missam die Epiphaniae, vel ad abstinentiam die sabbati. — Si quis tamen in suo territorio jam satisfecerit legi communi, *probabilius* non teneretur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi serius urget. Unde Italus qui in patria jejunavit vigilia S. Petri, non tenetur item jejunare in Belgio ubi adest, dum fit jejunium ad sabbatum sequens translatum. — 2°) Certum est, eos teneri legibus particularibus loci circa *contractus* et *delicta*. — 3°) Certum est, eos *per accidens* obligari, quotiescumque ex lege non servata oriretur *perturbatio* aut *scandalum*. — Extra hos casus, est *controversia*. — *Probabilius* non tenentur legibus *particularibus* loci, quia lex non obligat nisi subditos. Idque valet *probabiliter*, etiamsi haec lex particularis in suo territorio vigeret. — Cfr. Sass.; — S. Lig. (I, 156).

Resolvitur. Si in civitate sint duae Parochiae, et in Parochia A fit dies festus, parochianus Parochiae A se conferens in Parochiam B, non tenetur ibi audire Missam, nec abstinere ab opere servili. — Quod probabiliter verum est, licet supponatur festum particulare in utraque Parochia : v. g. discedis ex Parochia tua, in qua est

festum Patroni *S. Fabiani*, ad Parochiam *S. Sebastiani* Patroni illius Ecclesiae. — Ratio est : quia talis non tenetur ratione specialis praecepti in sua Parochia, cum sit egressus; nec ratione festi in Parochia aliena, cum ibi non sit subditus;—modo semper absit scandalum.

Objicitur. 1° Dicit (in c. *illa*, dist. 12) S. Ambrosius : « Cum Romam venero sabbato, jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno: sic et tu : ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva. » Unde illud vulgatum : « *Si fueris Romae, Romano vivite more. — Cum fueris alibi, vivito sicut ibi.* » — 2°) Advena ubique punitur, ubi peccat; ergo subjicitur legibus istius loci. — 3°) Peregrini et maxime vagi essent exleges : non enim obligantur legibus proprii territorii, dum extra illud sunt; nec legibus loci, ad quem venerunt. — 4° Quaecumque mora extra proprium territorium eximit a legibus territorii; ergo quaecumque mora brevis modo sufficiat ad implendam legem, subjicit legibus alieni territorii.— 5°) Denique, ut habetur in jure (Reg. 55 in 6). « *Qui sentit commodum, sentiat et onus.* » — Atqui, peregrini gaudent privilegiis locorum per quae transeunt. Ego et obligantur legibus.

Respondetur. Ad 1um Est consilium, non praeceptum. Vel loquitur, si adsit scandalum vel simile, aut si per notabilem anni partem permaneat. — Ad 2um) Peregrinus ratione delicti acquirit forum, ut patet ex jure et consuetudine; loquimur autem extra casum delicti. — Ad 3um *Neg. sup.* Nam obligantur legibus communibus, et etiam aliquibus particularibus, ut diximus in responsione. — Ad 4um *Neg. cons.* Primum est favorable, secundum odiosum; odiosa autem sunt restringenda, favores ampliandi. — Ad 5um) Axioma juris tantum tenet, quando onus habet connexionem cum commodo : sic beneficiatus merito sentit onus legendi Horas, quia sentit commodum beneficii; non autem, si onus et commodum sint disparata. Sic apud religiosos novitius gaudet privilegiis sui Ordinis; et tamen nemo dicit illum esse obstrictum legibus saltem omnibus. — Interim fatemur oppositam sententiam **consulendam** esse in praxi, utpote magis piam; quae tamen non obligat eum, qui transit per locum, ubi est v. g. dies festus, ad audiendam Missam, secluso scandalo, si ibi tantum subsistat ad se reficiendum cibo et potu : quia mora non est proportionata implendo praecepto.— Cfr. Sass.

CAP. IV. — De promulgatione et acceptatione legis.

Q. 34. *Quid* sit legis *promulgatio?*

R. « *Est authentica illius notificatio, iis facta a quibus legislator vult eam impleri.* »—Tunc enim leges promulgari dicuntur, cum legislator eas subditis suis observandas proponit.

Scholion. *Probabilius* est, promulgationem non esse de **essentia** legis; sed tantum **conditionem** *necessario requisitam*, ut lex subditos obliget obligatione perfecta, seu in actu secundo. — **1°**) Quod non pertineat ad **essentiam**, probatur ratione innixa doctrinae S. Thom. (1. 2. q. 90, a. 4), juxta quam promulgatio se habet ad legem, sicut applicatio regulae et mensurae ad regulatum et mensuratum. Atqui, applicatio regulae et mensurae ad regulatum et mensuratum, non est de essentia regulae et mensurae, sed supponit eam constitutam.—**2°**) Est tamen **conditio necessario requisita**, qualis est propositio objecti per intellectum, ut objectum moveat voluntatem ad sui amorem. Sicut ergo, ut objectum in actu secundo moveat ad sui amorem, requiritur necessario ac indispensabiliter ut ab intellectu voluntati proponatur, cum nihil sit volitum, quin sit praecognitum; ratio tamen seu vis movendi voluntatem non est propositio objecti, sed bonitas in objecto reperta; — ita ad hoc, ut lex in actu secundo ad sui observantiam obliget, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur : ratio tamen, seu vis obligandi, non est ipsa promulgatio seu propositio, sed auctoritas quam lex in se habet, prout a legislatore, ut personam reipublicae gerente, promanat. — Cfr. Puig et Xarrié.

Q. 35. An ad *obligationem* legis inducendam, sufficiat : — 1°) legis *notitia* sine promulgatione; — vel vicissim 2°) *promulgatio* sine notitia?

R. Ad 1um) *Negative.* — Certum enim est ad obligationem legis de facto obligantis requiri illius promulgationem : quia solum per eam voluntas legislatoris constituitur *formaliter* in esse regulae, cui subditus se conformare debet.—Hinc, etiam si quis sciat aliquam legem esse conditam, non tenetur eam servare, nisi prius fuerit promulgata.

R. Ad 2um) *Affirmative.* — Quamvis autem lex debite promulgata liget subditos rationis capaces, etiam illam invincibiliter ignorantes, ita ut legem transgrediendo peccent *materialiter*;—ad culpam tamen *formalem* incurrendam, praeter promulgationem requiritur notitia, quandoquidem sine obligationis cognitione nemo formaliter peccare potest.

Q. 36. An *eadem* promulgatio requiratur ad *omnes* leges?

R. *Negative.*—Nam lex *naturalis* sufficienter per judicium privatum singulis intimatur. — Leges autem *positivae* solemniorem et magis externam requirunt promulgationem,—praesertim *humanae*, cujus ratio est : quia, cum legislator humanus duplicem personam sustineat, privatam et publicam; per solemnitatem cognoscitur eum loqui ut personam publicam, auctoritatem habentem.

Q. 37. *Quomodo* fieri debeat promulgatio legum *humanarum?*

R. Id in arbitrio legem ferentis positum est.

Q. 38. An sufficiat, ut leges *papales* Romae promulgentur?

R. *Affirmative,* generatim loquendo et per se.

Explanatur. Dixi : **generatim loquendo et per se.** Aliquando enim *per accidens* aliter res se habet, ut si Pontifex ipse statuat promulgationem faciendam in singulis civitatibus episcopalibus, aut etiam in parochiis, quod locum habuit pro decreto Tridentino circa matrimonia clandestina, — quodque contingere solet pro illis legibus, quae infirmant aliquem contractum natura sua validum, vel auferunt jurisdictionem, v. g. in sacramento poenitentiae.—Ad haec, si quid in regnis saecularibus, pactis super his inter S. Sedem et Principes conventis comprehensum sit, eis procul dubio standum erit. — Cfr. S. Lig. (I, 96).

Q. 39. *Quando* lex rite promulgata *incipiat* obligare?

R. Hoc, quoad leges *civiles,* ex cujusque civitatis jure petendum erit.—Quoad *canonicas,* nonnemo putat eas obligare ex quo sciri a subditis poterunt; alii post duos menses, alii postridie; hi communius et verius, et in statutis *dioecesanis* vere prorsus.

Q. 40. An obliget lex *dubie* promulgata?

R. *Neg.*: quia eo ipso est dubia; lex autem dubia non obligat.

Q. 41. An leges humanae, sive canonicae, sive civiles, obligent, nulla exspectata populi *acceptatione?*

R. *Affirmative* per se, cum omnis potestas a Deo sit. Quare populus graviter peccat, si absque gravi causa legem repudiet, vel repudiatae non pareat.

Explanatur. Dixi : **per se.** Quia si legislator **novit** subditos detrectare legem et dissimulat, videtur silentio eam suo revocare; — si id **ignorat,** lex post decennium evanescit; immo si major et sanior subditorum pars non obtemperat legi, tenendum est, legem reipublicae non expedire, atque ideo cessat. — Cfr. Bill.

Resolvitur. Merito damna fuit ab Alex. VII sequens propositio sub n. 28 : « *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* » — Item a Clem. XI haec 90 Quesnelli : « *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis.* »

Q. 42. An aliquando sit licitum *appellare* a lege, vel contra illam *supplicare?*

R. Si subditi habeant justam causam non acceptandi legem, et legislator sit *inferior*, possunt *contra legem appellare*, — aut, si sit *supremus*, pro *relaxatione supplicare*; et tunc, *pendente appellatione* vel *supplicatione*, probabile est, quod ex benigno consensu praesumpto non teneantur ad observantiam legis, nisi praesumptio sit, superiorem causas appellationis vel supplicationis praevidisse, ponderasse, iisque non obstantibus legem tulisse. — Si facta appellatione vel supplicatione legislator legem non urgeat, praesumitur revocasse, nisi ex circumstantiis taciturnitas potius rejectionem appellationis significet. — Cfr. Sass.; — Bened. XIV (*de Syn.* I, 9, c. 8).

Q. 43. An obliget lex *in dubio*, an sit acceptata?

R. *Affirmative* in dubio *negativo*; secus in dubio *positivo* et probabili. — « In dubio enim praesumptio stat pro lege, cum delictum, in non recipiendo legem justam, non praesumatur. Quando autem probabile est, quod obligatio legis nunquam incoeperit, vel quod lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege et possidet libertas. » — Ita S. Lig. (III, 112).

PARS TERTIA.

DE LEGIS EXSECUTIONE.

CAP. I. — De obligatione legis.

Q. 44. An lex *humana*, etiam *civilis*, obliget *in conscientia?*

R. *Affirmative*, — etsi legislator hoc non expresserit, — juxta illud Rom. XIII, 5 : « *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* » — Praeterea lex naturalis dictat, obediendum esse legitimis superiorum praeceptis, et sine obligatione in conscientia facile illuderentur leges, cum actus omnes ad notitiam superiorum devenire non possint, ut puniantur. — Et quamvis Principes ethnici forte nihil sciant de obligatione in conscientia, virtualiter tamen intendunt sic obligare, quatenus utuntur legitima potestate legislativa a Deo derivata. — Cfr. Sass.

Q. 45. *Ad quid* obliget in conscientia *lex humana?*

R. Obligat in conscientia : — vel ad actum absolute sive ponendum sive omittendum; — vel disjunctive ad actum aut ad poenam; — vel ad utrumque simul. — Si primum, dicitur *pure moralis* seu *praeceptiva*; — si secundum, dicitur *mere poenalis*; — si tertium, dicitur *mixta*. — Cfr. pag. 114.

Q. 46. An obliget *sub gravi*, an *sub levi?*

R. Obligat in re levi sub levi; — et in re gravi sub gravi; — nec potest in re *undequaque* levi obligare sub gravi, cum non sit capax majoris obligationis; — sed contra potest in re gravi obligare sub levi, quia obligatio gravis est effectus moralis dependens a voluntate legislatoris. — In *dubio* autem, utrum materia legis sit gravis an levis, talis existimanda est, qualis eam legislator judicaverit; atque ideo gravis, — si legem tulit verbis gravioribus, — vel sub poena gravi latae sententiae, — vel reservata sibi absolutione ab ejus transgressione, in foro sacramentali. — Quod si nec legislatoris judicium appareat, aestimabitur ex communi sensu moralistarum; — si hi diversi, tenendum est legem obligare sub levi. — Cfr. Sass.; — Spor.; — Bill.; — S. Lig. (I, 141 seqq.).

Explanatur. Dixi : *in re* **undequaque** *levi ;* aliud enim juris esset, si posset esse gravis ex rerum adjunctis, ratione v. g. scandali, contemptus, magni boni communis, vel finis intenti : — « Sic abstinentia a pomo in paradiso, in se quidem parva, gravissima tamen erat, ex circumstantia finis. » (S. Lig.) — Huc quoque pertinet interdictum olim in Ecclesiis sub poena excom. usus pulveris nicosiani (Urb. VIII, c. *cum Eccles.* 30 Jan. 1641).

Q. 47. An lex *humana* obliget cum *periculo vitae*, aut alterius *gravis damni* in fama, sanitate, bonis fortunae, etc.?

R. *Negative*, per se loquendo.

Explanatur. Ratio est : quia Deus non sic obligat, licet posset. — Deinde lex humana non debet esse moraliter impossibilis, hoc est : maxime difficilis, sed accommodata fragilitati hominum ; alias cederet potius in ruinam quam in aedificationem, cum a paucis observaretur ; — nec legislator humanus habet potestatem disponendi de vita, fama aut bonis subditorum, nisi ubi exigit necessitas boni communis aut religionis. — Dixi : **per se loquendo** ; nam in certis casibus obligat cum tali periculo ; de quo supra (pag. 35 seq.), ubi de *metu*. — Cfr. Bill. ; — Sass.

Q. 48. An obligent in conscientia leges principis tyranni *in regimine?*

R. *Affirmat.*, si praecipiantur quae licite praestari possunt.

Explanatur. Tyrannus **in regimine** dicitur, qui justo titulo possidet regnum, sed illud male administrat. — Quare de isto etiam dicitur (1 Petr. II, 18) : « *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* »

Q. 49. An tyrannus *titulo*, i. e. *usurpator* regni possit obligare in conscientia?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negative*, in ipso **invasionis actu** ; et ideo cum facultas adest, possumus tale dominium repellere. — Si vero injuste **jam occupato alieno statu**, deinde illum *pacifice* teneat, tunc *subdistinguendum :* — vel 1°) agitur de legibus ad tranquillitatem et prosperitatem regni conducentibus ; — vel 2°) de legibus

contra legitimum Principem directis. — Si *primum*, subditus tenetur leges observare. — Si *secundum*, non licet obedire, dummodo non ei immineat gravissima poena : tunc enim non peccaret, arma sumendo, inter agmina stando, donec tuto fugere posset. Attamen non posset ferire defensores legitimae auctoritatis, praeciso casu purae defensionis propriae vitae. — Cfr. Scav.

Q. 50. An obliget in conscientia lex fundata *in fictione juris?*
R. *Affirmative.*

Resolvitur. Hinc canonici propter infirmitatem a choro absentes, cum per fictionem juris reputentur praesentes, licite percipiunt distributiones quotidianas, et reliquis obligatio incumbit hunc effectum non impediendi. — Ceterum fictio non habet locum, nisi in casibus **jure expressis**, nec valet ultra id, quod in lege expressum est. — Cfr. Roncaglia.

Q. 51. An obliget in conscientia lex fundata *in praesumptione?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° *Negative*, si fundetur in praesumptione **facti particularis**, et factum non subsistat : quia deficit fundamentum obligationis. — **2°** *Affirmative*, si fundetur in praesumptione **periculi universalis**, licet periculum cesset in re praesenti : quia motivum adaequatum legis adhuc subsistit.

Resolvitur. 1° Qui certo novit se invalide contraxisse matrimonium, et per sententiam judicis, fundatam in praesumptione valoris, cogitur ad cohabitandum et matrimonio utendum, debet potius quaelibet sustinere, quam obedire, et sic committere actum intrinsece malum. — **Resol. 2°** Similiter, si quis ob falsas testium depositiones condemnaretur a judice solvere quod non debet, non obligatur ad solvendum, nisi *per accidens* ratione scandali, et si cogatur, potest uti occulta compensatione. — **Resol. 3°** E contra, nulli prorsus hominum licet legere improbatae editionis libros sine licentia Sedis apostolicae. — **Resol. 4°** Similiter lex irritans matrimonium clandestinum, fundata in praesumptione fraudis, quae in tali matrimonio intercedere posset, obligat in conscientia, licet in casu particulari nulla fraus interveniat. — Cfr. Sass.; — Bill.

Q. 52. An ille, qui deliquit contra legem *poenalem*, teneatur statim poenam subire, *ante sententiam judicis?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si poena sit tantum sententiae **ferendae,** non tenetur eam subire, donec per sententiam judicis ad ipsam fuerit condemnatus : quia, ut patet, lex plus non continet. — **2°)** Si vero poena sit **latae** sententiae, non requiritur nova sententia *condemnatoria*. — Quia tamen nimis durum est, quod quis teneatur contra seipsum poenas exsequi, ideo *aliquando* praerequiritur sententia criminis **declaratoria,** qua declaratur quod quis revera tale crimen commiserit, atque adeo poenam illi appositam contraxerit. Quod ut sciatur, inter varias poenas *distinguendum* est.

Resolvitur. 1°) Poenae **positivae,** seu quae *in facto* consistunt, i. e. quae sine facto aliquo nostro vel alterius irrogari non possunt, — ut confiscatio bonorum, carcer, exilium, etc., — non tenent ante sententiam *declaratoriam*, etsi in lege cautum sit, ut incurrantur *ipso jure, ipso facto, nulla praemissa declaratione,* — nisi aut leviores sint, aut ejusmodi quae officio judicis irrogari non solent, — ut jejunium, recitatio precum, moderata corporis castigatio, etc. — **2°)** Poenae **privativae,** seu quae consistunt *in jure*, — si privant aliquo *jure quaesito,* veluti officio, beneficio, jure patronatus, suffragii, ipsae quoque egent sententia *declaratoria*, exceptis censuris et irregularitatibus, iisque poenis, quae suapte natura officio judicis regulariter irrogari nequeunt, ne lex inutilis videatur, ut puta amissio juris petendi debitum conjugale ob quaedam peccata ; — sin autem adimunt *capacitatem* seu canonicam, seu civilem, seu naturalem faciendi, acquirendi, contrahendi, quo casu poenae *inhabilitantes* proprio nomine dici solent, protinus ante sententiam obligant, modo tamen culpa intervenerit et inhabilitas hujusmodi subiri possit citra infamiam, velut privatio *vocis passivae*. — **3°)** Poenae **conventionales,** i. e. quae, cum *aliquid*, v. g. officium vel beneficium *alicui* datur sub modo vel tacita conditione, ut *aliquid faciat* vel *non faciat,* hoc non praestito data adimunt, quasi modo vel conditione non impleta, — si culpa non defuit, tenent ipso facto ante omnem sententiam. Hujus generis est poena, ut privatus exsistat beneficio curato, qui intra

annum sacerdotio initiari negligit. Item poena statuta a Conc. Trid. sess. 25, c. 2 de ref., in episcopum electum, qui consecrationem intra tres menses non susceperit. — Cfr. Bill.; — Spor.; — Tab.; — D'Annib.; — S. Lig. (I, 148 seq.).

Q. 53. Ad quid lex *poenalis* obliget *post judicis sententiam?*

R. *Post sententiam judicis*, sive condemnatoriam, sive criminis declaratoriam qua poena ad diem patrati criminis retrotrahitur, obligatur reus ad poenam subeundam, quia justae sententiae parendum est; — immo etiam per se ipsum exsequi; — vel saltem, si nimis esset acerba, ut poena mortis, mutilationis, flagellationis publicae et infamis, huic *positive* non repugnare. — Hinc damnatus ad mortem tenetur patibulum ascendere, collum praebere et similia praestare; — non vero tenetur nec juxta communiorem sententiam potest seipsum laqueo suspendere, mutilare, pugionem sibi in ventrem conjicere, venenum sumere, etc. — Imo, « *impedire poenam per fugam non est prohibitum in conscientia, quando poena imposita corporalis et gravis est.* » Ita Suar — Cfr. Bill.; — Sass.; — Voit; — Tab.; — Spor.

Resolvitur. 1°. Ex S. Th. 2. 2. q. 69, a 4, juste condemnato ad mortem non licet « *se defendere,* » i. e. **positive potestati resistere** : « *Licitum enim est judici cum resistentem impugnare; unde relinquitur quod ex parte ejus sit bellum injustum; unde indubitanter peccat.* » — Praeterea dicit Apost. (Rom, XIII, 2 : « *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* » — **Resol. 2°.** E contra, juste damnatus ad mortem potest **fugere.** Ratio est ex S. Th. ibid. ad 2 : « *Quod nullus ita condamnatur quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur; et ideo non tenetur facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem; tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur quod justum est eum pati; sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere.* — Quam doctrinam Bannes, Sylvius, Serra, Suar., alii, extendunt ad alias poenas corporis graviores, ut si quis juste damnaretur ad mutilationem, ad triremes, imo ad captivita-

tem perpetuam, quia in jure carcer perpetuus morti aequiparatur. —Quidam tamen excipiunt cum Suar., nisi ratione voti, juramenti aut specialis promissionis esset obligatus; unde volunt Regularem damnatum ad carcerem perpetuum non posse fugere : quia ratione voti tenetur obedire superiori in iis quae sunt secundum Regulam et accessoria ad illam. — Concedit tamen ipsi Bannes, ut possit fugere ad recurrendum ad superiorem. — Et quoniam cui finis licet, licent quoque media, quae non sunt intrinsece mala; seu, aliis verbis : qui habet jus fugiendi, habet consequenter jus tollendi impedimenta fugae, alioquin inane foret jus fugiendi; hinc communior est DD. sententia cum Caj., Soto, etc., reum juste damnatum in casu posse rumpere vincula et carceres, ut fugiat. — **Resol. 3°)** Neque tamen juste damnatus ad mortem **tenetur** fugere, sed potest manere ex amore justitiae, aut ex charitate, ne custodes patiantur : quia manere in carcere non est seipsum occidere, sed vitam non tueri, ut patet in iis qui pro bono Reipublicae vel proximi vitam exponunt; et confirmatur exemplo Martyrum, qui, quamvis *injuste* damnati, tamen causa fidei confirmandae e carceribus patentibus fugere noluerunt (Recole dicta de voluntario in causa *negativa*, pag. 14 seq.).— Cfr. Bill. (*de just.* diss. 14, a. 4); —Voit; — Laym.

Q. 51. An *ignorantia* excuset a *poena* legis *humanae?*

R. *Sub distinctione* et videndum, utrum sit *facti*, an *juris*, an *poenae.*

Explanatur. Unde 1°) ignorantia **facti,** — veluti si quis percutiat clericum, laicum putans, — et 2°) ignorantia **juris,** nempe canonici, — ut puta si saepta monasterii ingrediatur, nesciens id vetitum esse, — excusat : scilicet *voluntaria* (nam involuntaria excusat a culpa). — Et quidem *pure vincibilis* excusat semper, si *leviter* tantum sit culpabilis; — immo, juxta nonnullos graves DD., quod tamen negat communior sententia, cui adhaeret S. Alph., *crassa* seu *supina*, quoties poena lata est in eos qui *temere* aliquid faciunt vel facere *praesumunt;* — immo et *affectata*, juxta aliquos, si poena constituta est in eos qui *consulto*, qui *scienter* aliquid fecerint, iterum contradicentibus communiter aliis, cum ignorantia *affectata* scientiae aequiparetur. — E contra 3°) ignorantia **poenae**

nullam excusationem habet, nisi poena esset *extraordinaria*, ut censurae, irregularitates ex delicto, amissio juris petendi debitum conjugale.— Cfr. D'Annib.;— Bill. (*de pec.* diss. V, a. 7).

Resolvitur. Hinc ad incurrendas poenas **extraordinarias** non sufficit scientia legis ecclesiasticae, sed requiritur scientia ipsius poenae. Et ideo excusat ignorantia non solum *invincibilis*, sed etiam *pure vincibilis*, si leviter tantum sit culpabilis : quia leges positivae non censentur decernere graves poenas pro peccatis venialibus.—Imo, quamvis oppositae sententiae adhaereat (I, 169; —VII, 47 seqq.), tamen loquens nominatim de *censuris*, scribit S. Lig. (H. A. tr. 19, n. 8) : « Excusat etiam ignorantia *crassa*, cum censura est lata in *audentes*, aut *praesumentes*, aut *consulto*, aut *temere* peccantes; ita Sanch., Escob., etc. Imo tunc admittunt Bon. Ronc. Sanch. Salm. Sylv., etc. (contra sententiam Suar. Castr. Tour. Conc., etc., quae ceteroquin est communior), quod excusat etiam ignorantia *affectata;* et reapse id nequit dici *improbabile*, quia in ipsa (loquendo in rigore) non adest dolus formalis, qui inducit verum contemptum censurae. » — Imo, id aliis « videtur *probabilius*, » inquit Serra, apud Bill. (l. c.).

Q. 55. An delinquens *poenam* effugiat, si *poenituit* facti ante effectum secutum?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Aliqui **affirmant** cum Salm., quia delictum non est amplius voluntarium in se; — alii **negant** cum Suar. et S. Lig. (VII, 368), et *merito :* quia poenae ad exemplum aliorum et ad tuendam rempublicam imprimis pertinent. — Quia tamen prior sententia, propter auctoritatem eam docentium, *improbabilis* dici nequit, ideo v. g. beneficiatus qui navigans, breviario in mare projecto, Horas canonicas in ea navigatione recitare nequiverit, si postea facti eum poenituit, et exinde fructus non restituerit, absolvi poterit.

Q. 56. Utrum *de facto* dentur leges *mere poenales*, quae scilicet ad solam poenam solvendam in conscientia obligent, saltem post sententiam judicis?

R. Si excipias cum S. Th. (2. 2. q. 186, a. 9 ad 2) regulas quorumdam Ordinum religiosorum, communis DD. sententia

est : *de facto* non dari leges ECCLESIASTICAS *mere poenales*. — Inter leges vero CIVILES, ut *mere poenales* communiter censentur : — quae civibus in publico caedere, depascere, piscari; — quae urbe annonam extrahere vel aliquid inferre vetant, non depenso vectigali;—quae aleas et ludos prohibent.

Nota. Lex **mere** *poenalis* dignoscitur : — **1°**) Ex voluntate legislatoris aperte declarantis se velle obligare ad poenam tantum. — **2°**) Ex tenore legis, ut si dicat : *Qui hoc fecerit, solvat talem mulctam*. — **3°**) Ex communi aestimatione, sapientium interpretatione vel ex consuetudine. — Praestat interim de hac re altum servare silentium coram populo, eumque suaviter adducere ad leges omnes adimplendas. — Cfr. REIFF. (*Theol. Mor.*); — BILL.

Q. 57. An lex *irritans* obliget in conscientia ad actum *vitandum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirmative*, si sit **simul** *irritans* et *prohibens*, id est, actum declarans invalidum simul et illicitum, ut sunt leges matrimonii impedimenta dirimentia statuentes. — *Negative*, si sit *irritans* **tantum** : quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus.—Hinc v. g. qui sine praescriptis formis actum facit invalidum, non idcirco peccat in conscientia.

Q. 58. An lex *irritans* obliget ad *irritationem* in conscientia?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Quando lex irritans est **ferendae sententiae**, i. e. praecipiens irritationem aut concedens facultatem irritandi, tunc ad irritationem non obligat, nisi forte judicem; ac proinde ante judicis sententiam non adstringit ad ea quae ex actus irritatione consequuntur. — 2°) E contra ex lege irritante **ipso facto**, *si suum consequatur effectum*, sequitur obligatio in conscientia ad omnia, quae intrinsece ex irritatione nascuntur. — Hinc si actus sit acceptatio vel acquisitio alicujus rei, ex tali lege sequitur obligatio non utendi nec fruendi illa re tamquam propria, nec contrectandi illam illo modo quo rem alienam contrectare non licet. — Dixi : *si suum consequatur effectum*. Quia aliquando irri-

tatio potest impediri per ignorantiam vel aliam similem causam, si irritatio tantum *in poenam* imposita est, sicut irrita est collatio beneficii ob commissam simoniam, et consecutio fructuum beneficii ab eo qui Horas culpabiliter omittit.—Cfr. Suar. (*de leg.* l. 5, c. 20, n. 13 seq.).

Q. 59. An *grave incommodum* irritationem *impediat?*

R. *Negative* per se : quia lex irritans actum potius quam personam afficit. — Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, in gradu prohibito, etiam metu mortis initum, sine dispensatione.—*Affirmative* per accidens : —1°) quoad legem clandestinitatis, ubi *communiter* observari nequit, et sic valet matrimonium contractum in iis locis ubi vel non est parochus, vel metu haereticorum latet, vel non est tutus ad ipsum accessus;—2° quoad impedimenta juris ecclesiastici, dum, omnibus paratis ad nuptias, matrimonium differri nequit. — Ceterum quamvis leges irritantes, ob grave incommodum generatim non cessent *quatenus irritantes*, possunt tamen tunc cessare *quatenus prohibentes*, ita ut contrahentes licite quamvis invalide contrahant, modo contractus non sit jure naturae prohibitus, vel non cedat in damnum publicum.

CAP. II. — De modo quo leges sunt observandae.

Q. 60. *Quomodo* lex sit *adimplenda?*

R. Lex *affirmativa* adimpletur, *deliberate* praestando, quod ipsa praecipit; — lex vero *negativa*, omittendo, etiam *involuntarie*, quod ipsa prohibet. — Hinc dormiens implet praeceptum non furandi, quamvis nec moraliter, nec meritorie; non autem satisfacit praecepto audiendi Missam, quia non ponit rem praeceptam humano modo seu actu deliberato.—Cfr. Sass.; —Tab.;—Voit.

Explanatur. Ratio 1^{mi} est : quia lex *affirmativa* praecipit actum humano modo ponendum; ergo nequit adimpleri, nisi opus ponatur ex *deliberata voluntate*, i. e. scienter, voluntarie ac libere. — Ratio 2^{di} est : quia per legem *negativam* non praecipitur actus aut omissio humana seu libera, sed solum vetatur actus humanus,

i. e. ne quis sciens et volens furetur, occidat. — Unde tali praecepto satisfieri potest etiam ab amente, etc., non tamen meritorie. Similiter qui die praecepto jejunat, satisfacit legi, licet id faciat : vel ut parcat pecuniis, vel ratione valetudinis, vel quia cibus ei non datur, vel quia dormit aut non cogitat de cibo. Nam praeceptum jejunandi, quamvis specietenus videatur affirmativum, reipsa est negativum, scilicet praeceptum non comedendi pluries de die, non comedendi carnes. — Cfr. Sass.; — Tab.

Q. 61. Si quis per *vim*, vel per *metum*, ponat opus a lege praeceptum, satisfaciatne legi?

R. *Negative*, si per vim;—*affirmative*, si per metum. Qui tamen per vim restituit, non tenetur iterum restituere : non quia implevit praeceptum restituendi, utpote affirmativum, sed quia sublata est ejus materia, quae erat inaequalitas.

Q. 62. Si quis *sine intentione satisfaciendi* legi ponat opus a lege praeceptum, satisfaciatne legi?

R. *Affirmative* : quia sufficit humano modo ponere quod debitum est legi. — Hinc audiens Sacrum, licet ignoret esse festum, satisfacit praecepto, nec tenetur postea elicere intentionem qua velit satisfactum per illud Sacrum. — Imo sciens praeceptum et Missam audiens cum expressa intentione per illam non satisfaciendi, sed postea audiendi aliam, adhuc satisfacit, nec tenetur novam audire : quia solvit debitum legale, et voluntas non satisfaciendi est inefficax. — Non tamen satisfacit qui opus voti vel juramenti ponit, intendendo *expresse* non satisfaciendi, quia pendet a voluntate promittentis, ut talis obligatio maneat.—Cfr. Sass.;—Bill.;—S. Lig. (I, 162, seqq.).

Explanatur. Allatae doctrinae ratio est : quia praecepta affirmativa tantum obligant ad ponendam humano modo substantiam operis injuncti; proinde, hac posita, non est in potestate operantis, ut non satisfiat, et re ipsa exercite obeditur praecepto, licet adsit voluntas inefficax non obediendi. — Nec **obstat,** quod dicitur in jure : « *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum.* » Nam haec regula tantum valet in his quae pendent ab intentione agentium : hoc ipso autem quo agens ponit deliberate opus a lege praescriptum, non pendet ab ejus intentione ut ei satisfaciat, vel non. — Cfr. Bill.; — Sass.

Resolvitur. 1° Licet ad satisfaciendum praecepto non requiratur intentio ipsi satisfaciendi, requiritur tamen voluntas seu *intentio faciendi id quod praeceptum est :* quia secus ipsa substantia operis injuncti non poneretur. Idem enim actus, v. g. recitatio Horarum pro diversa intentione operantis diversum opus constituere potest. Hinc praecepto non satisfacit : recitans Horas sola intentione legendi vel addiscendi : quia praeceptum est, non de legendo seu addiscendo, sed de orando ; nec vadens ad Sacrum eo tantum fine, ut oculos aut aures pascat, cum alio colloquatur, amicum exspectet, etc. — **Resol. 2°** Non requiritur tamen intentio referens actum *ad finem extrinsecum* legislatoris, nisi hic illum praecipiat, quod ordinarie non facit. Unde axioma : « *Finis praecepti non cadit sub praecepto.* » Et hinc, si praecipiatur publica supplicatio ad avertendum flagellum, si pie supplicationi adsis, satisfacis, licet non facias ex fine hoc a superiore intentum : est enim supplicatio apta movere Deum ad avertendam v. g. pestem, ut substat intentioni praecipientis, quod sufficit. — Cfr. Sass.; — Voit ; — Tab.

Q. 63. Si quis ponat opus praeceptum, sed per actum *ex aliqua circumstantia malum,* satisfaciatne legi?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° *Affirmative,* si haec mala circumstantia **non destruit** substantiam adimpletionis legis. — **2°** **Secus,** *negative.* — Hinc satisfacit, qui Missam audiendo alicui cogitationi vanae gloriae vel luxuriae adhaereat, aut simul intentionem habeat furandi. — Non vero satisfacit praecepto confessionis vel communionis per confessionem vel communionem sacrilegam.

Resolvitur 1. Satisfacit recitans Horas, aut Missam audiens, in statu *peccati mortalis :* lex enim adimpleri potest sine charitate, nisi hanc includat in substantia, ut v. g. praeceptum diligendi Deum. Unde a S. Pio V damnata fuit haec Bai prop. sub n. 16 : « *Non est vera legis obedientia quae fit sine charitate.* » — **Resol. 2.** Ut legi satisfiat, per se non requiritur actus *formaliter* bonus, sed sufficit bonus ex objecto vel sua specie : quia hoc posito ponitur totum quod lex praecipit, scilicet substantia actus praecepti. — Dixi : *per se ;* nam secus dicendum, si actus formaliter bonus sit

necessarius ad ipsam substantiam actus praecepti. Et hinc merito damnata fuit ab Alex. VII sequens propositio sub n. 14 : « *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* » Item ab Innoc. XI propositio sub n. 55 : « *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.* » Substantia enim actus praecepti est confessio peccatorum deletiva et communio quae spiritualiter pascat animam.

Q. 64. An per *unicum* actum possint adimpleri *plures* leges?

R. *Extra materiam justitiae,* satisfieri potest pluribus legibus eodem actu, nisi aliud colligatur ex mente imponentis.

Explanatur. Ratio est : quia debita legalia unice pendent a voluntate ac mente legislatoris, qui bene unico opere censeri potest contentus, dum idem ad plura simul praecepta implenda sufficit. — Excipitur materia **justitiae** : quia per unicam solutionem non salvatur aequalitas cum pluribus obligationibus, quam justitia commutativa intendit.

Resolvitur. 1°) Si Titio debeas 100 ex contractu et 100 ex injusta damnificatione, non satisfacis utrique obligationi, semel dando 100, sed teneris dare 200. — **Resol. 2°)** Sacerdos habens plura beneficia, satisfacit una lectione Horarum; et audiendo unam Missam adimples praeceptum Dominicae et alterius festi in eodem die incidentis. — **Resol. 3°)** Uno jejunio regulariter satisfieri non potest trinae obligationi : praecepti, voti ac poenitentiae, si legislator vel directe vel indirecte id prohibeat. Quare v. g. si voveris semel jejunare singulis hebdomadis et confessarius unum jejunium imponat, teneris ad bis jejunandum in una hebdomada, quia alioquin nullam imponeret poenitentiam. Si vero tibi confessarius imponat, ut diebus singulis Sacro intersis, satis erit, si unicam dominicis et festivis diebus Missam audias, quia talis praesumenda est intentio confessarii, cum poenitentia satis adhuc longa remaneat, ut peccato proportionata videri possit.

Q. 65. An per *diversos* actus possint *eodem* tempore *plures* leges adimpleri?

R. *Affirmative,* si actus sint sociabiles, i. e. si tales poni possint, quales a suis praeceptis exiguntur : quia tunc totum

ponitur quod exigitur.— Hinc potes audiendo Sacrum recitare Horas canonicas, vel exsolvere injunctam poenitentiam.— An vero *auditio Sacri* componi possit cum *confessione prolixa*, disputatur. — *Affirmant* graves DD. : tum quia confitens, ut supponitur, intentionem habet audiendi Sacrum; tum quia praesens est corpore et moraliter seu modo religioso; deinde ad Sacrum ipsum attendere saltem potest, et quamvis actu forsan non attendat, tamen occupatur actione pia, unde cum sacrificante ac circumstantibus censetur Deo cultum exhibere. — Cfr. LACROIX (l. 3, p. 1, n. 655).

Resolvitur. Haec cum probabilitate extrinseca sufficiunt, ne obligetur quis ad aliud Sacrum audiendum, maxime ubi agitur de **operariis** et **ancillis,** quibus non vacat alio tempore confiteri aut diutius e domo manere. — Ceterum ordinarie confessarii sistunt sub consecratione monentque confitentem, quando ex adjunctis putant, eum audire hanc Missam pro Missa obligationis.

Q. 66. *Quandonam* lex adimplenda sit?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si lex **tempus assignet** quo impleri debeat, eo tempore est servanda; — si **nullum,** implenda est quamprimum commodo fieri potest. — Quod si tempus assignatum fuerit **elapsum,** videndum est, utrum fuerit determinatum ad **urgendam,** an vero ad **finiendam** obligationem; — si *primum :* remanet obligatio legem implendi quamprimum commode fieri possit; — si *secundum :* exstincta est obligatio. — Sic peccator qui ab anno non est confessus, tenetur quam primum confiteri; e contra, qui non jejunavit die vigiliae, vel die dominica Missae non interfuerit, peccavit quidem, sed a lege liberatur.

CAP. III.—De causis excusantibus a legis obligatione.

Q. 67. *Quaenam* sint *causae excusantes* a legis *obligatione?*

R. *Duae* assignari solent : — *ignorantia* et *impotentia;* cum hac tamen differentia,—quod *ignorantia* excuset tantum a transgressione formali, et relinquat transgressionem mate-

rialem ; — dum e contra *impotentia* non solum a formali, sed etiam a materiali transgressione excuset, quatenus adjunctae circumstantiae efficiunt, ut actus qui nunc ponitur vel omittitur non sit ille, quem legislator intendit prohibere vel praecipere.

Q. 68. *Quaenam ignorantia* excuset a *culpa*?

R. Ignorantia, si sit *invincibilis*, excusat a culpa : quia nemo obligari potest ad aliquid sibi prorsus incognitum, nec ulla malitia contrahi potest, nisi sit cognita et volita. Constat ex propositione Baii damnata a S. Pio V sub n. 4 : « *Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium.* » — Secus, si sit *vincibilis*, i. e. cum potuerit aut possit seria diligentia deponi.— Recole dicta (pag. 39 seq.).

Q. 69. An dari possit *ignorantia* legis *naturalis?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Non potest dari ignorantia invincibilis circa **prima** principia juris naturae in homine rationis compote : haec enim ex ipsa terminorum apprehensione sunt nota, ideoque passim dicitur lex naturalis scripta esse in cordibus nostris. Cfr. S. Thom. (1. 2. q. 94, a. 4 in c.). — 2°) Idem dicendum de praeceptis **secundariis**, i. e. de iis quae clare et immediate ex primis principiis deducuntur, haec enim, saltem diu, ignorari nequeunt. — 3°) *Tertii* generis praecepta, i. e. praecepta **remotiora** et **obscuriora**, quae scilicet non nisi mediate et difficili discursu deducuntur ex primis, etiam a viris doctissimis ignorari possunt, ut patet ex controversiis inter DD. agitatis.—Quod autem haec ignorantia etiam a peccato excuset, constat ex propositione damnata ab Alex. VIII sub n. 2 : « *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* »

Resolvitur. Praecepta *secundaria*,—veluti sunt : non occidere, non furari, non mentiri, etc. — si considerentur, non quidem absolute, sed prout vestiuntur aliqua circumstantia bona et apparenter excusante a peccato, ut furari a malis divitibus ad dandam eleemosynam bonis pauperibus; mentiri ad propriam vel alienam vitam tuendam; occidere hominem morti proximum, ne diutius in tormentis agonizet; cum jam ratione hujus circumstantiae fiant

obscura, eo ipso reducuntur ad *tertiam* classem praeceptorum, et adeoque invincibiliter ignorari possunt, sicut praecepta **remotiora**, de quibus non est dubium; ut patet ex controversia : an judex damnare possit reum juridice convictum, quem tamen scientia privata certo novit innocentem? Quod affirmat S. Thomas, inficiatur vero S. Bonaventura. — Frustra vero contra hanc ignorantiam invincibilem in praeceptis *remotioribus* **Objicitur** : — Juxta axioma : « *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* » Ergo qui ignorat, — vel veritatem non quaesivit, — vel Deum, ut debuit, non oravit; ergo ignorantia ejus est vincibilis. — **Respondetur. 1°** Multum orarunt SS. PP.; et tamen in iis quae spectant ad praecepta *remotiora* inveniuntur quandoque sibi invicem contrarii. **2°** *Dist. Maj.* Facienti, quod est in se ex gratia, Deus non denegat gratiam quoad ea quae sunt necessaria necessitate medii et ad vitanda peccata formalia, *conc.;* in aliis, *neg.* — **Falsum** quoque est, ignorantiam invincibilem juris naturae *non excusare a peccato*, quia ut poena et effectus peccati originalis est nobis *voluntaria* in Adamo. **Falsum** est, inquam : — **1°** Quia ad peccatum *personale* non sufficit voluntarium *naturae*, sed requiritur voluntarium *personae*, ut constat ex damnatione propositionis ab Alex. VIII sub n. 1 : « *In statu naturae lapsae ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, qua liberum ac voluntarium fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis.* » — **2°** Quia alias sequeretur, quod motus indeliberati concupiscentiae, quos inviti patimur, essent peccata formalia, quia sunt effectus peccati originalis, quod est damnatum in Trid. (Sess. V, can. 5) et a SS. Pontificibus in Baio. — **3°** Sequeretur, quod omnes defectus et miseriae hujus vitae, ut stultitia, phraenesis, caecitas corporis et quae ex iis fiunt, essent peccata formalia, quia sunt etiam poena et effectus peccati originalis. Cfr. Bill. (de pecc.); Sass.

Q. 70. An ignorantia *vincibilis* transgressorum legis excuset saltem *a poena?*

R. 1°) Certe non excusat a poena *jure naturali* ac *divino* debita peccato, puta inferno, purgatorio; quia talis poena connaturaliter sequitur culpam theologicam. — Interim docet S. Thom. (1. 2. q. 73, a. 8), *fidelem*, qui novit poenas inferni,

graviores subiturum, quam *infidelem*, qui eas non novit : « *Quia*, inquit, *ex hoc videtur peccare gravius, quod majores poenas contemnit, ut impleat voluntatem peccati.* » — 2°) Quoad poenas vero *humano jure* impositas, distinctione opus est, ut supra (pag. 144 seq.) visum fuit.

Q. 71. *Quaenam impotentia* excuset a lege observanda?

R. Excusat impotentia : — 1°) *Physica*, — seu dum quis nullo modo potest legem implere, v. g. periculose decumbens audire Missam, — juxta axioma : « *Nemo ad impossibile tenetur.* » — 2°) *Moralis*, — seu dum hoc non potest absque gravi incommodo seu damno temporali vel spirituali proprio vel alieno. — Ratio est : quia legislator non censetur, praeter gravamen quod legis adimpletioni inhaeret, aliud grave onus imponere. — Interim, quantum debeat esse damnum, id generaliter decidi nequit, sed prudenter aestimandum est respectu habito : — tum ad naturam legis, quae majoris vel minoris est momenti, — tum ad circumstantias personae, quae multum variari possunt.

Resolvitur 1. Utraque impotentia, tam *physica*, quam *moralis*, excusat, licet per peccatum, v. g. ebrietatem dederis causam impotentiae, modo de hoc doleas (Sass.; S. Lig. I, 176 et III, 1045). — **Resol. 2.** Etsi febricitans absolute possit audire Sacrum, quia tamen sine evidenti incommodo valetudinis templum adire non potest, ob moralem impotentiam ab audiendo Sacro excusatur (Voit). — **Resol. 3.** Metus gravis, *regulariter loquendo*, excusat a praeceptis legis *positivae* divinae et humanae ; imo a praecepto *naturali affirmativo*, v. g. servandi depositum. — Dixi : *regulariter loquendo;* nam lex, etiam humana, obligat cum vitae periculo, quoties — vel ejus observatio est necessaria bono communi, — vel ejus violatio cederet in contemptum religionis aut legislatoris, juxta dicta (pp. 35 seq. et 140). — Unde etiam multi inferunt, aliis tamen negantibus, Carthusianum teneri abstinere a carnibus, dummodo adsint alii cibi, quantumvis ex hac abstinentia periclitetur ejus vita. Quia, inquiunt, si in gravissimis morbis *Carthusianis* liceret vesci carnibus, vigor laudabilis hujus abstinentiae, in quo consistit decor et commune bonum hujus instituti, paulatim tepesceret et relaxaretur : inciperet namque primo dispensatio in periculoso morbo,

deinde paulatim traheretur ad multos alios casus sub praetextu periculi, ita ut omnes graves morbi essent occasio solvendae abstinentiae, et cum omnes morbi facile a Medicis judicentur graves, passim *Carthusiani* vescerentur carnibus. — Dicunt : *dummodo adsint alii cibi;* alioquin possent, imo tenerentur manducare carnes : tum quia magis inhumanum est sinere aliquem fame perire, ad quod non sunt damnati *Carthusiani*, quam defectu medicinae morbo moriatur ; tum quia cum haec necessitas sit evidens extrema et raro contingens, non est periculum quod inde esus carnium vertatur in usum, et abusive usurpetur in aliis casibus fictitiis, nec proinde quod decidat observantia regularis et commune bonum hujus Ordinis (Bill.). — **Resol. 4.** Nunquam tamen excusat a praecepto *naturali negativo :* quia illius objectum est intrinsece malum. — Nec dicas licere occidere injustum aggressorem pro tuenda vita, vel furari in extrema necessitate ; tunc enim cessat homicidium esse aut furtum. — « Et idem melius dicendum, ait S. Lig. (H. A. tr. 2, n. 44) de praeceptis *affirmativis,* quin fiat illa distinctio quam nonnulli assignant, nempe quod praecepta naturalia et affirmativa obligant *semper, sed non ad semper;* negativa vero *semper et ad semper.* »

Q. 72. An *impotens* implere *totum* praeceptum *teneatur* implere *partem* quam *potest?*

R. *Affirmative,* dummodo : — 1°) res, quae praecipitur, *divisionem* recipiat ; — 2°) terminus potentiae et impotentiae *non sit incertus et ambiguus ;* et praeterea — 3°) dummodo hoc, quod praestari potest, *non sit aliquid minimum.*—Minimum autem accipio,quod non pertingit ad materiam gravem.

Resolvitur. 1°) Merito damnata fuit ab Innoc. XI sequens propositio sub n. 54 : « *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur : quia major pars trahit ad se minorem.* » — Nam A) lex est *de re divisibili ;* B) non agitur in propositione de infirmis, in quibus vix aut ne vix determinari potest quid possunt, usquequo possunt et non ultra ; sed de illo qui recitare *potest reliquas Horas ;* et adeoque C) partem *notabilem,* non vero unum aut alterum Psalmum vel Hymnum. — Nec obstant axiomata : « *Major pars trahit ad se minorem* » et

« *Accessorium sequitur principale.* » Haec enim principia non sunt universaliter vera. Sic 1um verificatur quidem in electione, ubi major pars suffragiorum trahit ad se minorem, non autem hic. Similiter 2um etiam non tenet in omnibus, praesertim quando principale et accessorium separari possunt; et ita si promisisti ovem et agnum, si ovem dare non possis, adhuc teneris ad agnum (Bill.; Sass.). — **Resol. 2°)** Qui die dominica post Offertorium venit ad Missam in suo loco unicam, tenetur reliquas partes Missae audire : quae enim a Consecratione usque ad sacerdotis Communionem peraguntur, substantialiter ad Missae sacrificium pertinent, et licet hoc praeceptum quoad substantialia sit individuum, quoad accidentalia tamen est dividuum.—Utrum vero qui praevidet quod post Praefationem debeat discedere et negligere partes principales Missae, peccet, si totam Missam intermittat, inter DD. disputatur. — Alii *negant* cum Voit : quia, destructo principali destruitur etiam accessorium. — Alii *affirmant* cum Sass. : quia praeceptum saltem quoad accidentalia est dividuum; unde, aiunt, qui potest notabilem partem Missae v. g. usque ad consecrationem audire, ad hoc tenetur. — **Resol. 3°)** Qui ob laborem non potest jejunare, tenetur abstinere a carnibus; dispensatus in esu carnium, tenetur servare unicam refectionem; qui in quadragesima non potest jejunare omnibus diebus, tenetur in quibus potest; si de breviario possis recitare, quantum sufficit ad materiam peccati mortalis, ad hoc teneris; alias non : quia ad partem minimam non censetur legislator velle obligare, et in moralibus parum pro nihilo reputatur.—**Resol. 4°)** Si certus sis, te non posse jejunare per majorem partem quadragesimae, dubites autem quot diebus possis; — si certus sis te non posse recitare majorem partem officii canonici, et dubites quantum recitare possis, etc., ad nihil teneris; quia sic ampla aperiretur via scrupulis et anxietatibus; quare praesumitur quod legislator non velit tunc obligare ad partem. — **Resol. 5°)** Qui obligatur visitare v. g. limina apostolorum et novit se eo pervenire non posse, non tenetur iter incipere. Quia res praecepta in casu divisionem non accipit (Sass.; — S. Lig. I, 177).

Q 73. *An* et *quousque* liceat se ad legem aliquam implendam reddere *impotentem*, seu voluntarie *apponere* aut *non removere* causas adimpletionem legis *impedientes?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° Nemini licet causam impedientem, etsi remotam, apponere vel non removere **directe**, i. e. eo consilio ut legi se eximat : secus haberetur fraus et aequivalens legis violatio. — Hinc carcere detenti vel excommunicati peccant, si non curant liberari, ideo praecise ne liberati teneantur missae de praecepto adesse. — 2° Aliquando tamen licitum est **indirecte** apponere vel non removere causam impedientem, i. e. non eo animo, ut lex impleri nequeat, sed alio quovis fine, puta si causa sit tantum **remota** : quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si multo ante obligationem legis quisque debeat attendere ad opera sua, an sint impeditiva ipsius legis quae nonnisi *remote* sit obligatura. — Secus dicendum, si causa sit **proxima**, — nisi eam ponendi detur aliqua *necessitas*.

Resolvitur. Hinc non peccat qui die sabbati **mane** iter vel venationem aggreditur praevidens se altera die non posse audire Missam ; nec peccat contra religionem vel jejunium, qui per nimium potum praevidit se **post aliquot dies** non posse jejunare, Missam audire, Horas legere. — E contra si **ipsa die** qua praeceptum urget, vel *immediate ante*, ponatur impedimentum, v. g. una vel altera hora ante mediam noctem, vel etiam vespere sine justa causa exis et Missam negligis, sine dubio peccas. — Ceterum in his **nequit universalis tradi regula**, sed attendendum est ad mentem legislatoris, ad materiam praeceptam, ad usum proborum et judicium prudentium. — Sic excommunicatus peccat contra praeceptum de confessione et communione annua, si non petat absolutionem, ut possit illis praeceptis satisfacere ; non tamen probabilius propterea peccat contra praeceptum de audienda Missa : quia praecepta divina strictius urgent quam humana minusque humanam patiuntur interpretationem. — Recole dicta de voluntario *directo* et *indirecto*. — Cfr. Spor.; — Bill.; — Sass.; — Lacroix.

CAP. IV. — De legis interpretatione stricta et lata seu per epikeiam.

Q. 74. *Quid*, loquendo *generatim*, sit legis *interpretatio?*

R. Est genuina legis explicatio juxta mentem legislatoris.

Q. 75. *Quotuplex* interpretatio *generatim* sumpta *distinguatur?*

R. *Duplex* : — interpretatio *stricte dicta*, et interpretatio *late dicta* seu *per epikeiam*.

Explanatur. Prima, seu **stricte dicta,** est : *verborum legis explicatio quoad eorum significatum seu sensum a legislatore intentum.* — Secunda, seu **late dicta** vel **per epikeiam,** est : *emendatio legis qua parte deficit propter universalitatem ;* seu,—*benigna et aequa legis interpretatio,* contra aperta legis verba, non tamen contra mentem legislatoris, qua certo vel saltem probabiliter judicatur, aliquem casum propter certas circumstantias sub lege et intentione legislatoris non contineri. — Cum enim lex loquatur universaliter, et aliquando casus accidere possit, in quo ratione circumstantiarum ea fit iniqua vel nimis rigida, ideo datur locus *epikeiae,* quae legem corrigat, vel eam benigne interpretetur ut nolentem obligare.

Q. 76. Quaenam sit *differentia* inter *interpretationem stricte dictam* et *epikeiam?*

R. Haec est : — prima dat sensum litteralem et sequitur mentem quam legislator *habuit ;* — secunda recedit a sensu litterali et sequitur mentem quam legislator *habuisset*, vel rationabiliter *habere debuisset*, si hunc casum praevidisset.

Q. 77. In *quibusnam legibus* locum habere possit *interpretatio stricte dicta* vel *epikeia?*

R. *Interpretatio* locum habere potest in omni lege humana; imo et in lege divina et naturali. Sic v. g. « *Non occides* » exponi debet de occisione facta auctoritate privata, vel extra casum justae defensionis.— *Epikeia* vero, cum sit quaedam legis correctio, eo quod legislator non omnes casus particulares praevidere potuerit, proprie locum habere non potest in lege divina et naturali ; bene vero in omnibus legibus humanis, — *exceptis* tamen communiter de facto irritantibus cum rigor istarum legum concernat bonum publicum, cui cedere debet privatum.

Q.78. *Quotuplex* distinguatur *interpretatio proprie dicta?*

R. Sub *duplici* ratione spectata, *varie* distingui potest.

Explanatur. 1°) Ratione **modi** interpretandi, — alia est **declaratoria** (comprehensiva), quae verba legis obscura declarat ;

— alia est **ampliativa** (extensiva), quae legem ad similes casus extendit; — alia est **restrictiva**, quae legem restringit ad designatos casus, quamvis ipsa generalis videatur. — 2°) Ratione **auctoris** interpretantis, — alia est **authentica**, dum legislator declarat verba vel suae legis, vel suorum praedecessorum, vel inferiorum; potest tamen legislator potestatem interpretandi legem suam committere etiam inferiori, et talem a Deo habet Summus Pontifex ad interpretandum jus divinum; — alia est **usualis**, quam suo modo facit usus ipse seu consuetudo recepta : optima enim legum interpres consuetudo; — alia est **doctrinalis** seu **didascalica**, quae fit a viris peritis rem attente considerantibus. — *Prima* et *secunda* eamdem vim habent quam lex; — *tertia* vero solum inducit probabilitatem. — Cfr. Bill.; — Sass.

Q. 79. *Quaenam* sint *regulae* servandae in interpretatione *doctrinali?*

R. Sunt *sex* sequentes.

Explanatur. 1°) Ut investigetur **mens et intentio legislatoris.** — **2°)** Ut attendatur **ratio legis**, i. e. causa quae superiorem impulit ad legem ferendam. — **3°)** Ut attendatur **verborum proprietas**, ita tamen, ut lex — *favorabilis* etiam sensum *civilem*, seu qui convenit rebus per fictionem juris, admittat; — *odiosa* vero solum *naturalem*, qui convenit ex communi hominum acceptione : sic in lege favorabili nomine filii etiam venit adoptatus; nomine legitimi legitimatus; nomine civium clerici; nomine religiosi etiam novitii et moniales; nomine clerici religiosus; non sic in lege poenali. — **4°)** Ut jus generaliter loquens **generaliter** intelligatur, nisi per aliud, puta per aliam legem specialem aut per rationis ac circumstantiarum diversitatem distinguatur. — **5°)** Ut lex **in favorabilibus** amplietur, restringatur **in odiosis.** Utrum vero lex sit favorabilis an odiosa, hoc aestimari debet, nisi legislator aliud edixerit, ex materia. Quare odiosae sunt leges *poenales*, *irritantes* et *onerosae*. — **6°)** Ut, *regulariter* loquendo, **lex positiva** non extendatur de persona ad personam, de casu ad casum, quamvis similis vel fortior est ratio.

Dixi **regulariter** : nam secus dicendum, si utriusque casus eadem est ratio et alias iniquum aut absurdum aliquid sequeretur.

Quod quidem praecipue contingit : — A) In **correlativis**; hinc si quid prohibetur vendi, hoc et emi prohibetur, vel contra; si vir negare potest debitum uxori adulterae, potest et uxor viro adultero; si sponsus, invita sponsa, alio migraverit, sponsalia solvuntur; ergo et contra. — B) In **aequiparatis**, i. e. quae in legibus eodem jure censentur, etsi dissimilia, veluti sunt in beneficiis ecclesiasticis electio, postulatio, praesentatio; hinc si lex aliquo casu simoniacam electionem ad beneficium decernit, eodem casu idem statuendum erit de praesentatione; similiter qui matrimonium inter se contrahere perpetuo vetantur, his et sponsalia inire vetitum est. — C) In **connexis**, i. e. quorum unum sine altero stare nequit. Cui igitur v. g. permittitur tempore interdicti vel in oratorio privato Sacrum facere, ei et ministro uti licet. — Excipiuntur tamen *odiosa;* et ea — *quae exorbitant a jure communi,* qualia sunt jura singularia, privilegia et consuetudines, quae proinde trahenda non sunt ad alias personas vel alias res. Nisi et in his aliud ferat constans omnium DD. interpretatio. — Hinc nedum is qui ministrat rebaptizanti fit irregularis, sed is quoque qui rebaptizat; et uti *ex jure* vir prohibetur debitum petere, si cum uxore affinitatem contraxerit, ita *ex constanti interpretatione* et uxor, si eam contraxerit cum viro. — Cfr. Bill.; — Sass.; — D'Annib.

Q. 80. *Quandonam* locum habeat *epikeia?*

R. « *Quoties lex redderetur nociva, aut valde onerosa et observatu difficilis.* » — Ita S. Lig. (*Hom. Apost.*). — In *primo* casu non est de necessitate interrogandus superior, etsi commode possit.—Secus in aliis casibus.

Resolvitur. 1°) Hinc possunt cives arma capere et pugnare contra hostes civitatem invadentes, licet lex generatim armorum gestationem prohibeat. Similiter, ut habet S. Thom. (1.2.q.96,a.6): « *Si in civitate obsessa statuatur lex quod portae civitatis maneant clausae, hoc est utile communi saluti ut in pluribus; si tamen contingat casus quod hostes insequantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset civitati, nisi eis portae aperirentur; et ideo, in tali casu, essent portae aperiendae, contra verba legis, ut servaretur utilitas communis, quam legislator intendit.* » — **Resol. 2°**) Hinc quoque excusatur ab auditione Sacri non tan-

tum qui timet ideo notabilem jacturam bonorum; sed etiam qui aliter amitteret magnum lucrum, nec suppetat tempus adeundi superiorem. — Cfr. Bill.

Q. 81. An *liceat* uti *epikeia* in *dubio* : an lex casum aliquem comprehendat?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Negative,* in dubio **negativo,** seu si solum dubitatur an casus contineatur sub lege; unde « *dubitans debet vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.* » — Ita S. Thom. 1.2.q.96,a.6 ad 2. — 2°) *Affirmative* vero, si non sit purum dubium, sed **probabiliter** judicatur casum non comprehendi sub lege; quia in moralibus judicium probabile sufficit ad prudenter et honeste operandum, ac proinde sufficit etiam ad legem interpretandum.

CAP. V. — De legis dispensatione.

Q. 82. *Quid* sit legis *dispensatio?*

R. Est « *in casu speciali legis relaxatio.* »

Resolvitur. Differt itaque : — 1°) A **privilegio,** quia hoc non semper est *contra,* sed multoties *praeter* legem; dispensatio autem semper est *contra* legem, nec est de se *permanens,* sicut privilegium. — 2°) A simplici **licentia,** quae datur cum lex aliquid prohibet (v. g. legere libros prohibitos) non absolute, sed donec quaedam conditiones impletae fuerint. — 3°) Ab **epikeia,** quae legem *interpretatur,* ubi dispensatio illam *tollit.* — 4°) Ab **abrogatione,** in qua lex extinguitur *pro omnibus.* — Cfr. Bill.

Q. 83. *Quinam* possint in lege *dispensare?*

R. Cum dispensatio sit actus jurisdictionis, sequitur eos tantum dispensare posse, qui jurisdictionem habent — seu *ordinariam,*— seu *delegatam.* Non item alii *regulariter.*

Explanatur. Dixi **regulariter** : quia **Episcopi** dispensant in jure *canonico :* — 1°) quoties in hoc dispensari permittitur; — 2°) si ita consuetudine sit introductum; — 3°) quoties non est facilis recursus ad R. P. et periculum grave est in mora; —

4°) in dubiis, maxime in dubio an res egeat dispensatione vel an adsit causa sufficiens ad dispensandum ; — 5°) in casibus qui *frequenter occurrunt et saepe dispensatione egent*, vel *levioribus*, quae scilicet sub levi obligant, aut fere *quotidianis*, ut in vigiliis, festis, Horis canonicis. — Et in his dispensant velut ordinario jure suo. — Imo et *Parochi*, ex receptis moribus, adeoque jure suo, ac proinde etsi Episcopus facile adiri possit, dispensant in jejuniis et observatione festorum ; sed *singulariter* tantum, i. e. toties quoties; immo et in gravioribus, in quibus licet Episcopo dispensare, quoties Episcopus adiri nequit et est in mora periculum. — Cfr. Bill.; S.Lig.(I,190 seqq.; III,288; VI,613); D'Annib.; N.R.T.(V,214seq.).

Resolvitur 1. Papa jure ordinario potest dispensare in omnibus legibus ecclesiasticis tam particularibus Dioecesium, quam universalibus totius Ecclesiae : quia est omnium caput. — **Resol. 2.** Episcopus jure ordinario dispensare potest in suis legibus, etiamsi in dioecesana Synodo latis : quia ipse solus est ibi legislator, alii tantum assessores et consiliarii. Nec refert quod forte sint confirmatae a SS. Pontificibus : quia confirmatio addit tantum eis robur, declarando esse bonas et utiles et ideo observandas, nisi forte Papa confirmando fecisset suas et in jus commune redegisset. — Secus tamen dicendum de legibus in Synodo provinciali aut nationali latis a Primate vel Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis : non possunt enim sive Primas sive Archiepiscopus sive Episcopi dispensare jure ordinario, sed delegato tantum et consensu tacito Synodi : quia nullus singulariter et seorsim est ibi legislator, sed omnes simul collective. — Idem dic de legibus Capituli provincialis respectu ad Provincialem et Capituli generalis respectu ad Generalem propter eamdem rationem, et quia Provincialis Capitulo provinciali et Generalis Capitulo generali est inferior. Unde neque hi, neque illi possunt has leges abrogare, sicut possunt suas. — Cfr. Bill.

Q. 84. An possit dispensari in jure *naturali* aut *divino* positivo?

R. 1°) In jure *naturali* nec ipse Deus potest dispensare, quia nequit facere ut, quod est intrinsece malum, sit honestum et licitum. Unde, quando dicitur in eo dispensasse, hoc debet

improprie intelligi, subtrahendo materiam legis naturalis; et sic permisit Hebraeis, ut vasa Aegyptiorum mutuo accepta non amplius restituerent, in ipsos nempe transferendo dominium. — 2°) In jure *divino positivo*, ex S. Thom. (1. 2. q. 97, a. 4, ad 3 « *nullus potest dispensare nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.* » — Num vero Papae talis potestas concessa sit, disputant DD. — In hoc conveniunt, quod possit saltem, justa de causa, in aliquibus pertinentibus ad legem divinam, puta in votis, juramentis promissoriis, matrimonio rato, *improprie* dispensare, declarando scilicet legem divinam in casu particulari cessare.

Q. 85. Cum *quibusnam* possit *dispensari?*

R. 1°) Cum his dispensari potest, qui dispensatoris jurisdictione continentur, id est : — cum *incolis*, sive in proprio territorio, sive extra versentur; — cum *advenis*, quamdiu in eo territorio quasidomicilium fovent; — cum *vagis*, quamdiu eo versantur.—2°) Probabiliter etiam cum *peregrinis*, in legibus scilicet canonicis, in votis, in juramentis, maxime si id exigat necessitas vel utilitas dispensationem impetrantis : quia prudenter Ordinarii ipsorum consensus praesumitur. — 3°) Demum is qui dispensandi potestatem, seu *ordinariam*, seu *delegatam* habet, *secum ipso* dispensare potest : cum dispensatio sit actus jurisdictionis gratiosae, quae non requirit distinctionem physicam personarum. Constat ex S. Th. (2. 2. q. 185, a. 8).

Q. 86. An *delegatus* ad dispensandum possit *subdelegare?*

R. *Negative;*— « nisi sit delegatus a Principe sive a Papa; —vel nisi sit ab inferiore ordinario delegatus ad universitatem causarum; — aut nisi concessa sit facultas subdelegandi. » — Ita S. Lig. (l. I, n. 193; — lib. VI, n. 566).

Q. 87. An dispensatio *absque causa* sit *valide* et *licite* concessa?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si **legislator** in lege sua vel **superior** in lege sui inferioris dispenset sine causa, *valida* est dispensatio, sed *illicita*. — Unde peccat tam dans, quam petens; sed probabiliter uterque leviter tantum, secluso scandalo aut speciali gravamine

aliorum. At petens, dispensatione deinceps utendo, v. g. non recitando Horas canonicas, lege per dispensationem sublata, ne leviter quidem peccat. — **2°**) Si **inferior** habens potestatem delegatam dispenset sine causa, dispensatio non solum est *illicita*, sed etiam *invalida*. Et est grave in re gravi. — Cfr. S. Lig. (I,178 seqq.); Tab.

Q. 88. *Quaenam* sint *justae causae* a lege dispensandi?
R. *Tres* vulgo assignantur.

Explanatur. Sunt autem: — **Pietas**, — **utilitas**, — **necessitas**, quae tamen non debet esse tanta, ut de se excuset : alias non esset opus dispensatione. — Ceterum sufficit causa probabiliter justa, ut dispensatio nedum licite peti, sed licite ac valide dari possit.

Q. 89. Quandonam *subreptio* (reticentia veri) vel *obreptio* (expressio falsi) *invalidet* dispensationem?
R. *Subreptio* invalidat, quando in supplica tacetur veritas aut circumstantia quae de jure est exprimenda. Si tamen in rescripto addatur : *motu proprio*, ut saepe fit, jam suppletur defectus subreptionis : nam perinde est, quasi quis non rogatus rescripserit. — *Obreptio* vero invalidat, dum causa motiva, quae et finalis dicitur, in supplica expressa, falsa est, ita ut superior, falsitate cognita, non dispensasset ; —imo, licet causa non sit finalis, sed impulsiva tantum, si mala fide allegata fuerit, uti statuit Innoc. III, « *in perversitatis poenam*, » adeoque post sententiam judicis tantum. — In dubio, an rescriptum laboret subreptione, an obreptione, stat. — At vero utrum petitio *subreptitia* dicenda sit et maxime an *obreptitia*, hoc aestimari debet ex eo tempore, quo dispensatio conceditur : quia petitio censetur referri ad momentum concessionis.

Q. 90. *Quandonam* subsistere debeat *causa*, quae ad valorem dispensationis reputatur necessaria?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Non debet subsistere, **quando scribitur** ad superiorem, ut dispensationem concedat : quia petitio censetur referri ad momentum concessionis. — Hinc si ad dispensationem matrimonialem pro causa allegetur quod puella 24 aetatis annum excesserit, sufficit ut sit verum, quando dispensatio conceditur,

etsi illam aetatem non attigerit, quando petitio missa est. — 2°) Si dispensatio data sit **in forma gratiosa**, i. e. si superior per semetipsum immediate dispenset, requiritur quod subsistat causa illo tempore quo dispensatio conceditur. — Si vero detur **in forma commissoria**, i. e. si superior per alium dispenset, *subdistinguendum* est : — A vel commissarius est exsecutor **voluntarius**, cui non praecipitur exsequi dispensationem, sed eam exsequendi licentia datur *gratia facienda*, et tunc sufficit causam subsistere quando commissarius dispensationem impertitur seu fulminat : quia tunc *effective* conceditur, seu ope alterius *ipse mandator* dispensat ; — B vel commissarius est exsecutor **necessarius**, qui exsequi jubetur, si preces veritate nitantur *(gratia facta)*, ut ordinarie contingit in dispensationibus matrimonialibus, et tunc causa debet utroque tempore subsistere, tum quando superior mandat eam concedi, tum quando a commissario fulminatur. — 3°) Non requiritur causam adhuc subsistere **post concessam dispensationem** sed ante illius usum, si dispensatio sit de **re individua**, quae nempe consistit in unico actu v. g. de aliquo impedimento matrimonii, irregularitatis : quia impedimentum jam sublatum est. Hinc si ad dispensationem connubialem pro causa allegatum fuerit, mulierem esse viduam gravatam prolibus, et fulminata dispensatione proles mortuae fuerint, matrimonium foret validum. — E contra requiritur causam adhuc subsistere, si dispensatio sit de **re dividua** et **successiva**, puta de praecepto jejunii, recitandi Horas canonicas : quia, cessante causa, reviviscit obligatio. — Hinc dispensatus ab esu carnium ob infirmam valetudinem, si postea insperato convaluerit, cessat dispensatio.

Q. 91. Quomodo *interpretanda* sit : — 1°) *potestas dispensandi ;* — 2°) *ipsa dispensatio?*

R. Ad 1um) Potestas dispensandi, si *generaliter* data fuerit seu pro personis indeterminatis, — ut potestas dispensandi in tali voto quoscumque poenitentes, — recidit in *privilegium* praeter jus ; — ideo *latam*, non tamen *extensivam*, interpretationem admittit. — Dixi : si *generaliter* data ; nam data *pro singulis*, recidit in *dispensationem*, et prout haec interpretanda.

R. Ad 2um) Ipsa dispensatio *strictam* interpretationem postulat : quia legi derogat ; — nisi concessa fuerit : vel ex *motu proprio*, vel *communitati*, vel ad *bonum commune*, vel sit *inserta in corpore juris*, quo casu habet vim legis ; — non tamen *restrictivam* interpretationem requirit, nisi forte cum laedit jus tertii. — At vero nunquam sic interpretanda est, ut fiat ei, cui concessa est, onerosa vel inutilis ; et ideo dispensatus ad plura beneficia, censetur etiam dispensatus, ne in utroque residere debeat ; — immo, si absque alia dispensatione inutilis foret, haec quoque tacite concessa intelligitur, et ideo dispensatus ad sacerdotium intelligitur quoque dispensatus ad ceteros ordines, quos non habet, suscipiendos. — Cfr. S. Lig. (I, 195) ; — Mazz.

Q. 92. Quandonam *cesset* legis *dispensatio?*

R. Cessat in *triplici* casu sèquenti.

Explanatur. 1°) Revocatione dispensantis : nam *per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur*. — Hinc etiam *sine causa* posset *valide* revocari a *legislatore ; — illicite* tamen, ratione saltem levitatis et inconstantiae ; — a *delegato* vero *invalide* revocaretur sine causa, quia in ejus potestate non continetur facultas revocandi, ut libet. — Non tamen antea cessat, quam revocatio dispensato renuntiata fuerit. — **2°) Renuntiatione expressa** dispensati ; — et quidem in his vinculis quae ex sola voluntate renuntiantis statum capiunt (ut in votis, in juramentis), statim cessat dispensatio ; — in his vero quae ex lege (ut in impedimentis matrimonii, in Horis canonicis), tunc demum cessat, cum dispensatori *principali* renuntiata, et ab ipso acceptata fuerit. — Quousque ergo hic non acceptet, durat dispensatio, potestque interim ea uti renuntians. Nec sufficit, si acceptata fuerit a *delegato* qui eam impertiit, quippe ea impertita delegatus esse desiit. — **3°) Cessante causa finali** seu **motiva,** cessat dispensatio, si sit de re *dividua et successiva ;* secus si sit de re *individua*, juxta dicta superius (pag. 165). Et hinc dispensatio a jejunio, aut a recitando divino officio, propter infirmitatem, si jam infirmitas evanescat, non amplius subsistit. Contra irregularis dispensatus ad ordines, propter paupertatem, etsi omnibus nondum susceptis ditescat, manet

dispensatus.— Quod si obtinueris dispensationem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua comparte, ex jurisprudentia R. R. Congregationum servandum est quod edixit sub n. IX Bened. XIV, in Const. « *Convocatis* » (25 Nov. 1749).

Resolvitur. Dispensatio nunquam cessat **renuntiatione tacita,** i. e. *non usu,* nec *usu contrario,* quippe nullius interest. Quare v. g. si impetrata dispensatione super gradu prohibito, ut Cajam duceres, ea relicta, duxeris Bertham, vel castitatem voveris, poteris, Bertha mortua, vel obtenta voti dispensatione, Cajam ducere. — Cfr. S. Lig. (I, 196); — Mazz.; — Ronc.

Q. 93. An *gratia* dispensationis exspiret *morte concedentis?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Quando in litteris gratiae, in favorem alicujus concessis, minister exsecuturus est **voluntarius,** i. e. cui non praecipitur, ut exsequatur, sed sola conceditur exsequendi facultas in favorem ejus, cui gratia est concedenda, jam est gratia *facienda,* quae exspirat morte concedentis, *re adhuc integra ;* secus, re non amplius integra. — Si vero sit exsecutor **necessarius,** qui exsequi jubetur, si preces veritate nitantur, uti ordinarie contingit in dispensationibus matrimonialibus, jam censetur gratia *facta,* quae non exspirat morte concedentis. — Ratio utriusque est : quia in *primo* non est jus acquisitum illi qui dispensandus est; in *secundo* per mandatum jus aliquod est acquisitum, ut ab exsecutore dispensationem exigat. — Dicitur autem res *non integra,* si exsecutor primum actum judicialem exercere coepit, ut si jam vocaverit partes ad cognoscendum de precum veritate. — Cfr. Sass.

CAP. VI. — De cessatione legis.

Q. 94. Quomodo *cesset* lex?
R. Cessat in *triplici* casu, scilicet : per *abrogationem* vel *derogationem ;* — per cessationem finis legis *adaequatam ;* — per *desuetudinem.*

Explanatur. 1°) Per **abrogationem** vel **derogationem,** — sive *expressam,* cum legislator eam tollit vel coarctat nominatim ; — sive *tacitam,* cum aliquid constituit legi exsistenti aperte

contrarium. — Dico : *aperte;* quia nec abrogatio, nec derogatio in dubio praesumitur, sed « *leges posteriores ad priores trahendae sunt.* » — Immo lex *generalis* nunquam *per se* derogat statutis et consuetudinibus locorum ; ex quo patet leges *novas,* quae *superioribus derogant,* regulariter *stricte* esse interpretandas, exceptis his, quae favorem continent. — 2°) Si finis legis cessaverit **adaequate,** i. e. *ex omni parte* et *quoad omnes,* aut saltem *quoad majorem civium partem,* — sive finis cessaverit *contrarie* seu *positive,* ita ut lex evaserit noxia ; — sive cessaverit *privative* seu *negative,* ita ut evaserit inutilis tantum ; ad quid enim inutilis lex ? — Non item, si cessaverit tantum *ex parte,* licet *quoad omnes ;* hinc v. g. jejunium indictum ad obtinendum finem belli et aeris serenitatem, cessante uno fine, non ideo cessat ; — vel si cessaverit *ex toto,* sed *quoad singulos* tantum ; et hinc nemo solvitur lege poenitentiae quantumvis contritus. — Si tamen finis legis in aliquo casu particulari cessaverit *contrarie,* adeo ut haec servari nequeat sine incommodo gravi, cessat in eo casu legis obligatio ; et ita qui die jejunii non habet nisi carnes ad vescendum, non tenetur ad abstinentiam. — Dixi : *contrarie ;* quia cessante *negative* fine legis, etiam *totaliter* in uno particulari, non ideo cessat lex ; et hinc non licet tibi legere libros haereticos sine speciali licentia, licet non sit in te periculum perversionis, quod est praecipuus finis legis hujus ; similiter a bannorum proclamationibus non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. — 3°) Si **obsoleverit,** i. e. si in **desuetudinem** abierit. Hoc autem non pertinet ad leges *naturales* et *divinas ;* immo nec ad eas *Ecclesiae leges* quae christianos *mores* tuentur, vel nexum *ecclesiasticae disciplinae,* v. g. ne parochi resideant in suis parochiis. — Et quidem leges tam canonicas quam civiles *decennio* antiquari dicendum est. — Cfr. Bill. ; — Sass. ; — Mazz. ; — D'Annib.

Resolvitur 1. Ex S. Thom. (1. 2. q. 97, a. 3 ad 1), contra legem *naturalem* aut *divinam,* cum utraque procedat a voluntate divina, nihil potest consuetudo ; et licet Deus saepe differat punire transgressores, non ideo tamen legem relaxat, cum constet eum poenas pro altera vita reservare. Unde patet, per desuetudinem frequentandi sacramenta non cessare legem divinam. — **Resol. 2.** Quod *humanum* legi naturali aut divinae additum fuit, per desuetudinem

cessare potest, ut patet in caeremoniis accidentalibus sacramentorum, in canonibus poenitentialibus, in poenis humana lege inflictis. — **Resol. 3.** Etiam leges *irritantes* per desuetudinem tolli possunt. Actus tamen contra legem irritantem facti, etsi bona fide, sunt invalidi, donec tempus praescriptionis fuerit impletum. — **Resol. 4.** Consuetudo potest praescribere contra legem, etiam si feratur cum clausula : « *Non obstante quacumque consuetudine.* » Ratio : quia haec clausula intelligitur de consuetudine *praeterita*, non *futura*. Quod si dicatur in lege : « *Non obstante quacumque consuetudine, etiam futura,* » potest adhuc desuetudo legem abrogare : quia, non obstante hac clausula, potest esse rationalis. Neque tamen haec clausula inutiliter adjicitur : efficit enim, ut Magistratus diligentius invigilent, ne inducatur consuetudo contraria, et quod non tam facile possit praesumi tacitus consensus legislatoris. — **Resol. 5.** Nullius sunt roboris consuetudines in detrimentum immunitatis ecclesiasticae : quia Ecclesia illas reprobat. Idem dic de illis quae enervant ecclesiasticam vel religiosam disciplinam, fovent occasiones peccandi, aut bonis moribus adversantur : quia *abusus* sunt, qui approbari non possunt, licet saepe permissive se habeant superiores.

Q. 95. Quid dicendum in *dubio*, an lex *cessaverit?*

R. Si dubitetur, utrum lex *abrogata* fuerit, vel utrum finis ejus *cessaverit adaequate*, vel demum an ipsa *obsoleverit*, pro lege standum esse multi affirmant, quia lex possidet. — In dubio tamen *positivo*, seu si vere probabile sit, legem *abrogatam*, vel *contraria consuetudine deletam* esse, vel *finem ejus prorsus cessasse*, plures tenent, quos inter S. Alph. (III, 290), pro libertate respondendum esse.

Nota. Alibi (I, 27) S. Lig. pronuntiat : « Si lex est certe condita et certe promulgata, et inde oritur dubium, an sit abrogata, vel revocata, aut dispensata, est observanda : quia tunc ipsa possidet. Sic etiam in dubio, an per se justa fuerit acceptata, etiam observari debet : quia praesumendum est, eam fuisse receptam ex illo alio principio : *In dubio praesumitur factum, quod de jure faciendum est.* »

APPENDIX.

DE PRIVILEGIIS ET CONSUETUDINE.

CAP. I. — De privilegiis.

UBI DE QUIDDITATE PRIVILEGII, DISTINCTIONE, CONCESSIONE, INTERPRETATIONE, CESSATIONE ET COMMUNICATIONE.

Q. 96. *Quid* sit *privilegium?*

R. Est « *facultas specialis et constans a principe concessa in favorem unius vel plurium.* »

Explanatur. Dicitur : 1°) **facultas,** i. e. potestas ad aliquid faciendum vel omittendum, recipiendum vel conferendum ; — 2°) **specialis** : non enim privilegium concederetur, nisi aliquid particulare, sive contra, sive praeter jus, indulgeretur ; unde materia privilegii debet esse non tantum honesta et rationalis, sed etiam favorabilis ; — 3°) **constans,** quia de natura privilegii est, ut per multum tempus et ad plures actus extendatur ; — 4°) **a Principe concessa** : i. e. a legislatore, cum is solus, ut in decursu videbitur, privilegium concedere valeat. — 5°) **in favorem unius vel plurium** : quia privilegium non respicit omnes, quamvis possit respicere multos, uti sunt privilegia concessa Regularibus, Clericis, Minoribus, etc.

Resolvitur 1. Privilegium **ex vi vocis** idem est ac *privata lex*. Dicitur 1°) **lex** : quia obligationem inducit non quidem respectu ejus cui datum est, cum nemo, regulariter loquendo, teneatur uti beneficio sibi concesso ; sed respectu aliorum, quibus praecipitur, ut illud observari faciant, vel prohibetur, ne impediant. Dicitur 2°) **privata** : quia beneficium concedit : tum *particulare*, v. g. exemptionem fori ; tum *particularibus*, v. g. Regularibus, Clericis, etc., ut sunt partes communitatis. — Unde quoque privilegium *ex nomine* **simul** et ejus *notione* recte definiri solet ex cap. *Abbate*, 25, (de verb. signif.) : « *Privata lex aliquod speciale concedens beneficium.* » — **Resol. 2.** Privilegium differt : 1°) a **lege,** quae non directe spectat favorem unius aut plurium, sed bonum communitatis ; 2°) a **dispensatione,** quae est exemptio a

lege, at non ordinaria et stabilis, sicut privilegium, quod concedi potest vel contra vel praeter jus; 3°) a **licentia,** quae pariter ad paucos tantum actus conceditur et sub quibusdam conditionibus, dum e contra privilegium ex natura sua sit aliquid permanens et saepe datur illimitato modo; 4°) a **gratia** : quia privilegium magis late patet; omne quippe privilegium est gratia, non e contra. Sic dispensatio est gratia, non tamen est privilegium.

Q. 97. *Quotupliciter* distingui possit *privilegium?*
R. *Varie* sub *varia ratione* distingui potest.

Explanatur. 1°) Ratione SUBJECTI, — aliud est **personale,** quod immediate conceditur alicui personae ratione sui; cujus signum est, si persona nomine suo exprimatur, aut allegentur ejus merita; — et aliud **reale,** quod immediate conceditur rei, loco, officio, dignitati, puta praedio, monasterio, ecclesiae, dignitati episcopali, capitulo, etc., ratione cujus redundat in personam ad quam illa res, officium, dignitas, etc., pertinent. Cujus signum est, si solum dignitatis, officii, nomen exprimatur, ut si dicatur : « *Concedimus Archiepiscopo Mechlin.* » — **2°)** Ratione OBJECTI, — aliud est **contra jus,** quod legi derogat, ut privilegium oratorii privati, exemptio a solvendis decimis; — aliud **praeter jus,** quo princeps concedit aliquid suum, ut facultas dispensandi, absolvendi a peccatis. — Praeterea aliud est **odiosum,** quod — vel ita est favens uni, ut alteri sit praejudiciosum, v. g. privilegium ad lites, quod dum alteri favet, reum premit aut imminuit inferiorum judicum potestatem; — vel juri communi, statutis vel consuetudinibus particularibus contrarium est; quare privilegium *contra legem* odiosum esse censetur; — et aliud est **mere favorabile,** si nihil horum obtinet, ut est privilegium vescendi carnibus in quadragesima. — **3°)** Ratione CAUSAE, — aliud est **remuneratorium,** quod ob certa merita nominatim conceditur; — aliud **gratiosum,** quod sine his, vel his non expressis. — **4°)** Ratione FORMAE, — A) aliud est **ex motu proprio,** si proferat illam clausulam; — et aliud **ad instantiam,** si id non exprimatur. — B) Aliud est **vivae vocis,** quod conceditur oretenus, tametsi ad obtinendam fidem in foro externo, litteris consignetur et authentico testimonio communiatur; — et aliud **scriptum,** quod per authenticam

scripturam conceditur Estque diversae auctoritatis, prout est *clausum in corpore juris*, ut privilegia ecclesiasticorum ; vel datum *extra corpus juris*, per rescriptum speciale certae alicui personae, communitati, loco. — C) Aliud est **purum**, — et aliud **conventionale**, prout sine pacto aut nonnisi cum eo obtinetur. — D) Aliud est concessum *primo* et **per se**, i. e. sine ordine et respectu ad privilegium aliis datum ; — et aliud concessum **ad instar**, quod datur eo modo quo jam est alteri concessum ; idque — vel *directe* et *aeque principaliter*, cum conceditur uni, quod concessum est alteri, sed non quia concessum est alteri ; — vel solum *relative, indirecte, accessorie* et propter connexionem unius cum altero, ita ut dans privilegium secundo gratificetur primo. — 5°) Ratione durationis, — aliud est **perpetuum**, quod illimitate, — et aliud **temporale**, quod limitate conceditur.

Resolvitur 1. Privilegium **personale** exstinguitur cum eadem persona, et qui illud habent, possunt eodem uti in quemcumque pergant locum : quia personam afficit, eamque sequitur quocumque. Constat ex Reg. Jur. 7 in 6 : « *Privilegium personale personam sequitur et exstinguitur cum persona.* » — « Hinc, ait Herincx, qui habet *generalem* facultatem audiendi confessiones in aliqua dioecesi, potest audire confessiones quorumcumque istius dioecesis, etiam extra dioecesim. Similiter qui habet privilegium eligendi confessarium, non legendi Horas, non jejunandi, etc., potest ubique illo uti, non solum si sit privilegiatus a Papa, sed etiam, si ab inferiori Praelato. Item habens facultatem obtinendi plura beneficia, potest ea ubique obtinere. » — Hinc quoque equites *Velleris aurei* variis, iisque insignibus, ubique gaudent privilegiis, quibus perillustrem hunc Ordinem, Brugis an. 1430 a duce Philippo Bono institutum, dein an. 1433 ab Eugenio IV approbatum, confirmavit ampliavitque an. 1516 Leo PP. X (1). — **Resol. 2.** E contra privilegium **reale** transit ad haeredes et successores in eadem re, cum rei ipsi inhaereat ; re autem pereunte, perit, si pereat sine spe reparationis. Sed qui illud habent nequeunt eodem uti extra

(1) Haec privilegia reperies ap. Helyot (*Hist. des Ord. monast., relig. et milit.* tom. 8, c. 54. Par. 1714-1719). — Quod opus italice vertit Fontana (Lucca 1737).— Cfr. Moroni, *Dizionario*, etc., vol. LXXIX.

territorium concedentis, quia censetur *locale*. — Hinc ad dubium : Utrum Belgae, qui, obtenta dispensatione a lege qua prohibetur esus carnium in die sabbati, peregrinatur extra Belgium, liceat comedere carnes in locis, in quibus viget lex ista?—S.U.I.(fer.IV, die XI Jan. 1855) respondit : « *Negative.* » Hinc quoque qui in Bulla *Cruciata* Hispanis conceditur lacticiniorum et carnium in quadragesima usus, eleemosyna quadam in pios usus acceptata, non *personale*, sed *reale* censetur privilegium, quod extra ditionem Hispaniensem non valet. — **Resol. 3.** In **dubio**, an privilegium sit *reale* vel *personale*, si sit odiosum, censetur *personale;* secus, censetur *reale*. Ratio est : quia odia sunt restringenda, favores ampliandi. — **Resol. 4.** Privilegium **gratiosum**, etiam sine causa, valide revocare licet ; *remuneratorium* vero valide revocari non potest, nisi ex justa causa : nam erat quasi merces laboris. — **Resol. 5.** Privilegium, si concedatur **ex motu proprio**, non fit invalidum ex defectu eorum quae ex jure in concessione exprimi debent ; praeterea praesumptionem subreptionis excludit (pag.164). — Secus dicendum, si concedatur *ad instantiam*. — **Resol. 6.** Privilegium **ad instar**, si concedatur *indirecte* et *accessorie*, exstinguitur, minuitur vel augetur cum privilegio principali seu primitus et per se dato. Hujusmodi sunt privilegia quorumdam Religiosorum, quae horum familiaribus, medicis et advocatis communicantur. — Secus dicendum, si concedatur *directe* seu *aeque principaliter*, cum tunc non dependeat ab alio. — **Resol. 7.** Ideo non distinximus privilegium **locale** : quia hoc vere reale est ; nec memoravimus **mixtum** : quia non datur privilegium reale quod in personam aliquo modo non redundet.

Q. 98. Privilegium a *quo* et *cuinam* concedi possit?

R. Quoniam omne privilegium a jure recedit, ideo ab eo tantum concedi potest qui *supra jus est*, — et his tantum, — seu personis,— seu rebus, quae *territorio* ipsius continentur. — Praeterea privilegium quaedam quasi *donatio est;* ideoque, nisi concessum fuerit petenti, is cui conceditur necesse habet illud *acceptare*, — sive hoc sit *praeter jus :* quia non potest quidvis acquiri nisi volenti ; — sive sit *contra jus :* quia superior non censetur sua beneficia conferre invitis, ne vilescant.

— Et si concessum fuerit *absenti*, ut is possit acceptare privilegium, necesse est ut prius sibi directe vel procuratori ejus renuntiatum fuerit a concedente, utque is interim neque illud revocaverit, neque mortem obierit.

Resolvitur 1. Privilegium, sive sit *contra*, sive *praeter* jus, concedere potest solus Legislator, vel ejus Superior, vel Successor : quippe *primum* includit dispensationem et derogationem legis ; *secundum* vero obligat saltem subditos, ne privilegiatum impediant in usu sui privilegii ; utrumque autem est actus jurisdictionis, soli Legislatori competens. — **Resol. 2.** Privilegium *contra jus* non conceditur nisi aliquo modo subdito : cum per illud subditus eximatur a lege. At privilegium *praeter jus* concedi etiam potest non subditis, quia habet speciem alicujus donationis, quae etiam extraneo fieri potest ; et ita Princeps potest extraneo dare jus venandi in suo territorio. — **Resol. 3.** Ut usus valeat, privilegium debet esse *acceptatum*, cum sit instar donationis ; et ideo datum *motu proprio* effectum non habet, nisi sciatur concessum vel expeditum ; datum vero *ad instantiam* sortitur effectum, quam primum concessum est, licet concessio ignoretur : quia adest tacita acceptatio inclusa in petitione. — « Sic, ait Sass., qui scripsit Romam pro dispensatione super impedimento affinitatis et postquam ibi *impetrata* est, contrahit matrimonium cum affine, valide contrahit ; — qui per nuntium petit facultatem a parocho assistendi matrimonio, valide assistit, modo *data* sit, — quamvis *non sciatur* esse data. Idem est de privilegio absolvendi ab haeresi, etc. ; licet *graviter peccent*, propter periculum, cui se exponunt dispensationem vel licentiam ignorantes. » — Cfr. Lavm.

Q. 99. *Quomodo* privilegia *interpretanda* sint?

Praenotandum. Quaestio procedit de interpretatione **doctrinali** (pag. 159). — Quod attinet interpretationem privilegii *authenticam* seu *juridicam*, haec fieri non potest, nisi a Principe vel ipsius successore in aequali sede. — Ex concessione tamen RR. PP. *Praelati Regulares*, etiam *immediati*, in dubio possunt *authentice* et *juridice* interpretari privilegia sibi tradita. Immo ex S. Thom. hanc facultatem habent a jure. — E contra Clem. IV

omnibus aliis Praelatis districte prohibuit, ne privilegia Regularium *authentice* interpretari praesumerent. — Cfr. Ronc.; — S. Lic. (H. A. tr. 20, n. 6).

R. Quoniam ex communi adagio «*Privilegia tantum valent, quantum verba sonant,*» — ideo 1°) neque *extensivam* interpretationem recipiunt (et hinc ei v. g. cui concessum est dispensare in gradibus consanguinitatis, in affinitate dispensare non potest ; — 2°) neque regulariter *restrictivam* interpretationem recipiunt (dico : *regulariter;* quia si privilegium concessum sit verbis generalibus, in generali concessione non veniunt quae quis non esset verisimiliter concessurus, i. e. extraordinaria prorsus et insolita de quibus nec in genere cogitatum est, neque ea quae aut consuetudo aut jus excludit); — sed 3° *declarativam* tantum interpretationem recipiunt.

Scilicet A) privilegia *praeter jus* interpretationem *latam* admittunt, quippe his princeps dat quod suum est, quin aliquem laedat ; — B) privilegia *contra jus* regulariter loquendo interpretationem *strictam* postulant, quia legem vulnerant; — nisi 1°) cedant in favorem *reipublicae* vel *religionis*, ut privilegia communitatibus concessa; — vel 2°) concessa sint *motu proprio :* quia sic constituunt proprium beneficium Principis, quod decet late interpretari, juxta illud juris : «*Beneficium Principis late explicandum est;*» — vel 3°) sint inserta in *corpore juris ;* sic enim sunt potius ipsi conformia, cum illud constituant ; — vel demum 4°) si alias forent *inutilia.* — C) Ea sola privilegia, quae *laedunt jus tertii*, semper *strictam* interpretationem desiderant; imo omne privilegium hanc semper tacitam conditionem habet : *salva justitia et jure tertii.*

Resolvitur 1. In **generali** facultate absolvendi a peccatis non continetur facultas absolvendi a peccatis *reservatis ;* et concessa a R. P. licentia absolvendi a casibus reservatis, sub ea non veniunt casus eidem R. P. *specialiter reservati.* — **Resol. 2.** Quoniam privilegium *praeter jus*, quod in nullius praejudicium cedit, v. g. facultas absolvendi vel dispensandi et aliae multae gratiae iis concessae, quibus lege communi non competunt, late inter-

pretari debemus; ideo facultas concessa episcopis in TRID. (sess. 24, c. 6 de ref.) etiam competit episcopo *confirmato*, etsi necdum consecrato; item iis etiam qui episcopo in jurisdictione aequiparantur, scilicet Capitulo et Vicario capitulari, sede vacante. — **Resol. 3.** Quamvis privilegium concessum filiisfamilias contra jus commune stricte sit interpretandum pro solis *legitimis*, tamen si cedat in favorem **religionis** vel **causae piae** extenditur etiam ad *legitimatos*. — **Resol. 4.** Omnia privilegia **realia** amplam patiuntur interpretationem : cum enim rebus inhaereant, ob suam perpetuitatem habentur tanquam inserta *in corpore juris*. — **Resol. 5.** Privilegium, quantumvis *contra jus*, extendi debet ad ea, quae et sunt illi **necessario** connexa et sine quibus non potest habere suum effectum; et sic privilegiatus, ut Missam celebret tempore interdicti, potest socium secum afferre qui inserviat; et privilegiatus ad plura beneficia censetur dispensatus in residentia utriusque (pag. 160). — **Resol. 6.** Privilegia **Regularium** Ordinibus concessa ex S. LIG. (app. 2 de priv. n. VIII) « *omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam* LATISSIME.... *quemadmodum communissime affirmant* DD. » — Rationes affert ROXC. (tom. 1, tr. III, de priv.) : « *Prima*, quia concessa sunt in favorem religionis et bonum animarum. *Secunda*, quia in eis concedendis Pontifex principaliter intellexit favorem concedere : quando autem finis principalis concedentis est favor, privilegium semper intelligitur favorabile. *Tertia*, quia privilegia Regularium sunt remuneratoria, adeoque, utpote favorabilia, sunt amplianda. *Quarta*, quia Constitutiones quibus SS. PP. privilegia Regularibus concessere, sunt perpetuae et pertinent ad leges, quae in jure sunt favorabiles; unde cum non sint contra jus, sed ipsae potius sint jus, ex hoc capite etiam sunt favorabiles. *Quinta*, quia nulli praejudicant : — Non *Summo Pontifici :* quia ipse potest ampliare et limitare jus, et juri suo cedere, si aliquid concedat Regularibus contra suum jus. — Non *episcopis* et *parochis :* nam cum omnem potestatem habeant dependenter a Summo Pontifice (pag. 118), jam nullam injustitiam ipsis facit, si utendo jure suo talem potestatem limitet in ordine ad Regulares. Idipsum probat S. THOM. (in 4. d. 17, q. 3, a. 3, q. 5 ad 1) : observando *praejudicium inferri alicui, quando privatur aliqua re, quae cedit in ejus favorem et utilitatem*. Cum igitur episcopis et parochis

non data sit potestas jurisdictionis ad sui commodum et utilitatem, nullum illis infertur praejudicium, si ab eadem vel exempti fuerint Regulares, vel illis eadem potestas concessa fuerit ad promovendum honorem Dei et salutem animarum. — Immo dicit idem S. Thom. (*ibid.* et *Opusc.* 19) id solum cedere in praejudicium illorum Praelatorum, *qui quaerunt quae sua sunt, non quae Jesu Christi, et qui gregi praesunt, non ut pascant, sed ut pascantur.* » — Hucusque Roxc., qui recte hisce verbis concludit. « *Privilegia ergo* **Regularium,** *utpote omni jure et tam evidentibus rationibus favorabilia, semper admittunt latam interpretationem. Immo ex pluribus concessionibus* SS. PP. *in dubio semper in ipsorum favorem sunt interpretanda.* » — **Resol. 7.** Privilegia **in praejudicium aliorum,** cujusmodi sunt : *privilegium ad lites, — ad obtinenda plura beneficia,* quod vocatur privilegium *ambitiosum,* — aut *ad conferenda beneficia vacantia,* — aut *contra observantiam regularem,* stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio.*

Q. 100. Quomodo *cesset* privilegium?

R. Sub varia ratione diversimode cessare potest.

Explanatur. 1°) Ex parte **concedentis** cessat *revocatione;* quae, si fiat per legem, expresse vel tacite fieri potest; sin per rescriptum, non valet, nisi cum privilegiato directo innotuerit a revocante. — **2°)** Ex parte **privilegiati** cessat per *renuntiationem,* per *non usum,* per *abusum.* — Et quidem A) per *renuntiationem,* ex quo haec a concedente fuerit acceptata, et si renuntiatio agitur inter absentes, non poterit ab eo qui concessit acceptari, nisi ei a renuntiante directo innotuerit. — Quaedam tamen sunt privilegia, quibus nullo modo a particulari renuntiari valet, ut sunt quae in bonum commune directe ordinantur, v. g. privilegium *canonis.* — B) Per *non usum* vel *usum contrarium* ea sola privilegia evanescunt, quae laedunt jus tertii, cum is adversus ea praescripserit tempore a legibus definito. — C) Per *abusum;* sed haec poena est, quae regulariter ante sententiam judicis non incurritur. — Demum **3°) natura sua** seu **ab intrinseco** cessat privilegium concessum *sub conditione,* ea non adimpleta; — aut *in diem,* tempore elapso; — *personale,* morte personae; — *reale,*

interitu rei vel loci, sine spe reparationis, aut amissa dignitate.

Resolvitur 1. Habetur **expressa** *revocatio,* si fiat per verba expressa, ut *revocamus, annullamus*, et similia; et haec expressa revocatio potest esse — vel *generalis,* per verba generalia absque ulla specificatione, ut si apponatur legi novae clausula generalis : « *non obstantibus quibuscumque privilegiis;* » — vel potest esse *specialis,* per verba specialia, ut si addatur clausula : « *non obstante tali privilegio,* » aut alia similis, per quam scilicet aliquod privilegium specifice revocatur. — Habetur autem **tacita,** quando Princeps non verbis *expressis,* — sive generalibus, — sive specialibus, revocat; sed actu facit aliquid, ordinat seu concedit, quod suum non potest habere effectum, nisi contrarium privilegium revocando. Tunc enim per hujusmodi actum contrarium sufficienter indicat, se tollere privilegium, si tamen illius *notitiam* habet. — Quod addo : quia, si Princeps privilegia antea concessa ignorare videatur, utpote quae a praedecessore suo cuipiam privato concessa fuerint, nec in corpore juris inserta, revocata non censentur, nisi *specialis* apposita sit clausula qua rescindantur. — Quae *specialis* clausula etiam requiritur ad rescindenda privilegia quae : vel 1°) speciem contractus praeseferunt, ut si concessa fuerint ob pretium a privilegiato acceptum aut ob onus ipsi impositum; vel 2°) ex indulti verbis revocari nequeunt, nisi de iis specialis fiat mentio, aut nisi de verbo ad verbum inserta sint in Bulla revocationis. Unde priora, revocantur per clausulam : « *non obstantibus privilegiis etiam speciali mentione dignis;* » posteriora vero per clausulam : « *non obstantibus quibusvis privilegiis, etiam iis, pro quibus requiritur insertio de verbo ad verbum.* » — Si tamen in lege revocatoria adsit clausula : « *ex certa scientia,* » aut « *ex motu proprio,* » aut « *de potestatis plenitudine,* » — « tunc, ait S. Lig. (l. c.) revocatur omne privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis, [i. e. conventionalibus quae scilicet speciem contractus praeseferunt], aut quando revocatio praejudicaret juri a tertio acquisito. » — **Resol. 2.** Nemo tenetur uti suo privilegio, sed potest ei renuntiare, per se loquendo, cum possit cedere juri suo. — Dixi : *per se loquendo;* nam **excipe : 1°)** *dum est datum in favorem communitatis;* seu aliis verbis, si privilegium non personam sed coetum seu ordinem respiciat : quia tunc non utendo censetur

praejudicare aliis. Hinc clericus *fori* privilegio, ubi viget, se abdicare nequit, etiam interposito juramento : « *cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum; cui privatorum pactio derogare non potest.* » Ita Cap. XII, *si diligenti*, de foro competenti. — **Excipe 2°)** *dum concurrit aliqua lex praecipiens actum sine usu privilegii non implebilem.* Quare confessarius, post auditam confessionem, tenetur uti privilegio absolvendi a peccatis reservatis, si poenitens sit rite dispositus, quum alioquin gravis inferretur ipsi injuria. Sic quoque, si die festo non possis adire ecclesiam, habeas autem privilegium oratorii privati, teneris ibi audire Missam, saltem si gratis habere possis; sicut qui in carcere detentus habet licentiam a judice adeundi ecclesiam. Similiter si haberes privilegium non solvendi decimas, et solvendo fieres impar solvendis tuis debitis, tenereris uti privilegio. E contra si praevideas te cras impediendum a recitando officio canonico, non teneris hodie sub vesperum recitare matutinum et laudes, quamvis ex privilegio possis : quia vi privilegii non teneris et praeceptum necdum urget. — **Resol. 3.** Si privilegium sit **conditionale, conventionale** aut **temporale,** ablata conditione, irritata conventione, vel completo tempore pro quo, sub quo et cum quo datum erat, desinit : quia sicut privilegium *personale* affixum est personae, et *reale* rei; ita *conditionale* conditioni, *conventionale* conventioni, *temporale* tempori affixum est tamquam aliquali fundamento, quo corruente, necesse est corruant ea quae ipsi adhaerebant, et principali ablato, necesse est auferantur accessoria. Quare cessat privilegium canonicorum quo etiam absentes studiorum causa percipiunt fructus praebendarum, si studiis non vacent.

Q. 101. An *cesset* privilegium *resoluto jure concedentis,* ut puta morte, abdicatione, renuntiatione?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si privilegium continet gratiam **factam,** cum jus quaesitum jam alteri fuerit, quasi perfecta donatio, non cessat: quia juxta regulam juris 16 in 6 : « *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.* » — Sin **faciendam,** cessat. — Nihilominus gratia quoque *facienda* permanet, si quo tempore jus dan-

tis resolvitur, res non sit amplius **integra.** Cfr. supra (pag. 167).

Resolvitur. Morte episcopi non cessat facultas absolvendi quam ab eo habent confessarii relate ad poenitentes indeterminatos vel relate ad eumdem pro vicibus indeterminatis, i. e. toties quoties opus fuerit : quia est *gratia facta* ipsi delegato, quae non exspirat morte delegantis. E converso facultas concessa alicui sacerdoti, ut absolvat Titium a casu reservato, exspirat morte concedentis, re adhuc integra : quia per talem facultatem sacerdos ille non obligatur absolvere, adeoque Titius non acquisivit jus ad absolutionem, et consequenter non est gratia illi *facta*, sed per liberam voluntatem confessarii *facienda*. — Porro ex Mazzot. « *res dicitur integra* usque ad primum actum judicialem delegati post praesentationem rescripti, uti si is coeperit examinare, jusserit fieri informationem, aut clam vocaverit supplicantem; post talem actum res non dicitur integra. Similiter si in eodem rescripto committantur plures simul dispensationes inter se connexae : per primum actum judicialem circa unam, res desinit esse integra etiam quoad reliquas; secus vero, si illae non sint inter se connexae, nisi vero ille actus sit communis omnibus. »

Scholion. Pro coronide hujus materiae, *placeat* 1°) circa **communicationem privilegiorum** sequentia adnotare cum Kenrick ex S. Lig. : « Communicantur privilegia inter *Ordines Medicantes*, adeo ut quae uni fuerint concessa, caeteris data intelligantur, tum circa loca, tum circa personas, festivitates et indulgentias. Hujusmodi privilegiis fruuntur *conversi* et *novitii;* sicut et *religiosi ad episcopatum assumpti*, dummodo non agatur de rebus, quibus Episcopi si utantur, aliquod religioni praejudicium proveniret, ut esset habitatio in monasterio, datio suffragii, etc. *Moniales* et *monachi* etiam communione privilegiorum inter se invicem fruuntur, ideoque quae ordini alicui conceduntur privilegia favorabilia, sunt omnium ordinum viris foeminisque communia; quae autem sunt odiosa vel contraria propriis statutis, non communicantur. » — Et hinc, ut notat Castropal.: « privilegia concessa ordinibus militaribus habendi proprium, testandi, etc., sive concessa sint per modum dispensationis, sive ob aliquos fines superiores, religionibus mendicantibus non communicantur : quia sui monasterii rectae gubernationi obessent. » — Praeterea, cum damnata fuerit ab Alex. VII sequens

propositio sub n. 36 : « *Regulares possunt in foro conscientiae uti suis privilegiis, quae sunt expresse per Conc. Trid. revocata,* » hinc quoque *placeat* 2°, circa privilegia Regularium **Tridentinis decretis contraria,** quatuor adferre quae notat P. Piatus (*in Theol. Mor.* V. D. V.) : « 1°) Certum est a Concilio revocata esse illa privilegia quae alicui Decreto ejusdem Concilii Sess. XXV, *de regularibus,* contraria sunt, ut constat ex cap. 22 ejusdem sess. — 2°) Certum iterum est ab eodem Concilio revocata esse Regularium privilegia, quae cuicumque ejusdem Decreto adversantur, quod adjunctam habet clausulam eorum revocatoriam. Idque verum est, etiamsi agatur de privilegio in corpore juris clauso. — 3°) De aliis autem disputatur. Longe autem probabilior est eorum sententia qui, vi Constitutionis Pii IV « *In Principis Apostolorum* » docent ea revocata esse. — 4°) Unde iis privilegiis uti nequeunt Regulares, nisi illa post Concilium Trid. denuo obtinuerint. » — *Placeat* 5°) adnotare, ab Urb. VIII, Bulla « *Alias felicis* » (20 Dec. 1631) revocata fuisse omnia privilegia Regularibus **vivae vocis oraculo** concessa, idque pro utroque foro. — « At, — ut animadvertit idem P. Piatus, — in Const. « *Alias felicis* » (11 Apr. 1635) ab hac revocatione excipit ea *vivae vocis oracula* quae testificata fuerint per ministros quibus, vi officii sui seu muneris, fides adhiberi solebat. »

CAP. II. — De consuetudine seu lege non scripta.

Q. 102. *Quotupliciter* consuetudo *in genere* considerari possit?

R. Dupliciter.

Explanatur. Considerari potest : — **1°) causaliter,** pro diuturno usu et actibus longo tempore a communitate vel majori ejus parte frequentatis, et tunc dicitur consuetudo *facti ;* — **2°) formaliter,** pro jure exinde oriundo, et tunc dicitur consuetudo *juris.* — Cfr. Spor.

Q. 103. *Quid* sit proprie consuetudo *formaliter* sumpta?

R. Definiri potest : « *Jus moribus receptum.* »

Resolvitur. Hinc patet, definitionem solum convenire consuetudini quam vocant **praeter legem,** i. e. quae novum jus inducit

in materia in qua deficit jus scriptum; — non vero consuetudini quam vocant **contra legem**, i. e. qua tollitur jus praeexsistens et magis **desuetudo** dicitur, de qua supra diximus (pag. 168 seq); neque consuetudini quae vocatur **juxta legem**, i. e. quae est ipsa legis observantia vel etiam ejus interpretatio, sicque nec novum jus inducit, nec abrogat praeexsistens.—Cfr. S. Thom. (1.2.q.97,a.3).

Q. 104. Quaenam *conditiones* requirantur, ut consuetudo, quam *praeter legem* vocant, *vim legis* habeat?

R. Ut consuetudo inducat legem, plura requiruntur : — tum 1°) ex parte *populi*; — tum 2°) ex parte *principis*; — tum 3°) ex parte *actuum*; —tum 4°) ex parte *objecti* seu *materiae*.

Explanatur. 1°) Ex parte **populi**, — ut frequentetur ab his quibus jus, seu commune, seu singulare, constitui potest, i. e. a *communitate perfecta*, velut a Provincia, Dioecesi, Collegio, vel saltem a majori ejus parte; — idque *cum animo sese obligandi*; quia non est lex sine obligatione nec obligatio legis, si superior non intendat obligare; — et hinc consuetudines ex sola populi devotione introductae v. g. audiendi tres missas in Natali Domini, recitandi *Angelus* mane, meridie et vespere ad sonum campanae, et aliae plures non habent vim legis. Ex variis autem indiciis dignosci potest consuetudinem inductam fuisse cum intentione obligandi et vim legis habere : v. g. si non observantes male audiant apud timoratos et sapientes; si in re difficili regulariter observetur; si superiores urgeant ejus observationem et transgressores puniant; si communi consensu Doctorum reputetur lex, etc. — **2°)** Ex parte **principis** qui potest jus condere, — ut adsit *consensus* ejus saltem *interpretativus*; — et hinc nequit introduci, si is eam corruptelam nuncupaverit, nisi rebus postea mutatis. — **3°)** Ex parte **actuum** quibus ea inducitur, requiritur, ut sint : — A) *liberi*, i. e. non vi aut errore extorti; — B) *pluries* usurpati, i. e. non semel aut iterum, sed saepius arbitrio boni viri; — C) *constanter*, i. e. qui nunquam interrupti et similes fuerint; — D) *diu*, i. e. longo tempore, scilicet per decennium, vel per spatium 40 annorum, ut alii putant, et quidem verius, cum hic non de *solvendo* agatur, sed de *ligando*, juraque promptiora sint ad solvendum quam ad ligandum. — **4°)** Ex parte **objecti** seu **ma-**

teriae, — ut consuetudo sit *rationalis,* i. e. de his rebus tantum quae jure seu communi seu singulari constitui possint, scilicet de rebus tantum *honestis* et *utilibus* communitati, adeoque *non sit contra jus:* aut *naturale,* aut *divinum,* aut etiam *canonicum* in his « *quae disrumpunt nexum ecclesiasticae disciplinae,* » cujusmodi sunt : — quae Ecclesiae libertatem vel jurisdictionem coercent; — quibus impeditur correctio morum ; —vel quae scandalum gignere possunt.

Resolvitur. « Consuetudo igitur se aqua lustrali aspergendi, vel crucis signo ante prandium muniendi, vel preces matutino vel vespertino tempore fundendi, vim legis non habet; quamvis peccaret qui ritum lustrationis sperneret, vel a signo crucis faciendo, fidem catholicam erubescens, abstineret. Non peccat autem qui aliquando ab externis his pietatis exercitiis justa de causa abstinet, ne scilicet absque ulla utilitate haereticorum cachinnos moveat. »

Q. 105. Quid dicendum *in dubio* an consuetudo vim legis habeat?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si dubium sit, utrum consuetudo **revera obtinuerit,** haec non obligat : — sin vero **quo animo** fuerit introducta, dicendum est, eam fuisse introductam cum animo obligandi, si *constanter* observata retro fuerit, et cum *incommodo gravi.*

Q. 106. Qualiter consuetudo *obliget?*

R. Quoniam « *consuetudo legitime invecta pro lege non immerito custoditur,* » ideo, conformiter ad ea quae dicta sunt de obligatione legis (pag. 139), consuetudo obligat in re levi sub levi, in re gravi sub gravi; et si poenas introduxerit, vel inhabilitates, vel nullitates, haec quoque tenent. — Nihilominus *in dubio* : utrum obliget sub gravi, an sub levi; — utrum poenas quoque etc. secum ferat, quod *minimum* est, sequimur.

Q. 107. An *consuetudo* possit *abrogari?*

R. *Affirmative* : nempe contraria consuetudine aut lege.— Et quidem consuetudines *universales* per legem generalem abrogantur. Consuetudines vero *particulares* cum sint aliquid facti, quod legislator praesumitur ignorare, contraria eis lege derogatum non intelligitur, nisi haec annexam habeat eam

clausulam : « *non obstante quacumque contraria consuetudine;* » — vel, si consuetudo excedat memoriam hominum, hanc : « *non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili.* »

DE PECCATIS

CUM APPENDICE DE VITIIS.

PRAEAMBULUM. Tractatus de peccatis **triplex** erit pars, et adjicietur **appendix** de vitiis. — In **prima** parte agetur de peccato *in genere,* ac sub diversis capitibus disseretur : 1°) de *natura* peccati, *divisione* et *gravitate;* 2°) de *causis* et *effectibus* peccatorum; 3°) de *distinctione specifica* et *numerica* peccatorum. — In **secunda** parte agetur de peccato *in specie,* et dicetur in duplici capite : 1°) de peccato *commissionis* et *omissionis;* 2°) de peccatis *internis,* scilicet de *desiderio, gaudio* et *delectatione morosa.* — In **tertia** parte tractabitur ex professo de *septem peccatis capitalibus.* Et quoniam ex his septem, quinque dicuntur peccata *spiritualia,* quae perficiuntur in delectatione spirituali animae, alia vero duo dicuntur *carnalia,* quia perficiuntur in delectatione carnali corporis, hinc duplex erit **sectio.** In PRIMA sectione agetur de quinque peccatis *capitalibus* quae dicuntur *spiritualia,* scilicet : de *superbia, avaritia, ira, invidia* et *acedia.* In SECUNDA dicetur de duobus peccatis *carnalibus,* scilicet : de *gula* et *luxuria.* Et quia materia luxuriae est amplissima, hinc disputabitur PRIMO : de luxuria *in genere;* SECUNDO : de luxuria *in specie,* ubi sub diversis articulis sermo erit : 1°) de peccatis luxuriae consummatis *intra naturam,* scilicet : de *fornicatione, adulterio, stupro, raptu, incestu* et *sacrilegio carnali;* 2°) de peccatis luxuriae consummatis *contra naturam,* adeoque : de *sodomia, bestialitate, mollitie* seu *pollutione,* ubi de *distillatione, motibus carnalibus* et *onanismo;* 3°) de *impudicitia* seu peccatis luxuriae *non consummatis,* ubi speciatim : de *tactibus, osculis, aspectibus, turpiloquiis, choreis* et *spectaculis.* Tandem 4°) speciatim dicetur de *amoribus* seu *procationibus.* — Triplici huic parti adjicietur in fine **appendix** de *vitiis.*

PARS PRIMA.

DE PECCATO IN GENERE.

CAP. 1. — De natura peccati, divisione et gravitate.

Praenotandum. Peccatum **generalissime** acceptum significat quemcumque defectum a lege vel regula. Sic in *naturalibus* monstra dicuntur peccata naturae; in *artificialibus*, quae non servant regulas dicuntur peccata artis; in *moralibus*, actus defectuosus dicitur peccatum. — Porro in ordine ad hanc ultimam acceptionem, quatenus scilicet consideratur in genere *morum*, peccatum aliquando sumitur *late*, aliquando sumitur *stricte*. — Si sumatur **late**, peccatum varias habet significationes : — 1°) Significat **hostiam** quae offertur pro peccati expiatione : Sic (Os. IV, 8) dicitur de sacerdotibus : « *Peccata populi mei comedent;* » et (2 Cor. V, 21) dicitur de Deo : « *Eum* [Christum] *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* » — 2° Accipitur pro *causa* vel *occasione peccati*. Sic (Deut. IX, 21) dicit Moyses de vitulo aureo : « *Peccatum vestrum, quod feceratis..., igne combussit.* » — 3°) Sumitur pro *poena* et *effectu* peccati, ut (Lev. XX, 20) : « *Portabunt ambo peccatum suum.* » — 4°) Pro utroque, nempe pro *causa* et *effectu* peccati. Quo sensu, ut ait Trid. (sess. V, cap. 5) : « *Concupiscentiam aliquando Apostolus peccatum appellat,... quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* » — At si sumatur **stricte** seu **proprie**, peccatum significat *transgressionem legis* seu *offensam Dei*, et de eo sic sumpto jam solum agitur in praesenti.

Q. 1. *Quid* sit proprie *peccatum* in genere *morum?*

R. Est « *transgressio legis aeternae;* » — vel distinctius cum S. Thom. (1. 2. q. 71, a. 6) post S. Aug. : « *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam.* »

Explanatur. Per **prima** verba indicatur *materiale* peccati, i. e. ipse actus physicus vel ejus omissio : nam sub *dicto, facto* et *concupito*, quae sunt peccata *commissionis*, etiam intelligendum est *non dictum, non factum, non concupitum*, quae sunt peccata *omissionis*, quandoquidem, ut habet S. Thom. (*ibid.* ad 1) « *affirmatio et*

negatio reducuntur ad idem genus. » — **Reliqua** verba indicant *formale* peccati, seu rationem mali, scilicet defectum conformitatis cum lege aeterna, a qua omnis lex, sive humana, sive divina, proficiscitur. — Dicitur autem potius *contra legem aeternam*, quam *contra rectam rationem*, quia, ut ait S. Thom. (*ibid.* ad 5), « *a* Theologis *consideratur peccatum praecipue secundum quod est* offensa contra Deum ; *a* Philosopho *autem morali, secundum quod* contrariatur rationi. *Et ideo* Aug. *convenientius definit peccatum ex hoc, quod est* contra legem aeternam, *quam ex hoc quod est* contra rationem ; *praecipue cum per legem aeternam regulemur in multis, quae* excedunt rationem humanam, *sicut in his quae sunt fidei.* »

Resolvitur 1. Allata definitio est *proprie* de peccato **actuali** ; — non vero *originali*, « nisi, ait Bill., intelligas dictum, factum concupitum *propria* vel *aliena* voluntate, quae aliquo modo sit nostra ; » — neque etiam est de *habituali*, nisi dicas illud comprehendi, quatenus est ipsum actuale moraliter perseverans, ratione maculae animae inhaerentis. — **Resol. 2.** Non obstat rectitudini definitionis quod non fiat mentio **voluntarii**, quod tamen est essentiale peccato : nam recte notat Bill.: « voluntarium *implicite* importari in hoc quod dicitur *contra legem ;* nemo enim proprie et formaliter agit contra legem, nisi per actum voluntarium et liberum. » — **Resol. 3.** Etsi communiter dicatur **peccatum veniale** non esse *contra legem* aeternam, sed *praeter* ipsam, comprehenditur tamen in definitione : quia, ut scite notat S. Thom. (ibid. ad 3). « *Lex aeterna primo et principaliter ordinat hominem ad finem, consequenter autem facit hominem bene se habere circa ea quae sunt ad finem ; et ideo in eo quod* [definitio] *dicit contra legem aeternam, tangit aversionem a fine et omnes alias inordinationes.* » Unde, licet peccatum veniale non avertat a fine ultimo, quia potest esse cum charitate, et ideo communiter dicitur non esse *contra* legem ; quoniam tamen, retento fine ultimo, deficit in his quae sunt ad finem, et ideo dicitur esse *praeter* legem ; patet peccatum veniale in definitione non fuisse praetermissum, cum verba « *contra legem* » tangant aversionem a fine et omnes alios defectus seu inordinationes, quae non sunt legi conformes.

Q. 2. An detur *peccatum* pure *philosophicum*, i. e repu-

gnans rectae rationi, sed non legi aeternae, — vel quia, qui peccat, Deum ignorat; — vel quia de Deo actu non cogitat?

R. *Negative.*

Explanatur. Ratio est : — tum 1°) quia quidquid est contra rectam rationem, est contra legem aeternam, cum recta ratio nihil aliud sit quam participatio legis aeternae in mente creata; — tum 2°) quia nemo, utens ratione, potest laborare ignorantia invincibili exsistentiae Dei, ut auctoris naturalis; — tum 3°) quia sequeretur, homines tanto magis esse excusabiles quanto flagitiosiores, cum hi minus actu de Deo cogitent. — Constat ex propositione damnata ab Alex. VIII sub n. 2 : « *Peccatum philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.*

Q. 3. *Quotuplex* distinguatur *peccatum?*

R. Ex S. Thom. 1. 2. q. 72, a. 2-8) *multiplex* distinguitur.

Explanatur. Distinguitur : — 1°) **Originale** et **personale.** — *Primum* definitur a Trid.: « *Adae peccatum, quod origine unum est et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium.* » Erat enim Adam, ut supra (p. 8 seq.) dictum fuit, a Deo constitutus caput nedum *naturale,* sed etiam *morale* omnium hominum qui seminali ratione erant ab ipso descensuri; adeoque eorum voluntates ex speciali decreto continebantur in voluntate Adami in ordine ad observantiam praecepti; et ita, Adamo peccante, omnes ordinaria via generationis ab ipso descendentes cum eo peccaverunt et maculam peccati in primo instanti suae conceptionis contrahunt, excepta immaculata semper virgine Maria, ex singulari Dei privilegio, ut modo definitum est ab Ecclesia. Cfr. Puig et Xarrié (III, 141). — *Secundum* est : quod quisque propria voluntate committit. — 2°) **Actuale** et **habituale,** prout est actus seu omissio legi difformis, — vel status peccati nondum deleti, seu macula remanens in anima ex peccato actuali non retractato. — 3°) **Formale** et **materiale,** prout est culpabilis — vel inculpabilis transgressio legis. — 4°) **Commissionis** vel **omissionis,** prout fit positione actus prohibiti, — aut omissione actus praecepti. — 5°) **Mortale** vel **veniale,** prout vel solvit

amicitiam divinam, — vel est levis tantum offensa quae veniam facile meretur. — 6°) **Carnale** et **spirituale**, prout in delectatione carnali, v. g. gula, — vel in delectatione spirituali seu mentis perficitur; — usus tamen obtinuit, ut sola luxuria dicatur peccatum carnale; — et spirituale, quod non habet pro objecto delectationem carnalem, etiamsi pertineat ad appetitum sensitivum : ut ira, invidia, superbia. — 7°) Peccatum **contra Deum**, vel **proximum**, vel **seipsum**, prout specialiter et immediate Deo repugnat, ut infidelitas, blasphemia, odium Dei, desperatio; — vel justitiae et caritati proximo debitae adversatur, ut homicidium, furtum; — vel specialiter est contra temperantiam et moderationem passionum, ut ebrietas. — 8°) Peccatum **cordis**, vel **oris**, vel **operis**, prout in corde, ut odium; — vel voce, ut mendacium; — vel opere externo, ut adulterium aut furtum, committitur. — 9°) Peccatum **per excessum** et peccatum **per defectum**, prout recedit a medio virtutis : — aut illud excedendo, ut prodigalitas; — aut ab eo deficiendo, ut avaritia. — 10°) Peccatum **infirmitatis**, vel **ignorantiae**, vel **malitiae**, prout ex gravi tentatione, — vel ex errore culpabili, — vel ex malitiosa determinatione voluntatis potius, quam ex tentatione aut errore procedit. — Ad peccatum malitiae pertinet peccatum quod specialiter dicitur **in Spiritum Sanctum**, et quo repelluntur aut impugnantur specialia gratiae dona, quae sunt effectus divini amoris qui Spiritui Sancto tribuitur. Numerantur autem septem : *desperatio, praesumptio, impoenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitae* et *invidentia fraternae gratiae*. — Praeterea, ratione peculiaris malitiae, passim a DD. distinguuntur peccata **in coelum clamantia**, quia vindictam divinam vehementissime provocant et poenas merentur gravissimas; sunt autem quatuor : *homicidium, sodomia, oppressio pauperum* et *defraudatio mercedis operariorum*. — 11°) **Capitale** vel **non capitale**, prout ita est peccatum, ut sit, — vel non sit radix aliorum peccatorum. *Capitalia* numerantur septem ex S. Thom. (1.2.q.84,a.4) post S. Greg., scilicet : *superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira* et *acedia*. Quorum litterae initiales exprimuntur hac voce barbara : Saligia. Opponuntur his septem virtutibus quae sunt : *humilitas, largitas, castitas, benignitas, temperantia, mansuetudo* et *devotio* seu *sedula pietas*. — 12°) Alia dicuntur peccata

propria, quae a nobis ipsis fiunt; — alia **aliena**, quae ab alio fiunt, sed nobis ratione jussionis, consilii vel conniventiae imputantur, juxta hoc disthicum :

> Jussio, Consilium, Consensus, palpo, recursus,
> Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Resolvitur 1. Ad veram propriamque intelligendam rationem peccati quod **origine** unum est et omnibus inest unicuique proprium propagatione transfusum, necessaria est relatio ad liberam voluntatem et actum capitis seu principii naturae, scilicet Adae, qui est auctor peccati naturae; ex qua relatione ad liberam Adae voluntatem refellitur haeresis quae verum docet esse peccatum licet omnino necessarium. — **Resol. 2.** Multum inter se differunt hi quatuor termini theologici : formale peccatum, materiale peccatum, formale peccati et materiale peccati. — **Formale peccatum** est trangressio legis culpabilis, adeoque ex voluntate deliberata, seu voluntaria et libera, v. g. esus voluntarius et liber carnium die jejunii contra prohibitionem Ecclesiae, estque peccatum proprie dictum. — **Materiale peccatum** est legis transgressio inculpabilis, adeoque non voluntaria nec libera, v. g. esus carnium die jejunii ex ignorantia invincibili, estque peccatum improprie dictum : quia non est offensa Dei. Nihil tamen ipsi deest ad peccatum proprie dictum, nisi voluntarium liberum respectu transgressionis. — **Materiale peccati** est ipse actus physicus vel omissio, qua voluntarie et libere legem transgredimur, v. g. ipse esus voluntarius contra prohibitionem Ecclesiae. — **Formale peccati** est ipsa inordinatio seu difformitas actus seu omissionis cum lege, sive est ipsa peccati malitia. Unde *materiale peccati* et *formale peccati* sunt veluti partes quae per modum materiae et formae constituunt *peccatum formale*. — In hoc autem differunt *materiale peccati* et *materiale peccatum*, quod materiale peccati inseparabiliter habeat annexam malitiam, cum fiat voluntarie et libere contra legem; *peccatum* vero *materiale*, utpote involuntaria legis transgressio, non habeat annexam malitiam, imo esse possit actus formaliter bonus et meritorius. Sic accessus Jacob ad Liam fuit *materiale peccatum* respectu Jacob; et *materiale peccati* respectu Liae. — **Resol. 3.** Ut patet ex definitione, peccatum **omissionis** est,

quo violatur praeceptum affirmativum, non faciendo seu omittendo quod praecipit. Unde clarum est, *formale* peccati *omissionis* consistere in privativo, cum nihil sit aliud quam omissio actus debiti. — Peccatum vero **commissionis** est, quo violatur praeceptum negativum, faciendo quod prohibet. De *formali* autem constitutivo peccati *commissionis*, utrum reponendum sit in solo *privativo*, i. e. in sola privatione conformitatis debitae cum lege aeterna, an vero in *positivo*, i. e. in tendentia positiva actus ad objectum dissonum legi naturae, inter DD. utrimque probabiliter disputatur.

Utraque sententia habet suos magni nominis defensores. — Pro *privativo* citantur ex *Thomistis* : Sylvius, Contenson, alii. — Pro *positivo*, praeter Capreolum, Serram, Gonet, alios, citantur : Card. Cajetanus et Franc. de Sylvestris Ferrariensis, uterque Ord. Praed., — duo illi *clarissimi* D. Thomae *interpretes, per quos, tamquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit*, ut totidem verbis declaravit SS. D. N. Leo PP. XIII (in suis litteris ad Em. Card. de Luca de Academia S. Thomae instituenda deque nova operum S. Doctoris editione curanda). — Circa eamdem celebrem quaestionem aliae etiam scholae pariter scinduntur in duas partes. — Utramque sententiam cum suis momentis et responsionibus adversae partis succincto ac claro modo expositam invenies apud Billuart, qui de caetero observat : non videri latum admodum discrimen inter has duas sententias, pro quibus tam diu et tam acriter hucusque dimicatum est, et vix non conciliantur; immo quaestionem esse **de nomine** tantum. — Et haec pauca suffecerit memorasse de quaestione quam, ut notat idem Billuart, olim despexit Apostolus Petrus. — Refertur enim in *Recognitionibus apostolicis* sub nomine S. Clementis, Simonem Magum in solemni disputatione habita Romae cum S. Petro, hunc interrogasse : « *Quid sit peccatum? Estne natura aliqua positiva, an vero solum privatio?* » Quam interrogationem despiciens Apostolus respondit : « *Non praecepit nobis Dominus requirere naturam peccati, sed docere quomodo fugiendum.* »

Q. 4. *Quaenam* requirantur ad peccatum *formale* constituendum?

R. *Tria* : — ex parte objecti, requiritur : 1°) *moralis*

malitia actionis seu omissionis, i. e. transgressio legis, ponendo actum prohibitum, vel omittendo praeceptum; — ex parte SUBJECTI, requiritur : 2°) tum *advertentia* mentis ad hanc malitiam, ita ut peccans sciat, — aut saltem practice dubitet, se legem transgredi; quare non sufficit advertentia *virtualis* seu *interpretativa*, in eo consistens, quod homo *debeat* et *possit* advertere; sed requiritur *actualis*, qua — vel hic et nunc, — vel in causa, saltem *in confuso*, ad peccatum advertat : non enim potest ab objecto refundi malitia in actum voluntatis, nisi ab intellectu proponatur, nec esse volita nisi praecognita; — 3°) tum *consensus* voluntatis, — directus — vel indirectus. — Hinc, si quis, etiam per longum tempus, sentiat inordinatam delectationem, sed non advertat ad ejus malitiam; — vel si, advertens ad eam, delectationem invitus habeat, non peccat formaliter.

Explanatur. Ut constat ex dictis, *formale peccatum* nihil aliud est : quam *actus humanus malus*, qui proinde debet esse *voluntarius* et *liber*, ita ut voluntas, praevia rationis advertentia seu intellectuali cognitione malitiae actus seu omissionis, illam pro libitu acceptet vel recuset. Unde patet, ad *formale peccatum*, praeter *objectivam* malitiam, requiri insuper malitiam *subjectivam*, ita ut agens adverterit ad malitiam objecti, in eamque consentiat. Stat itaque **tria** requiri : *moralem malitiam, advertentiam* et *consensum*. — Et quoniam voluntarium potest esse *directum* et *indirectum*, ideo non requiritur, ut advertentia et consensus habeantur semper *directe*, seu *in se*; sed sufficit, ut fiant *indirecte* seu *in causa*, saltem *in confuso* (pag. 14 seq.). — Non sufficit tamen, quod agens debuerit aut potuerit advertere, si de facto non adverterit, adeoque non sufficit advertentia *virtualis* seu *interpretativa*; sed requiritur *actualis*, ita ut malitiam actus seu omissionis agnoverit vel directe et in se, quando scilicet ponitur mala actio seu omissio; vel indirecte seu in causa, saltem in confuso, quando libere ponitur causa, ex qua postea mala actio seu omissio secuta est.

Resolvitur 1. Cum S. Lig. (H. A. tr. III, n. 35) dicendum est : « Opinio eorum qui dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores quos committit, etiamsi nulla unquam inter-

cesserit *actualis* advertentia, nec directa nec indirecta, in se vel in causa, saltem in confuso; sed tantum adfuerit advertentia interpretativa [seu *virtualis*], in hoc dumtaxat consistens quod ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere; haec opinio nullo modo sustineri potest; alias sequeretur, quod plurimi homines multis mortalibus culpis gravatos se invenirent, quin circa illas ullam cognitionem unquam habuerint. » — **Resol. 2.** Qui die jejunii de praecepto nihil cogitans, carnes comedit, non peccat, etsi advertat eas sibi delectabiles.— **Resol. 3.** Quae omnino inadvertenter fiunt ex prava consuetudine *efficaciter retractata*, v. g. blasphemiae, imprecationes, sequentes vi consuetudinis et quasi naturali impetu prorumpentes, ad peccatum formale amplius imputari nequeunt : quia non sunt voluntariae nec directe seu in se, nec indirecte seu in causa (pag. 44). E contra quae omnino inadvertenter fiunt ex prava consuetudine *non efficaciter retractata*, esto peccata in se dici nequeant, cum hic et nunc voluntaria non sint, sunt tamen imputanda ut voluntaria in causa. — Interim, ut recte notat Sass., « in excaecatis, obduratis, consuetudinariis *ordinarie* saltem adest advertentia, etiam ad mortale sufficiens, licet tenuis et quasi imperceptibilis, sicut pulsans organum advertit ad regulas, licet non ita perceptibiliter; non patiuntur quidem conscientiae remorsus, sed hoc non indicat inadvertentiam, sed contemptum. » — **Resol. 4.** Si ignorantia, culpabilis in principio, postea evadat invincibilis, quia nulla amplius de negligentia praeterita aut de actuali ignorantia suboritur cogitatio; actus malus, qui vi hujus ignorantiae ponitur, non est peccatum in se, sed tota ratio peccati a sola causa repetenda est, scilicet a gradu culpabilitatis illius ignorantiae cum praevisione, saltem in confuso, futurorum actuum.

Q. 5. *Quaenam* requirantur, ut peccatum *formale* sit *mortale?*

R. *Tria* requiruntur. — Ex parte OBJECTI : 1°) *gravitas materiae*, i. e. gravis transgressio legis, in re vel saltem ex falsa existimatione; — ex parte SUBJECTI : 2°) *perfecta* mentis advertentia ad malitiam gravem vel ejus periculum, sive directe et in se, sive indirecte seu in causa, saltem in confuso; —

3°) *perfectus voluntatis consensus* in illam, sive directus, sive indirectus. — Quod si aliquis dubitet, an perfecta animi deliberatione aliquid admiserit, id sequimur quod est verisimilius : adeoque in laxioris conscientiae viris eam non defuisse, *regulariter* tenendum est; contra vero defuisse in his qui Deum timent et mandata ejus observant, praesertim si scrupulis laborant.

Explanatur. Ratio 1^mi^ est : quia, ubi materia est ex omni parte levis, etiam levis est offensa. Ratio 2^di^ et 3^tii^ est : quia, spectata fragilitate humana et recta ratione, alienum est a bonitate divina hominem aeternis poenis addicere, qui sine perfecta advertentia et perfecto consensu aliquid mali fecit. — Habetur autem *perfecta advertentia* ad mortale sufficiens, quando homo mente expedita, seu plene sibi compos, adeoque vigil et sine perturbatione aut distractione gravem malitiam vel ejus periculum advertit, sive directe : quando hic et nunc ponitur transgressio; sive indirecte : quando ponitur causa ex qua transgressio sequi praevidetur, saltem in confuso. Similiter habetur *perfectus consensus*, quando actus voluntatis, malum amplectentis, sequitur perfectam intellectus advertentiam; sive directe malum hic et nunc amplectatur, sive indirecte, volendo aliquid aliud, in quo malum illud includitur.

Resolvitur 1. Ad *perfectam advertentiam* non requiritur *temporis diuturnitas;* neque *reflexio*, qua operans advertat se advertere; sed sufficit mente expedita malitiam *reipsa* cognoscere, etiam *implicite* et *exercite* tantum; et sic sacerdos, peccans contra castitatem, etiam reus est gravis sacrilegii : quia, esto *explicite* et *in actu signato* de gravi sacrilegio non cogitet, illud tamen advertit *implicite* seu *in actu exercito*, cum optime sciat, se esse et non alium, qui talia perpetrat. — **Resol. 2.** Hoc ipso advertitur malitia gravis, quod cognoscatur actio esse inductiva inimicitiae Dei seu poenae aeternae. — **Resol. 3.** Reus est gravis homicidii, qui plene sui compos vehementer percussit alium, praesertim telo adhibito, licet mortem inferre noluerit, quae tamen est secuta. Similiter plene consentire dicendus est in pollutionem, qui libenter immoratur in turpibus cogitationibus, quae plerumque eam inducunt; vel qui familiarius agit cum foeminis, ex quarum con-

sortio eam solet experiri, licet eam nolit sequi. — E contra homicidium ab ebrio patratum, qui antea mansuetis moribus erat, non habet malitiam alienae caedis, si ne periculum quidem tanti facinoris sese inebriaturus suspicari potuerit. — **Resol. 4.** Si quod mortale peccatum plene praevisum fuerit in causa, saltem in obscuro, et dein cum plena advertentia, actu a priori formaliter distincto, ponatur; duplex habebitur mortale : unum in causa voluntaria; secundum in se ipso.

Q. 6. *Qua culpa* peccet is, qui *facit* aliquid malum, *sciens* quidem malum esse, sed *ignorans*, gravene sit an leve?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Graviter* peccat, si **animadvertit,** saltem in confuso, periculum peccandi graviter; — animadvertere autem dicendus est, si — aut dubitat sitne mortale an veniale; — aut si conscientia ab ea re facienda multum refugit. — **Alias** *probabilius* est, eum peccare *leviter,* modo objectum non sit certe per se peccatum grave, et homo sit timoratae conscientiae. Cfr. S. Lig. (I, 23).

Q. 7. Utrum *peccet graviter*, qui *deliberat :* an velit in mortale consentire, si tandem non consentiat?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negative,* si deliberatio sit **imperfecta,** i. e. si non sit nisi quaedam haesitatio, vel omissio resistentiae ex torpore, pigritia, negligentia. Quo casu peccatum veniale non excedit. — *Affirmative,* si deliberatio sit **perfecta** : quia tunc appretiat peccatum cum Deo, haeretque, an Deo vel creaturae velit adhaerere; quae est gravis vilipensio Dei. — Est autem peccatum illius speciei de quo deliberat, ideoque licet postea non consentiat, debet confiteri se ita deliberasse. — Interim scrupulosi falso saepe putant se deliberasse. — Cfr. Sass.

Q. 8. *Quaenam* constituant peccatum *veniale?*

R. Vel *parvitas* materiae, — vel *imperfecta* advertentia, — vel *imperfectus* consensus.

Resolvitur 1. Quandonam **materia** in individuo sit *gravis,* an vero *parva,* non ita facile determinatur. Interim 1°) id colligi

debet non tantum ex respectu ad totum, sed et an in se, spectatis omnibus, sit aliquid notabile, seu parvum; et sic potest aliquid esse pars centesima totius et manere in se grave, ut patet in furto centum aureorum. Sumitur 2°) ex fine legis vel praecepti, an multum, an parum noceat aut ad illum conducat; in quo saepe plus valet communis sensus DD., quam ipsa ratio; spectata enim ratione sola, quis diceret parvulam horam, aut pauca verba in canone Missae omittere, esse peccatum mortale? — **Resol. 2.** Adest, regulariter loquendo, **imperfecta advertentia** in semisopitis, primo evigilantibus, consternatis, vehementi passione aut distractione turbatis, in semifatuis, semiebriis, pueris praesertim ante septennium, senibus repuerascentibus, in valde scrupulosis; et ideo qui recordatur se ante septennium commisisse actum graviter malum, potest in dubio resolvere, se non peccasse mortaliter. — **Resol. 3.** Signa **imperfecti consensus,** praeter dicta de imperfecta advertentia, ad quam nunquam sequitur plenus consensus, sunt : 1°) si statim post actum advertas te jam agnoscere malitiam, quam antea non ita advertisti; — 2°) si facile potueris exsequi peccatum et non feceris, nisi pudor aut timor incommodi vel infamiae te retraxerit; — 3°) si reflectens te super priorem actum sentias tristitiam, aversionem; si enim plene consensisses, non statim tam facile mutaretur animus; ideoque etiam — 4°) si firmum propositum habeas saepius renovatum non peccandi mortaliter : si enim aliquid odio habeatur, et dein plene ametur, facile advertitur. — Cfr. Sass.; Bill.

Q. 9. *Quoto modo* potest esse peccatum *mortale* et *veniale?*
R. Duplici : *per se*, seu *ex genere suo*, et *per accidens.*

Explanatur. Dicitur **per se** seu **ex genere suo,** quando tale est de sua natura : v. g. blasphemia, fornicatio, de sua natura sunt peccata mortalia, et quidem *ex toto genere suo*, quia non admittunt parvitatem materiae; mendacium vero jocosum de sua natura est veniale. — Quod autem dentur peccata ex *genere suo* seu ex natura sua, — alia quidem *venialia*, — alia vero *mortalia*, constat ex propositione Baji, damnata a Pio V et Greg. XIII sub n. 20 : « *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur mortem aeternam.* Dicitur **per accidens,** quando tale non est de sua natura, sed tale fit ex aliqua circumstantia.

Q. 10. Quomodo dignoscatur, quaenam peccata *ex genere suo* sint *mortalia*, quaenam vero *venialia?*

R. Dignoscitur ex Scriptura sacra,—vel ex Traditione,—vel ex Doctorum unanimi consensu.— Non est autem adstruendum mortale, nisi de eo constet.— Recole dicta (pag. 80).

Resolvitur 1. Uti *mortalia* judicanda sunt, quae in Scripturis gravibus afficiuntur appellationibus, ut si dicantur excludere a regno Dei, esse abominabilia, detestanda, exsecranda, Deo exosa, clamare in coelum, morte digna, aliquam gravem maledictionem adjunctam habent, aut quibus additur verbum *vae*. Exempla habes: Levit. XXIV; — Prov. VI; — Isa. V; — Rom. I; — 1 Cor. VI; — Gal. V; — Ephes. V et alibi. — E contra *venialia* reputantur, quae remissioribus efferuntur terminis, v. g. nomine festucae, stipulae, foeni, etc., vel leviori correptione perstringuntur, ut apud Prov. X; Matth. XII. — **Resol. 2.** Reputanda sunt *mortalia*, quae ut talia declarantur in decretis RR. Pontificum et CC. generalium. De gravitate quoque peccatorum testes sunt SS. Patres. At interim sedulo attendendum est, quisnam fuerit eorum loquendi modus, et quaenam antiquorum temporum disciplina. Sic quandoque paulo durius de secundis et ulterioribus nuptiis loquuti sunt antiqui, et pro minori peccato gravior quandoque imponebatur poenitentia, ut patet ex Canonibus poenitentialibus. — **Resol. 3.** In re *gravi* definienda, ubi unanimis reperitur Theologorum consensus, ab eo tunc recedere, plus quam temeritas est.

Q. 11. *Quibus ex causis* peccatum mortale *per se* seu *ex genere suo* transeat ad veniale *per accidens?*

R. *Tres* causae assignantur ex quibus id fieri possit.

Explanatur. 1°) Ex **conscientia erronea,** dum quis bona fide, i. e. ex errore invincibili, putat esse veniale, quod est mortale. **2°)** Ex **imperfectione actus,** si vel desit perfecta advertentia malitiae gravis, vel plenus consensus, et adsit advertentia imperfecta vel consensus semiplenus, et hoc in quacumque materia, lege vel praecepto. **3°)** Ex **parvitate materiae,** si haec secundum se, et consideratis circumstantiis et fine, sit ac maneat levis.

Q. 12. In quibusnam *mortalibus* dari non possit *materiae*

parvitas, seu quae peccata sint *ex toto genere suo* mortalia?

R. Mortalia *ex toto genere suo*, seu quorum materia, quaecumque ea demum sit, gravem continet deordinationem, sunt haec *tria* sequentia.

Explanatur. 1° Quae **directe** fiunt contra Deum vel aliquam ejus perfectionem, ut puta, peccata contra virtutes theologicas, blasphemia formalis, perjurium assertorium, simonia de jure divino, magia, alia. — **2°** Quae sunt circa rem gravem consistentem quasi **in indivisibili**, ut homicidium, simulatio sacramenti, fractio jejunii naturalis. — **3°** Quae in gravissimum generis humani **praejudicium** cederent, si parvitatem admitterent, ut fractio sigilli sacramentalis, quae odiosum redderet sacramentum adeo necessarium; pollutio et quaelibet delectatio venerea *directe* intenta vel deliberate quaesita aut admissa extra matrimonium; si enim vel minima voluptas venerea esset tantum venialis, jam ex vehementia passionis ad illam et exigua aversione a peccato veniali sequeretur corruptio naturae in gravissimum praejudicium generis humani: plerique enim contenti hac delectatione nollent onera matrimonii. Deinde, quaevis etiam minima delectatio et commotio venerea quaesita vel deliberate admissa ex se tendit in majorem ita delectabiliter, ut secum adferat periculum consensus in illam et majorem; nec potest quis hic dicere: volo hic sistere, nolo ulterius progredi, sicut potest in aliis, v. g. in furto. — Dixi: *directe* intenta; quia si tantum sit voluntaria *indirecte*, datur parvitas materiae. Cfr. Q. 67.

Q. 13. *Quibus ex causis* peccatum veniale *per se* seu *ex genere suo* possit esse mortale *per accidens?*

R. *Sextuplici* potissimum de causa id fieri potest.

Explanatur. 1° Ex **dictamine conscientiae erroneae**, si, quod facis, dubites aut judices esse mortale, cum sit veniale vel nullum. — **2°** Ex **contemptu explicito et formali**, i. e. cum quis praeceptum violat quia praeceptum est, sive, ut ait S. Thom. (2.2.q.186, a.9 ad 3): « *quando voluntas renuit subjici ordinationi legis vel regulae.* » Non item si legislatorem contemnat qua privatus homo est: v. g. propter ejus inscitiam, imperitiam. Eoque minus peccare ex contemptu dicendus est is, qui in eadem re saepius pec-

cat. — 3°) Si **ex peccato levi sequi possit aliquid grave,** ut puta *grave damnum* proximi seu spirituale seu temporale, vel si exinde quis seipsum conjiciat in *periculum proximum* peccandi graviter : v. g. si praevideas te per peccatum veniale praebiturum alteri occasionem gravis ruinae spiritualis ; si ex nimia loquacitate praevideas graves rixas, aut ex modico furto gravissimas suspiciones ; si jocando cum puella exponas te periculo proximo peccati gravis, quia per experientiam nosti frequenter id contigisse. — 4°) Ratione **finis adjuncti,** i. e. *finis operantis* seu *intentionis* mortaliter peccaminosae, v. g. si quis dicat puellae verbum leviter inhonestum animo ad turpia eam trahendi. — 5°) Ratione **finis ultimi,** cum nempe ita animo comparatus est, ut velit potius peccare mortaliter quam re venialiter mala aut etiam indifferenti abstinere, v. g. die festo Sacrum potius quam ludum omittere. — 6°) Ratione **multiplicationis materiae.** Quamvis enim certum sit peccata venialia, quantumvis multiplicata, per se non posse constituere unum peccatum mortale ; attamen multiplicatio materiae efficere potest, ut materia, quae ex se levis esset, fiat gravis propter unionem cum aliis materiis : sive unio fiat ex *praevia intentione* agentis, qui per minuta intendit gravia paulatim obtinere, sive fiat *ex se* et absque illa intentione. Istud autem contingit non solum in materia furti, sed etiam in multis aliis : sic v. g. qui plures psalmos repetitis vicibus omittit in eodem officio unius diei ; qui eadem die jejunii saepius parum comedit ; qui eodem die festo saepius laborat ; hi omnes possunt peccare mortaliter.

Q. 14. An adesse censeatur *periculum proximum* peccandi graviter in eo, qui proponit committere *omnia peccata venialia* et *sola mortalia* vitare?

R. *Negative* per se ; sed tale periculum est tantum *remotum,* quod proin non sub mortali vitandum est.

Explanatur. Ita *probabilius,* juxta satis communem Theologorum sententiam. — Dicitur : *per se,* i. e. secluso peculiari fragilitate. — Attamen venialia ad mortale **disponunt,** juxta illud (Eccli. XIX,1) : « *Qui spernit modica, paulatim decidet* » : — 1°) quia minuunt fervorem charitatis ; — 2°) impediunt, si sint deliberata, gratias actuales ; — 3°) diminuunt timorem Dei et teneritudinem

conscientiae; — 4°) reddunt voluntatem proclivem ad peccata graviora, maxime si veniale et mortale tendant ad idem objectum; sic furunculi brevi evadunt fures. — Cfr. S. Lig. (IV, 12).

Q. 15. *An* et *qua* ratione unum *mortale* est alio *gravius?*
R. *Affirmative*, et quidem ex *triplici* ratione.

Explanatur. 1°) Ex **virtute** quae laeditur : quo enim praestantior est, eo peccatum est gravius, et ideo v. g. furto sacrilegium, sacrilegio haeresis est gravior; — **2°)** ex **objecto** peccati : quo enim magis peccatum a recta ratione et a natura hominis abhorret, eo turpius dicitur; hinc fornicatione pollutio, homicidio sodomia foedior est; — **3°)** ex **voluntatis actu** : quare illius culpa est gravior qui perfectiori utitur voluntario; inde peccata *ignorantiae, infirmitatis* et *malitiae.*

Q. 16. Utrum peccati gravitatem *circumstantiae* interdum *minuant*, interdum *aggravent?*
R. *Affirmative* idque — vel *simpliciter* (notabiliter seu leviter),—vel *in infinitum*, juxta dicta superius (pag. 56 seq.).
Q. 17. In quo *conveniant* et *disconveniant* peccatum *mortale* et *veniale?*
R. In hoc *conveniunt* : quod ambo sunt mala, — ambo offensa Dei,—ambo merentur poenam; in hoc *disconveniunt:* quod peccatum *mortale* est gravis offensa Dei, quia avertit a Deo fine ultimo et constituit finem ultimum in creatura; — privat animam gratia sanctificante — et meretur poenam aeternam;—*veniale* est levis offensa Dei, quia servato ordine ultimi finis facit inordinationem circa media; — minuit tantum gratiam,—et meretur poenam temporalem, in hoc saeculo vel in futuro, nempe in Purgatorio, subeundam.

CAP. II. — De causis et effectibus peccatorum.

Q. 18. An *Deus* possit esse *auctor* peccati?

Praenotandum. Sensus **quaesiti** est : an Deus sit causa illius inordinationis, quae reperitur in actione, quae peccatum est et nuncupatur; sicut dum quaeritur, quis sit auctor vel causa sta-

tuae, non quaeritur, quis sit causa ligni seu aeris, sed quis sit causa illius formae seu dispositionis ob quam lignum seu aes dicatur statua. Seu, aliis verbis, sensus **quaesiti** est : An Deus sit causa peccati secundum suum esse *formale*, seu secundum suam malitiam moralem spectati. Et quidem, teste VINCENT. LIRIN. (l. cont. haer. c. 34), Deum esse auctorem peccati, primus omnium dogmatizavit SIMON MAGUS, quem secuti sunt MARCIONITAE apud S. IREN. (l. 4, c. 45 et 47) et LUCIFERIANI apud S. TH. (l. 1, cont. Gent. c. 96), et postea LUTHERUS, CALVINUS et alii ejusdem furfuris haeretici.

R. *Negative*, — « siquidem peccatum illi adversatur; et hoc, quod est de fide, definitum est contra veteres et novos haereticos, tum in multis Conciliis, tum maxime in Conc. TRID. (sess. 6, can. 6), quo impius CALVINUS anathemate percellitur eo quod dixerit : *mala opera ita, ut bona, Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli.* » Ita CATECH. AD ORDIN.

Resolvitur. Licet **formale** peccati, seu actus peccati *formaliter* consideratus, i. e. secundum eam rationem qua est peccatum, seu secundum ipsam inordinationem actus, nullo modo possit esse a Deo; dicendum tamen est : **materiale** peccati, seu actum peccati *materialiter* consideratum, i. e. secundum suam substantiam seu entitatem physicam, esse proprie et per se ab ipso Deo. Quia, ut docet S. THOM. (1. 2. q. 79, a. 2) : « *Actus* PECCATI [materialiter consideratus] *et est* ENS, *et est* ACTUS, *et ex utroque habet quod sit a Deo. Omne enim* ENS, *quocumque modo sit, oportet, quod derivetur a primo ente... Omnis autem* ACTIO *causatur ab aliquo exsistente in actu : quia nihil agit nisi secundum quod est actu. Omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. Unde relinquitur, quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum est actio.* » In quam sententiam adeo firmus est S. THOM., ut (in 2 sent. dist. 37, q. 2, a. 2) de opinione aliter censentium dicat errori esse propinquissimam. — Nec **Objicias** : Qui est causa alicujus rei, est etiam causa ejus quod tali rei inseparabiliter conjungitur; sicut ignis, qui est causa calefactionis aquae, etiam est causa privationis frigoris in ipsa. Ergo,

si Deus est causa actus peccati, erit etiam causa malitiae et inordinationis, quae inseparabiliter isti actui conjungitur. — **Resp.** Antecedens non esse universaliter verum : ut enim S. Thom. (in 2 sent. loc. cit. ad 5 scribit : « *Etsi in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum : sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam ejus, et non quantum ad defectum caecitatis.* » Similiter virtus motiva est causa totius motus, qui est in claudicatione, quamvis non sit causa defectus, qui naturaliter est inseparabilis in habente crus vel tibiam curvam. — Itaque antecedens est dumtaxat verum, quando inseparabilitas consurgit ex natura et essentia actus in se, seu secundum se considerati, et non specialiter ex relatione ad aliquod principium exiens ordinem causae primae ; sic enim ignis calefaciendo aquam, simul est causa privationis frigoris, quoniam ista privatio inseparabiliter conjuncta est calefactioni, ex ipsa calefactionis natura, secundum se considerata ; si autem calefactioni conjungeretur aliqua alia privatio proveniens ab alio, quam ab igne, hujus privationis causa non in ignem esset referenda, sed in illam aliam causam quae hanc induceret privationem. A pari, malitia et deformitas peccati non est inseparabiliter conjuncta actui peccati, ex natura vel essentia actus secundum se, sive secundum substantiam spectati ; sed solum prout procedit a principio exeunte ordinem primae causae, scilicet, ut habet S. Thom. 1.2.q.79,a.2) « *libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei.* » —Cfr. Pulg.

Q. 19. Quaenam sit *immediata* causa peccati?

R. Voluntas creata, deficiens a sua regula in operationibus liberis, juxta illud Aug. dictum : « *voluntas est, qua peccatur et recte vivitur.* » — In eamdem doctrinam conspirat S. Thom. (1. 2. q. 75, a. 2). Et patet : quia sola voluntas creata est proprium principium libertatis cum defectibilitate ; cui proinde imputatur defectus, si quis contra legem seu regulam in opere vel omissione reperiatur.

Q. 20. *Quot* sint causae *mediatae* ad peccatum allicientes?

R. *Duplicis* sunt generis : aliae *extrinsecae*, quae extra naturam humanam sunt ; aliae *intrinsecae*, ipsi inhaerentes.

Q. 21. *Quotuplex* sit causa peccati *extrinseca* occasionalis?
R. *Duplex.*

Explanatur. Scilicet : 1°) **diabolus,** ut patet ex historia Evae et Jobi; unde illud (1 Petr.V, 8) : « *Sobrii estote et vigilate : quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.* »—Est autem diabolus causa peccati ex S.Thom. (1.2.q.80, a.1) per modum *persuadentis* et *proponentis appetibile.* — 2°) **Mundus,** quo nomine intelliguntur perversi homines, qui se invicem et justos ad malum, tum verbo et exemplo, tum vi et metu trahere conantur.

Q. 22. *Quotuplex* sit causa peccati *intrinseca* occasionalis?
R. *Duplex.*

Explanatur. 1°) **Ignorantia,** i. e. inconsideratio circa motiva quae possent hominem a peccato avertere et inclinare ad bonum, nempe : circa immensam Dei potestatem et majestatem, infinitam ejusdem bonitatem et misericordiam, turpitudinem peccati et virtutis excellentiam, praemia quae pios, poenas quae peccatores manent, sive in hac vita, sive in futura, etc. Unde illud (Jerem. XII,11) : « *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* » 2°) **Concupiscentia,** quae triplex est : A) *carnis,* seu inordinatus appetitus rerum, quae carnem delectant ; B) *oculorum,* quae est tum *curiositas* qua concupiscitur quidquid aspectu delectabile est, tum cupiditas stricte dicta seu *avaritia* qua opes et aliae res exteriores appetuntur ; C) *superbia vitae,* quae est honoris et propriae excellentiae inordinatus appetitus.

Q. 23. *Quot* et *quinam* sint *effectus* peccati?
R. Omne peccatum *duos* effectus habet : *maculam* scilicet et *reatum poenae.*

Explanatur. Ex Catech. ad Ord. « **Macula** est *privatio nitoris animae, proveniens ex ejus adhaesione ad res terrenas.* Illa autem macula in peccato *mortali* est privatio totalis nitoris animae, i. e. privatio charitatis, gratiae, virtutum et donorum supernaturalium, simul et divitiarum animae, meritorum scilicet et bonorum operum, quorum Deus nullam habet rationem, quamdiu pec-

cator in peccato permanserit; at macula peccati *venialis* non est privatio totalis nitoris animae : non enim privat animam charitate, gratia, virtutibus, donis et meritis. Observa maculam peccati, etiam actu peccati cessante, tamdiu remanere in anima, quamdiu poenitentiae virtute non abstergitur, et dici peccatum *habituale*, eo quod tamdiu perseveret, quamdiu non retractatur per poenitentiam. — **Reatus poenae** est *obligatio et debitum poenae propter peccatum admissum luendae*. Poena vero debita peccato *mortali* [personali] est poena damni, quae in privatione possessionis Dei consistit, et poena sensus, quae in tormentis ab igne inflictis ceterisque cruciatibus consistit; at poena debita peccato *veniali* est poena temporalis quae ad tempus luenda est in hac vel altera vita, nempe in Purgatorio, in quo puniuntur animae ad tempus : et privatione visionis beatificae seu potius illius dilatione, et poena sensus seu ignis. »

Q. 24. *Quaenam* sint *poenae* peccati *originalis?*
R. Aliae *praesentem*, aliae *futuram* vitam respiciunt.

Explanatur. 1°) In **praesenti** vita poena peccati originalis et *corpus* et *animam* afficiunt. Docet enim Trid. (sess. V, can. 1) « *totum Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse.* » — Et quidem ex parte *corporis* sunt aerumnae, morbi et ipsa mors. — Ex parte vero *animae* sunt quatuor vulnera, scilicet : — *ignorantia* in intellectu, illum reddens erroribus obnoxium; — *malitia* in voluntate, seu pronitas ad malum; — *concupiscentia* in appetitu concupiscibili, quem in persequendis bonis sensibilibus contra ordinem rationis reddit proclivem; — *infirmitas* in appetitu irascibili, quem in arduis superandis et vitandis debilem reddit. — **2°)** In **altera** vita, ut habet Innoc. III : « *poena peccati originalis est carentia visionis Dei; actualis vero peccati* insuper *est gehennae perpetuae cruciatus.* » — Quod si aliqui Patres docuisse videantur poenam peccati originalis esse gehennae perpetuae cruciatum, cum S. Thom. (q. 5 de malo, art. 2) : « *Dicendum, quod nomen tormenti, supplicii, gehennae, et cruciatus, et si quid simile in dictis Sanctorum invenitur, est* large *accipiendum pro poena, ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detesta-*

bilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum esse peccatum, nec eis aliquam poenam deberi. »

Q. 25. Utrum unum peccatum possit esse *poena* alterius?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negative* **per se,** quandoquidem peccatum a libera hominis voluntate proficiscitur. *Affirmative* **per accidens,** quatenus Deus in poenam peccati subtrahit auxilia, quibus homo destitutus, in alia peccata voluntarie labitur. Hinc dicitur de gentilibus (Rom. 1, 24), quod in poenam superbiae « *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam ;* » et ita pariter peccata venialia ad mortalia disponunt, juxta illud (Eccl. XIX, 1) : « *qui spernit modica, paulatim decidet.* » Cfr. S. Thom. (1. 2. q. 87, a. 2).

CAP. III. De Distinctione specifica et numerica peccat..

Q. 26. *Undenam* sumatur distinctio *specifica* peccatorum?
R. Sumitur : — 1°) ex diversis virtutibus quibus peccata opponuntur; hinc *haeresis, fornicatio, furtum,* sunt peccata specie diversa, quia opponuntur virtutibus specie diversis, i. e. *fidei, castitati, justitiae;*— 2°) ex modo quo uni eidemque virtuti opponuntur : — seu *contrario,* ut *spei* opponuntur *praesumptio* et *desperatio ;* — seu *diverso,* ut *justitiae* opponuntur *homicidium, adulterium, detractio, furtum.*

Explanatur. Uti patet, allata sententia, quae communior in scholis evasit, cum Scoto (in 4. dist. 35. q. 2) speciem peccatorum repetit a **virtute** quae laeditur : quia, aiunt, formale peccati consistit in privatione virtutis. Sed praeter hanc sententiam, datur et alia, quae cum S.Thom.(1. 2.q.72,a.1) speciem peccatorum desumit ex **objecto** moraliter considerato : quia peccatum est actus humanus; actus autem humanus ex objecto speciem capit. — Verum utraque sententia in idem recidit : quia et virtutes et vitia distinguuntur ex objectis. Quod et ipse fatetur S. Thom. (ibid. ad 2) inquiens : « *Peccata magis distinguuntur specie secundum objecta, quam secundum opposita ; quamvis, etiamsi distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret : virtutes enim distinguun-*

tur specie secundum objecta. » Et revera, dicere v. g. quod furtum propriam speciem desumit ex eo quod pro objecto habeat bonum alienum injuste ablatum, vel ex eo quod opponatur virtuti justitiae, plane eodem recidit. — Porro ratio 1^ae allatae regulae est : quia quaelibet virtus habet specialem et distinctam bonitatem sive conformitatem ad regulas morum, proinde peccatum illi oppositum specialem difformitatem vel malitiam. Ratio 2^ae regulae est : quia, dum agitur contra eamdem virtutem modo — sive contrario, i. e. per defectum vel excessum, — sive diverso, i. e. laedendo ejusdem virtutis bona seu officia specifice diversa, eo ipso agitur contra diversas ejusdem virtutis honestates, sicque contrahuntur diversae turpitudines : oppositorum enim est par ratio.

Resolvitur 1. In uno atque eodem actu reperiri possunt plura peccata specifice distincta, quia unus idemque actus complecti potest oppositionem ad diversas virtutes, ut si ligatus voto castitatis carnaliter peccet cum consanguinea conjugata : quia violat castitatem, religionem, pietatem et justitiam. — **Resol. 2.** Specie differunt avaritia et prodigalitas, quae eidem virtuti liberalitati opponuntur, sed contrario modo : haec quidem per excessum, illa vero per defectum. — **Resol. 3.** Specie differunt furtum, rapina, detractio, contumelia, homicidium ; quia licet eidem virtuti justitiae opponantur per defectum, illi tamen repugnant diverso modo seu sub diversa ratione, quatenus hujus virtutis bona specifice diversa laedunt : furtum scilicet bona fortunae, rapina bonum seu inviolabilitatem personae, detractio bonum famae, contumelia bonum honoris, homicidium bonum vitae. — **Resol. 4.** Specie differunt pleraque peccata commissionis et omissionis contra eamdem virtutem, v. g. haeresis et omissio actus fidei, desperatio et omissio actus spei, odium Dei et omissio actus charitatis ; reperitur enim in iis turpitudo diversae rationis, quia laedunt diversa ejusdem virtutis officia. — Dixi : *pleraque,* quia furtum et omissio restitutionis est ejusdem speciei : est enim eadem ratio, scilicet violatio juris alieni in bonis fortunae. — **Resol. 5.** Qui votum et juramentum de eadem re factum violat, committit duplex specie sacrilegium virtuti religionis diverso modo oppositum : est enim obligatio voti, ut servetur fides Deo data ; juramenti, ne Deus in testem vel potius sponsorem falsi adducatur. — **Resol. 6.** Qui dissentit

variis fidei articulis unum specie committit peccatum, quia eidem virtuti fidei eodem modo oppositum, quatenus scilicet haec obligat ad submittendum intellectum auctoritati divinae sufficienter propositae, ideoque non tenetur in confessione exprimere articulos, quibus dissentit.

Q. 27. *Quot* peccata *specie diversa* committat is, qui id facit vel omittit, quod *pluribus legibus* vetatur vel praecipitur?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si unaquaeque lex id vetat aut jubet **ejusdem virtutis** intuitu, unum dumtaxat peccatum erit; **secus,** quot sunt virtutes, quarum intuitu id praecipitur aut vetatur, tot erunt peccata. — Aliis verbis: unum dumtaxat erit peccatum, si plures istae leges sint diversae **materialiter** tantum, i. e. secundum entitates suas physicas, quatenus scilicet habent diversos legislatores. Contra tot sunt peccata specie distincta, quot violantur leges vel praecepta **formaliter** diversa: quatenus scilicet versantur vel circa materias specifice diversas, vel circa eamdem materiam, sed sub diverso motivo distinctarum virtutum.

Resolvitur 1. Hinc qui rem non sacram furatur, unius *furti* reus erit: licet furari vetent lex naturalis, divina, canonica, civilis, quippe omnes id vetant propter justitiam; — at qui furatur rem sacram, reus est et *furti* et *sacrilegii*, quia furtum hujusmodi prohibetur jure naturali et civili intuitu *justitiae;* divino et canonico *religionis* intuitu. — **Resol. 2.** Qui omittit Sacrum die dominica, in quam festum de praecepto incidit, aut qui violat jejunium vigiliae vel quatuor temporum in quadragesima incidentium, unicum dumtaxat peccatum committit, quia praecepta in casu non sunt formaliter diversa: nam tam dies dominici, quam festi, praecipue ordinati sunt ad exhibendum Deo cultum; et tam jejunium quatuor temporum, quam quadragesimale, praeceptum est ex eodem motivo proximo macerationis carnis. — E contrario, si jejunium ab Ecclesia praeceptum simul praecipiatur a superiore ex obedientia, a confessario imponatur pro poenitentia et insuper illud quis voverit, sunt quatuor quasi leges formaliter distinctae; prima Ecclesiae ex motivo temperantiae; secunda superioris ex motivo obedientiae; tertia confessarii ex motivo virtutis poenitentiae in

satisfactionem pro peccatis, quarta voti ex motivo religionis; et ideo qui illud violat per actum physice unum committit quatuor peccata specie distincta in confessione explicanda. — **Resol. 3.** Specie differunt violatio jejunii per esum carnis et per duplicem refectionem in cibis licitis : quia licet haec duo unico materiali praecepto prohibeantur, praeceptum tamen est virtualiter duplex, quatenus unum qualitatem, alterum quantitatem praescribit. Quod patet in praecepto *non mocchaberis*, sub quo plura continentur specie distincta. — **Resol. 4.** Omissio officii canonici et auditionis missae in die festo de praecepto duplex est specie distinctum peccatum : quamvis enim duarum legum idem sit motivum, nempe cultus divinus, materiae tamen sunt diversae.

Q. 28. *Unde* desumatur distinctio *numerica* peccatorum?

R. Juxta omnes, desumitur : — 1°) *ex pluralitate actuum moraliter interruptorum*; — juxta communiorem sententiam, desumitur : — 2°) *ex pluralitate objectorum totalium moraliter non unitorum*. — Hinc duae *regulae* : — 1°) tot sunt peccata solo numero distincta, quot sunt actus mali in eadem specie moraliter interrupti; — 2°) tot sunt peccata solo numero distincta, quot sunt in uno actu objecta totalia moraliter non unita. Ceterum, ut optime pro more suo notat Sass. « *pro praxi hic advertat confessarius, ne in exigendo numero peccatorum nimium cruciet se et poenitentes, reddendo illis sacramentum odiosum. Plurima sunt tribuenda judicio naturali confessarii et usui fidelium magis, quam scrupulosae Theologorum speculationi.* »

Explanatur. Ratio **1ae regulae** est : quia voluntas est principium actuum moralium, nec ullum est peccatum, nisi in quantum a voluntate deliberate procedit; ergo peccatorum numerus multiplicatur ex voluntatis actibus moraliter interruptis. — Ratio **2ae regulae** est : idem actus malus tendens in plura objecta specie morali distincta contrahit plures malitias specie diversas, ut dictum fuit (pag. 205); ergo idem actus tendens ad plura numero objecta moraliter non unita contrahit plures numero malitias : malitia enim peccati sumitur ex ordine ad objectum, ut est difforme legi vel rectae rationi. Porro illa objecta dicuntur *totalia* seu nu-

mero distincta *et moraliter non unita*, quae nec ex natura sua, nec ex communi hominum usu, aut prudentium judicio, ordinantur ad eumdem actum integrandum seu idem peccatum complendum.

Q. 29. *Quandonam* actus dicantur *moraliter interrupti?*
R. *Sub distinctione* inter actus *externos* et *internos*.

Explanatur. 1°, Si agatur de actibus **externis**, hi moraliter interrumpuntur, *quando non subordinantur ad invicem*, et ideo simul sumpti unum totum morale non constituunt. — Hinc pluries peccat, qui pluries furatur partes e cumulo sine intentione totum cumulum auferendi, aut saltem summam determinatam; — item qui cum eadem pluries successive fornicatur, aut tactus impudicos habet sine intentione copulae. — E contra unicum facit peccatum, qui summam determinatam furari intendens, furtis minutis id facit; — aut qui ex eodem impetu mulierem pluries, vel ante et post copulam, turpiter tangit; inimicum pluribus ictibus caedit; pluries blasphemat; injuriis aliquem afficit. — In prioribus enim casibus actus non subordinantur ad invicem, ut faciant unum actum *moralem* completum; secus in posterioribus. — **2°**, Si vero agatur de actibus **internis**, isti interrumpuntur : A) *per retractationem prioris voluntatis :* hinc committit duo peccata numero distincta, qui pravam voluntatem furandi retractat, eamque, licet post brevissimum tempus, iterum resumit; — B) *per liberam cessationem ab actu :* hinc, si quis morose delectetur et illam delectationem voluntarie deserat, se ad alia divertendo, si iterum, licet post brevissimum tempus, ad priorem delectationem se convertat, duplex numero peccatum committit. — Utrum vero C) *per cessationem etiam involuntariam*, v. g. per somnum aut per distractiones, interrumpantur, non ita certo constat. — *Subdistinctione* opus est, et videndum an agatur de actibus **mere internis**, an vero de actibus **internis**, qui petunt **exterius** consummari. Itaque :

a) Quoad actus **mere internos**, i. e. qui ad actiones externas non tendunt, sed in sola mala voluntate consummantur, ut sunt haeresis, odium, invidia, delectatio morosa, etc., sententia communior est, eos moraliter interrumpi per cessationem *involuntariam*, quantumvis brevem : quia nihil habent vi cujus virtualiter perseverent. — Et hinc poenitens debet in confessione exprimere, si

possit, quot vicibus internae tentationi adhaeserit; quod si nequeat, dicat circiter, vel saltem an valde frequenter, decurrente die, consensum dederit. — Excipe, si omnes hujusmodi actus ex uno eodemque passionis impetu eruperint; quo casu unum peccatum mortale constituunt, etsi aliquod breve intervallum actibus intercedat. — *b)* Quoad actus vero **internos**, sed qui *jungunter cum proposito actionem externam ponendi*, seu qui petunt **exterius** consummari, ut puta propositum fornicandi, occidendi, furandi, hi probabilius per *involuntariam* cessationem tunc tantum censentur interrumpi, quando inter ipsos intercedit tempus *diuturnum*, i. e. juxta S. Lig. V, 39-40, ordinarie loquendo, intervallum quod *superet spatium duarum vel trium dierum*, quoniam existimat, concupiscentiae sive passionis vehementiam, regulariter loquendo, difficulter ultra duos aut tres dies posse persistere; — nisi efficacitas primi propositi influat in actus sequentes voluntatis, ita ut vi illius ponantur: « *Hinc*, ait, *qui perseverat in mala voluntate* ULTRA DUOS VEL TRES DIES, *explicare debet tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa.* » E contra, « *si quis* PROPONAT *occidere hominem, et idcirco arma praeparet, viam arripiat et inimicum occidat, unum peccatum committit, licet per* MULTAS DIES *quaesierit et pluries voluntatem repetierit.* » Similiter, si quis statuerit non restituere rem alienam, probabilior est sententia, « *eum unum peccatum committere, licet* PER ANNUM ET AMPLIUS *in eadem voluntate non restituendi perseveret. Ratio : quia tale peccatum, quamvis physice interrumpatur, moraliter tamen non censetur interruptum, quoties non retractetur mala voluntas, quae virtualiter semper permanet in affectu retentionis.* » S. Lig. (III, n. 683 et VI, 40). « *Ita etiam fur unum peccatum committit, si ipse semper perseverat* LICET DICTUS *in sibi proposita a principio voluntate furandi.* » S. Lig. *(Hom. Apost.)*.

Q. 30. Utrum *unum* vel *plura* peccata dicenda sint, quando *objecta* materialiter et physice *numero distincta* ad unum actum referuntur?

R. *Distinguendum* est iterum inter actus INTERNOS et EXTERNOS.

Explanatur. 1°) Si agatur de **internis**, *subdistinguendum*

est inter *simplicem affectum* seu complacentiam, et *propositum* seu desiderium. — In *priori* casu, ut si quis una simul morose delectetur de pluribus foeminis, unica juxta plures DD. adest numero malitia : cum voluntas plura illa objecta respiciat per modum unius, i. e. tamquam merae complacentiae objectum. — In *posteriori*, videndum an plura illa objecta *unico* vel *pluribus* actibus externis attingenda sint. — A) Si hoc *posterius*, ut si quis propositum habeat ad plures mulieres, aut pluries ad eamdem accedendi, aut triduo jejunium seu horas canonicas omittendi, plura sunt peccata : quia, cum actus externi tot peccata constituant, illos volendo singillatim, tot peccata committit. — B) Si vero illud *prius*, ut si quis proponit actum, qui in plurium scandalum cedat, idem dicendum erit ac de unico actu externo plura objecta attingente. Itaque : — **2°** Si agatur de **actu externo** plura objecta attingente, ut si quis uno ictu tres occidit, unica actione pluribus dedit grave scandalum, *duplex* datur sententia. — A) Prima cum Suar., De Lugo, statuit *unum* peccatum esse. — B) Secunda, quae est communior, *quot* sunt objecta totalia, *moraliter non unita*, seu numero distincta *formaliter*. — Juxta hanc sententiam, quae est S. Lig. (V, 45) plura committit numero peccata, qui unico actu sclopeti plures homines occidit, unico sermone plures diffamat, scandalizat; qui unico furto surripit bona ad diversos dominos spectantia. — E contra, unum peccatum admittit, qui *una simul* plures articulos fidei negat, vel plura uni furatur, ut puta vestes, mobilia, nummos, quia unam fidei, domino, facit injuriam; — item qui alicui coram pluribus vel etiam, probabiliter, in pluribus detrahit, quippe unam existimationem onerat; — qui diversa mala optat inimico, v. g. paupertatem, infamiam, mortem, sub *uno genere* mali; — qui sacram eucharistiam in peccato mortali pluribus distribuit una simul, quippe est unicum convivium; — item probabiliter, qui unico actu in 12 apostolos blasphemat, quia omnes blasphemiae in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum. Imo, contradicente S. Lig., probabiliter unicum tantum committit peccatum, qui in mortali missam celebrat, quia unicum est sacrificium; aut una vice plures successive absolvit, baptizat, etc., quia omnes illae actiones ad unum moraliter pertinent ministerium. Cfr. dicta in opere meo : *Principia dogm. mor. univ. Theol. sacram.* pag. 335-359.

Q. 31. An explicanda sint in confessione *media* ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?

R. *Affirmant* communiter TT. — Sed si illi actus tum interni, tum externi non sunt distincta peccata, quando peccatum consummatur, quomodo distincta evaderent, eo quod finis non obtineatur? Videtur ergo sufficere in hoc casu quod poenitens dicat : *intentionem habui committendi tale peccatum et media ad hoc apta adhibui, quamvis illud non potuerim exsequi.* — Cfr. P. Piatus (in notis ad Theol. V. D. V.).

PARS SECUNDA.

DE PECCATIS IN SPECIE.

CAP. I. — De peccato commissionis et omissionis.

Praenotandum. Quid sit peccatum **commissionis,** quid vero **omissionis,** et in quo consistat *formale* utriusque peccati, jam traditum fuit supra (pag. 189 seq.). — Liquet etiam ex dictis supra (pag. 13 seq.) de voluntario *negativo* seu *privativo*, dari posse peccatum **omissionis** absque omni actu qui sit *de essentiali ejus ratione,* non tamen sine omni actu qui sit *causa* vel *occasio ejus.* — Superest inquirere de duobus sequentibus.

Q. 32. An *actus* conjunctus *omissioni* peccaminosae sit *peccatum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Actus **concomitanter** tantum conjunctus nullam malitiam per se contrahit, ut si quis jam aliunde statuerit non audire Sacrum, et interim, ne otiosus sit, studeat, studium illud non est peccatum. — **2°)** Actus vero, qui est **causa** vel **occasio** omissionis peccaminosae, vitiatur per malitiam omissionis, licet in se sit indifferens vel bonus. — Non est tamen malitia distincta a malitia ipsius omissionis, et hinc qui omittit Sacrum ut studeat, non tenetur in confessione facere mentionem studii.

Q. 33. *Quandonam* pecc. *omissionis* incipiat *imputari?*
R. Eo ipso momento quo advertenter ponitur illius causa, etsi omissio non sequatur.

Resolvitur. Hinc qui ebriatur, praevidens se omissurum Sacrum, etsi accideret ut postea Sacro adesset, praeter ebrietatem confiteri debet peccatum omissionis : quia praestitit consensum, cum causam posuit. Similiter, projiciens breviarium in mare, tot peccata committit, quot exinde praevidit omissiones; has igitur tenetur confiteri ; si tamen postea de hoc vere doleat, non tenetur confiteri omissiones illas revera esse secutas : quia, cum retractatae fuerint, non amplius sunt peccata. — Cfr. (pag. 20).

CAP. II. — De peccatis internis.

Q. 34. Qua ratione inter cogitationes peccaminosas a se invicem differant *desiderium*, *gaudium* et *delectatio morosa?*
R. 1°) *Desiderium* respicit tempus futurum, estque actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur *efficax*, cum quis proponit illud exsequi; *inefficax* vero, si non proponit exsequi, sed consentit quod exsequeretur, nisi quid aliud obsisteret : v. g. si diceret, vellem surripere thesaurum ab ecclesia, si possem. — 2°) *Gaudium* respicit praeteritum, estque deliberata complacentia operis mali peracti sive a se, sive ab alio. Huc revocanda est : *jactantia* de peccato commisso; *displicentia* de malo non patrato; *tristitia* de bono peracto, quod stricta obligatione praestandum fuerat. — 3°) *Delectatio morosa* respicit praesens, estque deliberata complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut praesente, sine ullo desiderio. Dicitur *morosa*, non quod requirat moram temporis : uno enim momento perfici potest; sed quod voluntas post plenam advertentiam ei immoretur.

Q. 35. *Quale* peccatum sit *desiderium* absolutum rei malae?
R. Tale desiderium, etiam *inefficax*, est peccatum ejusdem speciei atque malitiae, mortalis vel venialis, quam cognoscitur habere ipsum objectum desideratum.

Resolvitur. Hinc desiderium furandi rem gravem, occidendi,

fornicandi, erit peccatum grave furti, homicidii, fornicationis. Similiter qui desiderat peccare cum persona quam novit conjugatam, consanguineam, affinem, aut voto castitatis ligatam, contrahit has circumstantias : quia desiderium fertur in opus externum ut a parte rei ponendum; ponitur autem cum omnibus suis circumstantiis, quae si cognitae sint, sunt indirecte et interpretative volitae.

Q. 36. An *liceat* desiderare rem quidem *malam*, sed *sub conditione quod sit licita?*

R. *Distinguendum.*

Explanatur. Affirmative *per se,* si conditio apposita totam operis malitiam **tollat** : v. g. ederem carnes, nisi esset dies veneris; ducerem Caiam, nisi jam haberem uxorem; furarer rem illam, si essem in extrema necessitate. — Negative vero, si conditio totam malitiam **non auferat** : v. g. peccarem, si non esset infernus; occiderem, si non essem sacerdos. — *Probabiliter* tamen careret mortali, qui simpliciter desideraret malum sub conditione, *si non esset malum* : quia tunc non desiderat malum revera, sed tantum prodit quid vellet in alia conditione rerum. — Ceterum, periculosum est immorari hujusmodi stultis velleitatibus, etiamsi conditio apposita totam malitiam auferret, ob periculum consensus in objectum malum. Saltem sunt otiosae, et re ipsa subest tentatio daemonis. — Ideo dixi : *per se.*

Q. 37. *Quale* peccatum sit *gaudium* seu complacentia de re *mala?*

R. *Gaudium* de objecto *malo*, non secus ac desiderium, est peccatum ejusdem speciei atque malitiae, cujus est objectum ipsum circa quod versatur. — Hinc qui in peccatorum praeteritorum recordatione sibi complacet, eaque approbat, in confessione explicare debet objectum hujus complacentiae atque circumstantias speciem mutantes, perinde ac si denuo opere peccasset. Similiter, qui se jactat de peccato patrato, regulariter explicare debet in confessione omnes species illius : quia se jactando regulariter adjungit ad jactantiae et scandali peccatum, etiam complacentiam de peccato commisso.

Explanatur. Dixi : de **objecto malo**; nam gaudium seu

complacentia de modo subtili, ingenioso quo actio mala, etiam turpis, est facta, *per se* malum non est : cum iste modus non sit malus, ut supponitur, et ab actione disparatus, possitque licite reperiri in actione non mala. Talis est complacentia de modo ingenioso quo furtum patratum fuit; de modo lepido quo ebrius in lutum cecidit; de artificio quo res turpis peracta est. — Timendum tamen in materia lubrica, ne complacentia a modo in rem ipsam transeat, et ideo addidi : *per se*.

Q. 38. An *liceat* gaudere de opere *malo*, ob *bonum effectum* inde secutum?

R. Nequidem propter effectus bonos vel utiles inde secutos, licet gaudere de re mala, etsi tantum materialiter fuerit mala, jure seu naturali, quod est verius prorsus, seu positivo, quod est longe probabilius : quia licet opus non fuerit peccaminosum, nihilominus semper fuit objective malum.

Resolvitur 1. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI sub n. 15 sequens propositio : « *Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.* » Similiter non licet gaudere de Missa festo die ex oblivione relicta, neque de carnium comestione die jejunii ex inadvertentia : quia res sunt, supposito praecepto, ex objecto malae. — **Resol. 2.** Secus dicendum, si res *nequidem materialiter* fuerit contra legem, — sive quia v. g. per dispensationem, aut aliter, agens erat a lege exemptus; — sive quia non est prohibita a lege; et ideo licitum est gaudere de **pollutione naturali,** quae scilicet a natura ex abundantia seminis provenit, sive in vigilia, sive in somno, etiamsi, juxta doctrinam S. Thom. (2. 2. q. 154, a. 5), sequatur ex *turpi somnio*, « ad quod, ait Ballerini (in nota ad. n. 172, tom. 1 Gury), reduci possunt et tactus seu motus idem somnium consequentes. »—Imo, ex doctrina multorum cum eodem Angelico Doctore (in 4. dist. 9, q. 1, a. 4, q. 1 ad 5) licet, *per se loquendo*, eam affectu simplici et inefficaci desiderare, secluso periculo consensus; non ob delectationem, quod est mortale : quia delectatio venerea a natura ordinata est ad solam generationem in actu conjugali; sed propter bonum finem, ut est naturae alleviatio, mitigatio tentationum vel sanitati conducens; sic enim non est ob-

jective mala, sed effectus naturalis. Non licet tamen gaudere de tactu turpi in somno vel eum desiderare; manet enim actus objective malus, uti et pollutio innaturalis in somno orta vi turpium cogitationum aut tactuum in vigilia habitorum.— Interim in praxi abstinendum est ab his desideriis propter latens periculum, et ideo dixi : *per se loquendo*.— Cfr. Bill.; Sass. (de act. hum. q. III, n. 25).

Obj. Non licet filio gaudere de **morte etiam naturali** patris propter pinguem haereditatem ipsi obventuram, ut constat ex prop. damnata sub n. 14 ab Inoc. XI : « *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis : quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.* » Ergo a pari non licet gaudere de **pollutione naturali**, aut illam desiderare. — **Resp.** *Neg. cons.* Mors est gravissimum malum, quod non satis compensatur per bona fortunae filio obventura; pollutio autem *naturalis* nulli est nociva, cum semen per se, quo se exonerat natura, sit quid superfluum, ut docet S. Thom. (2.2.q.154, a.5).

Q. 39. An in *quocumque* casu *liceat* gaudere, non quidem de ipso opere malo, sed duntaxat de *effectu bono* ab illo opere secuto?

R. *Affirmative* per se loquendo : nam tunc complacentia non fertur in objectum malum.

Explanatur. Sic licet gaudere de exoneratione naturae causata a pollutione, etiam *voluntaria*, vel de consecutione haereditatis ob homicidium, modo causa detestetur. Hoc sensu Ecclesia gaudet de redemptione secuta ex Adami peccato, exclamans : « *O felix culpa, quae talem meruit Redemptorem!* » — Dixi : **per se loquendo**; nam hujusmodi complacentiae aliquando non carent periculo.

Q. 40. *An* et *quale* peccatum sit *delectatio morosa?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) sermo est de sola **cognitione** seu cogitatione rei malae; — vel 2°) de **modo** operandi rem malam; — vel 3°) de **re mala**; — vel 4°) de **effectu bono** secuto ex re mala. — Si **primum**, delectatio ex S. Thom. (1.2.q.74, a.8) per se non est peccatum. — Dicitur : *per se;* quia potest esse : — vel

bona, si adsit justa causa cogitandi, v. g. causa studii, consultationis, quo modo theologus, imo ipse Deus, complacet sibi in exacta cognitione peccatorum turpissimorum; — vel venialiter mala, si fiat v. g. ex curiositate; — vel etiam aliquando graviter mala, si adsit periculum proximum consensus in rem malam. — Si **secundum**, iterum *per se* malum non est : quo modo sine peccato saepe nos delectant fabulae, bella, homicidia, furta, suavitas cantus turpis, cum turpitudo displiceat. — Si **tertium**, peccatum est, mortale vel veniale, quod probabilius non specificatur ex objecto externo, prout est *a parte rei*, sicut specificantur desiderium et gaudium, sed prout ab intellectu *repraesentatur*, et est *motivum* talis delectationis. — Sic qui videt inimicum suum vulnerari in loco sacro et delectatur de ea vulneratione, ut est mala inimico, peccat tantum peccato odii, non sacrilegii; qui audit verba impudica et simul contumeliosa in alium, et ex his voluptatem capit, ut impura sunt, non peccat contra justitiam; similiter, qui delectatur de copula modo cum conjugata, modo cum religiosa, non contrahit malitiam adulterii et sacrilegii, nec *per se* tenetur explicare in confessione : quia hae circumstantiae non movent, sed potius deterrerent, si voluptas abesset. — Dixi : *per se;* quia si moverent, aut si cum delectatione simul adesset desiderium vel proximum ejus periculum, sine dubio explicandae sunt. — Si tandem **quartum**, per se nullum est peccatum.

Q. 11. An *sponsis* et *viduis* liceat delectari de copula *futura* vel *praeterita?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si copulam ut **praesentem** concipiant, in eaque ut praesente sese oblectentur, peccant mortaliter : quia copula hic et nunc est ipsis sub mortali prohibita. — **2°)** Si solum delectentur vidui de actu conjugali **praeterito**, approbantes quod eum licite exercuerint, aut sponsi solum delectentur de actu **futuro**, desiderantes quod eum licite sint exercituri, absque eo quod de eo ut praesenti delectentur, et quod in se admittant carnales commotiones; vel non peccant, vel saltem non nisi venialiter : quia nihil approbant nisi quod et quatenus fuit aut erit eis licitum. Eodem modo, saltem a gravi, excusari possunt, si solum delec-

tentur propter aliquod commodum inde secutum aut secuturum, v. g. meliorem conditionem temporalem aut voluptatem intra fines matrimonii percipiendam, modo non afficiantur erga copulam ut praesentem, nec delectatio sit secundum carnem.—Interim similes cogitationes non sunt fovendae, quippe quae periculo non careant.

Q. 42. An *conjugibus* liceat delectari de copula, etiamsi alter conjux sit absens?

R. Licitum est conjugibus delectari, etiam carnaliter, i. e. cum commotione spirituum, de copula habita vel futura, semper ac absit periculum pollutionis : quia ipse status matrimonii haec omnia licita reddit; alias nimis scrupulis esset obnoxius. — Ita S. Lig. (V, 25).— Cfr. dicenda in Tract. *de Matrim.*

Q. 43. *Delectatio* de *morte* vel *malo* proximi sitne semper *peccatum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° Si delectatio sit de morte vel malo temporali alicujus non in quantum est malum illius, — sed A) sive ob ipsius proximi **bonum spirituale,** v. g. ut desistat a peccatis, a scandalis; — sive B) ob **bonum communitatis,** vel *temporale,* vel *spirituale,* non est peccatum. Hinc scribit S. Thom. (in 3. dist. 30, q. 1, a. 1 ad 4 : « *Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui et gaudere, si contingit; non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Ecclesiae.* » — **2°)** Si vero delectatio sit de ipsa **morte** vel **malo spirituali,** semper est peccatum, cum sit contra charitatem.

Resolvitur. 1° Si praesit tyrannus, reipublicae et religioni exitiosus, licet de ejus morte naturali gaudere, imo ipsam affectu simplici desiderare ob bonum commune, juxta illud (Gal. V, 12) : « *Utinam abscindantur qui vos conturbant.* » — **2°)** Licet tristari de eo quod dignitates conferantur indignis vel de sanitate ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi. — **3°)** Licet gaudere de supplicio malefactoris ad exemplum aliorum. — **4°)** Potest pater optare mortem filii, si timet, ne ex ejus flagitiis dehonestetur familia. — **5°)** Licet egestatem, morbum, aliamve adversitatem optare scelerato, ut resipiscat. — **6°)** E contra illicitum est uxori

desiderare mortem mariti ex eo quod male ab eo tractetur, et matri mortem filiae quae ob deformitatem vel inopiam spe caret honeste nubendi. In his enim et similibus casibus non servatur ordo charitatis, cum bonum intentum *non superet*, vel *saltem adaequet* malum quod proximo optatur. Constat ex prop. damnata ab Innoc. XI sub n. 13. « *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* » Item ex prop. damn. sub n. 14 (pag. 215). Quae propositiones merito fuerunt proscriptae, quia secundum charitatis ordinem vitam proximi cuicumque nostro temporali emolumento praeferre tenemur. — « *Non damnandus tamen*, addit S. Lig. (V, 21), *qui gaudet de effectu secuto, scilicet de haereditate obtenta ex morte alterius, si non gaudet de causa, hoc est de morte, licet materia sit periculosa.* »

PARS TERTIA.

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS IN SPECIE.

SECTIO PRIMA.

DE QUINQUE PECC. CAPIT. QUAE DICUNTUR SPIRITUALIA.

CAP. UNIC. — 1° de superbia; 2° de avaritia; 3° de ira; 4° de invidia; 5° de acedia.

Praenotandum. Ex S. Thom. (1. 2. q. 84, a. 4) peccata **capitalia**, quae *septem* numerantur (pag. 188), ea dicuntur ex quibus veluti capitibus, radicibus seu fontibus, omnia alia oriuntur, quatenus sunt causae, saltem « *frequentius* » aliorum peccatorum, « *praecipue secundum rationem causae finalis,* » in quantum scilicet habent objecta proprie talia ut horum amore alia passim peccata committantur; unde dicuntur habere *filias*, quas pro singulo peccato capitali enumerat S. Thomas. — Dixi : « FREQUENTIUS ; » « *Unde*, ut habet S. Thom. (ibid. ad 5), *nihil prohibet aliqua peccata* INTERDUM *ex aliis causis oriri.* » — Itaque peccata **capitalia** non

idem significant, quod *maxima :* quia plura alia sunt illis graviora, v. g. peccata opposita virtutibus theologicis. Neque idem significant, quod *mortalia :* nam esse possunt et saepe sunt venialia, etiamsi deliberate committantur, ut liquet in ira, acedia, etc. — Vidimus autem supra (pag. 188), quod ex septem illis peccatis *quinque* dicuntur **spiritualia,** alia vero *duo* **carnalia.**

Q. 44. *Quid* 1°) sit SUPERBIA, — 2°) *quotuplex* — et 3°) *quale* peccatum?

R. Ad 1um) Superbia, a *super velle* seu *super ire,* ex S. THOM. 2. 2. q. 162, a. 2 est inordinatus appetitus propriae excellentiae.

Explanatur. Dicitur : 1°) **inordinatus**; nam velle excellere secundum se est indifferens; imo si fiat debito modo ac fine, v. g. ad Dei gloriam, proximi salutem aut tuendam propriam famam, est actus meritorius. Inordinatio autem consistit in eo, quod superbus velit excellere supra id quod est, et quasi supra alios ire plus quam decet. — Dicitur : 2°) **excellentiae**; i. e. perfectionis quam quis habet vel sibi falso inesse imaginatur. — Dicitur : 3°) **propriae**; et ideo si pater nimium appetat excellentiam filii, aut e contra, non est proprie superbia, sed vitium illi propinquum.

R. Ad 2um et 3um, *Duplex* distinguitur : — *perfecta,* qua quis ita se animo effert, ut Deo et superioribus subesse recuset; — aut ita se gerit, quasi sua non a Deo, sed a se, aut saltem suis meritis haberet, estque *gravissimum* peccatum, sed raro accidit; — *imperfecta,* qua quis, salva ad Deum et superiores subjectione et secluso illo gerendi modo, se plus aequo aestimat, estque *per se* peccatum *veniale,* utpote excessus in re indifferenti, nisi accedat gravis contemptus, infamia vel damnum proximi.

Q. 45. *Quaenam* 1°) sint *filiae* SUPERBIAE — et 2°) *quaenam* ejus *remedia?*

R. Ad 1um) Ex superbia, quae opponitur *humilitati,* oriuntur : 1°) *ambitio,* ut si appetatur honor non debitus vel debito major; — vel debitus, sed indebito modo, medio et fine acquirendus; — 2°) *vana gloria,* seu appetitus inordinatus humanae aestimationis, quae, si quaeratur per verba, dicitur

jactantia seu inanis de se et stulta praedicatio; si per facta *ostentatio;* si per aggressionem operis vires excedentis *praesumptio;* si per falsa et ficta signa *hypocrisis;* haec sunt peccata ordinarie et per se venialia; — 3°) *pertinacia*, qua quis nimium adhaeret proprio judicio, nolens cedere melius intelligenti; — 4°) *contentio*, quae est inordinata verborum contrarietas; — 5°) *discordia*, quae est contrarietas voluntatum circa bonum in quo ex charitate consentire debemus; — 6°) *inobedientia*, *ingratitudo*, etc., quae sunt peccata gravia pro ratione modi aut finis.

R. Ad 2um) *Remedia* superbiae sunt : consideratio propriae infirmitatis, vanitatis humanae gloriae et humilitatis Christi, nec non malorum etiam temporalium quae ex superbia oriuntur, et bonorum quibus humilitas ditatur, juxta illud (1. Petr. V, 5) « *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* »—Cfr. S. Thom. (1. 2. q. 84, a. 2; —2. 2. q. 132 et 162).

Q. 46. *Quid* 1°) sit avaritia, — 2°) *quale* peccatum, — 3°) quaenam ejus *filiae*— et 4°) quaenam *remedia?*

R. Ad 1um) Est immoderatus appetitus bonorum temporalium.

Explanatur. Id est : immoderatus amor, cura et sollicitudo ea acquirendi, conservandi, augendi. Dicitur : **immoderatus**; quia divitias appetere per se malum non est; et, si fiat, ob honestum finem, est actus honestus.— *Dupliciter* autem avaritia aliorum peccatorum est causa et radix : 1°) in quantum pecuniae praebent materiam, occasionem et potestatem perpetrandi quodlibet peccatum juxta illud (Eccli. X, 19) : « *Pecuniae obediunt omnia;* » — 2°) in quantum vix ullum est peccatum quod avarus non sit paratus committere pecuniae acquirandae aut retinendae causa. « *Hic enim et animam suam venalem habet,* » ut dicitur (Eccli. X, 10).— Avaritia opponitur, per defectum, *liberalitati*, cui per excessum opponitur *prodigalitas*.

R. Ad 2um) Ex genere suo est veniale peccatum, utpote excessus in re alias indifferenti et licita; per accidens saepissime mortale : dum 1°) graviter repugnat charitati Dei, ut si homo ita inordinate adhaeret divitiis, ut totum affectum in iis ponat,

magis sollicitus de pecunia, quam de Dei gratia conservanda; 2° dum graviter repugnat charitati vel justitiae erga proximum, v. g. non solvendo vel differendo debita, non succurrendo necessitati proximi.

R. Ad 3um) *Filiae* avaritiae sunt : *durities cordis erga miseros, oppressio pauperum, inquietudo animi, fraus, violentia, proditio, furtum, perfidia*, et plurima alia.

R. Ad 4um) *Remedia* sunt : — 1°) Meditari paupertatem Christi, qui *cum dives esset, propter nos egenus factus est.* — 2°) Sedulo perpendere loca Scripturae : « *Avaro nihil scelestius.* » (Eccli. X, 9); — » *Radix omnium malorum est cupiditas.* » (1. Tim. VI, 10); — « *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.* » (Matth. IX, 24). — 3°) Attendere quod omnia brevi sint relinquenda, nisi quae per manus pauperum praemissa fuerint; quod divitiae non raro transeant ad haeredes ingratos, prodigos, iisque abusuros in perniciem aeternam. — Cfr. S. Th. (1. 2. q. 84, a. 1;— 2. 2. q. 118).

Resolvitur. Merito scribit S. Petr. Chrysol. (Serm. 8 de jejun. et eleem. : « *Thesaurus coeli est manus pauperis : quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in coelum. Manus pauperis est gazophylacium Christi : quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias coelum ; da nummum, ut accipias regnum ; da pauperi, ut det tibi ; quidquid pauperi dederis, tu habebis ; quod pauperi non dederis, habebit alter.* »

Q. 47. *Quid* 1°) sit ira, — 2°) *quale* peccatum,— 3°) *quaenam* ejus *filiae* — et 4°) *quaenam* illius *remedia?*

R. Ad 1um) et 2um) Ira, quae opponitur *mansuetudini*, est inordinatus appetitus vindictae vel quasi vindictae; quae inordinatio ex S. Thom (2. 2. q. 158, a 3) fit dupliciter : — 1°) *ex parte modi irascendi*, si interius excandescas plus quam ratio dictat, vel exterius per signa nimis patefacias, quamvis appetatur vindicta justa; — 2°) *ex parte objecti*, si appetas vindictam injustam, justo majorem, aut justam quidem, sed praeter ordinem infligendam, vel non ad debitum finem, sed ex odio ad satiandum malevolum affectum.— Additur : *vel*

quasi vindictae; quia dum homo irascitur in res inanimatas, v. g. artifex ex ira frangit aut projicit instrumentum, scribens calamum, non est proprie vindicta; est tamen ira, licet *per se* venialis tantum, qualis et est *prima* inordinatio, utpote excessus in passione indifferente; per accidens quandoque mortalis, si v. g. in sanitate propria vel aliena causetur notabile damnum; si in blasphemias, maledicta erumpatur. *Secunda* inordinatio est ex genere suo mortalis : quia directe opponitur charitati et justitiae.

R. Ad 3um) Ex S. Thom. *filiae* irae sunt : *indignatio*, et *tumor mentis*, dum ira remanet in corde; *clamor* et *contumelia*, dum erumpit in ore; *rixae* et *blasphemiae*, dum exit in opus.

R. Ad 4um) Contra iram juvat considerare : 1°) mansuetudinem Christi, qui « *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*, » (1. Petr. II, 23) et pro suis crucifixoribus oravit; — 2°) quod irascens saepius justissimam causam dederit Deo contra se graviter irascendi; — 3°) quae mala ex ira proveniant, quodque irascens sibi potissimum noceat.

Q. 48. *Quid* sit invidia?

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 36, a. 1) invidia, quae opponitur *benignitati*, est *tristitia de bono proximi prout apprehenditur esse diminutivum propriae excellentiae* : ut si quis doleat alium sibi in honore vel divitiis fieri aequalem, quasi sibi per hoc aliquid decedat. — Unde, si quis de bonis proximi tristetur ex alio motivo, non erit invidia.

Resolvitur. 1°) Tristari de bono alterius, in quantum prudenter creditur tali indignus, non est invidia, sed **indignatio** seu **nemesis**, et quidem justissima, si fit propter Deum vel bonum commune, quod creditur ab indigno laedendum; potest tamen esse mala, ut si sit de bonis, quatenus a Deo peccatoribus obveniunt. — **Resol. 2°**) Si tristaris, quia ex bono alterius times tibi vel alteri innocenti aliquod malum, secluso malo affectu vel aversione circa personam, non est invidia, sed **timor justus** : sic licite tristamur de potentia impiorum quatenus illa abutentes noxii sunt;

sic prudenter doleo illum elevatum ad officium, qui utpote inimicus meus jam facilius poterit nocere : quia talis tristitia non tam est de bono proximi, quam de malo inde resultante. — **Resol. 3°)** Si tristaris de bono proximi, non quia ipsi bonum est, sed quia tibi deest bonum quod alter habet, non est invidia, sed **aemulatio** de se bona, dicente Apostolo (1 Cor. XII, 31) : « *aemulamini autem charismata meliora.* » Sic, secluso malo affectu circa personam, qui tamen facile intervenit, licite tristaris quod alter tibi officium vel virginem adamatam praeripuerit. Sic studiosi vel artem addiscentes, dum vident aliorum profectum merito tristantur de suo defectu, quo ipsi ad meliora excitantur. Similiter artifex videns suum vicinum industria sua bene alere familiam, merito dolet se non posse ita prosperare. Sic denique mercator vel caupo videns emptores vel hospites ad vicinum divertere, licite dolet de illo concursu, non quatenus vicino proficuus est, sed ut suum detrimentum et lucri cessatio, quod alias juste haberet.

Q. 49. *Quale* peccatum sit INVIDIA?

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 36, a. 3) est peccatum *ex genere suo mortale* : quia directe opponitur charitati proximi; saepe *veniale*, tum ex imperfectione actus, tum ex parvitate materiae. — *Supremum* autem *invidiae* peccatum est, si quis alteri invidet bona spiritualia supernaturalia, v. g. gratiam, virtutes, sanctitatem vitae, eo quod putet per ea minui suam aestimationem, aut suam vitam redargui, quod est *peccatum in* SPIRITUM S., quia sic invidet Spiritui S. qui in donis suis et operibus glorificatur, diciturque *fraternae gratiae* seu, ut communius dicitur, *charitatis invidentia.*

Q. 50. Quaenam sint 1°) *filiae* INVIDIAE, — et 2°) quaenam contra illam *remedia?*

R. Ad 1um) Quinque *filiae* a S. THOM. (2. 2. q. 36, a. 4 ad 3) numerantur : — 1°) *odium*, quo quis male vult cui invidet; — 2°) *susurratio*, quae est locutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis; — 3°) *detractio*, qua bonam famam denigrat, quam proximo invidet; — 4°) *gaudium in proximi adversis;* — 5°) *afflictio in ejus prosperis*, estque haec continua poena invidi, qua suo livore tabescit.

R. Ad 2um) Contra invidiam juvat : — 1°) attendere sedulo nullum esse vitium quod nos similiores reddat diabolo, juxta illud (SAP. II, 24) : « *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius;* » — 2°) honorem humanum contemnere, juxta illud Apost. (GAL. V, 26) : « *Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes;* » — 3°) persuasum habere invidiam soli invidenti nocere : non enim ideo minus habet ille cui invides, et licet careret bono, quod invides, non ideo tu illud vel melius haberes.

Q. 51. *Quid* sit ACEDIA?

R. Acedia sive animi taedium ex S. THOM. (2. 2. q. 35, a. 2) dupliciter usurpari potest. — 1°) *Generaliter*, pro omni animi remissione ad bene operandum in exercitio virtutum ob laborem conjunctum, sicque sumpta non est vitium speciale, sed generale : quia omne vitium refugit bonum virtutis oppositae; — 2°) *specialiter*, pro taedio de bono spirituali, v. g. de divina amicitia apprehensa ut mala propter adjunctam difficultatem illius obtinendae et conservandae per laboriosa virtutum exercitia et voluptatum illicitarum fugam, unde fit, ut quis amicitiam illam parum curet.

Q. 52. *Quale* peccatum sit ACEDIA?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Acedia **generalis** est veniale *per se loquendo;* ut si tristaris de Missa, quia tempore frigido est surgendum, attamen audis, licet cum aliqua displicentia. — Dixi : *per se loquendo;* quia si taedium maneat in solo appetitu sensitivo, et voluntas conetur resistere, est actus meritorius. — Est autem *mortale*, si ideo omittantur actus graviter obligantes, v. g. ex taedio omittis breviarium, Missam die festo, — sed non est peccatum distinctum. — **2°)** Acedia **specialis** est peccatum de se *gravissimum*, — nisi imperfectio actus excuset : quia specialiter repugnat charitati Dei, et ab eo avertit. — Cfr. S. THOM. (2. 2. q. 35, a. 3).

Q. 53. Quaenam 1°) sint *filiae* ACEDIAE, — et quaenam 2°) adversus eam *remedia?*

R. Ad 1um) A S. GREG. apud S. THOM. (2. 2. q. 35, a. 4 ad 2)

sex *filiae* numerantur : — 1°) *malitia*, qua bona spiritualia odio habentur secundum se, ut si quis doleret quod bene fecerit; cuperet non esse natum, esse brutum, etc.; estque per se mortale; — 2°) *rancor*, quo illi sunt fastidio, qui hortantur ad meliora, quod secluso odio et aliis est veniale tantum; — 3°) *pusillanimitas*, qua quis refugit aliquid difficile aggredi, et seclusa alia transgressione mortali est venialis tantum; — 4°) *desperatio* beatitudinis consequendae, utique peccatum gravissimum; — 5° *torpor* in observatione praeceptorum, venialis, si frigide, — mortalis, si graviter obligantia non impleantur; — 6°) *evagatio mentis*, qua quis in exercitio spiritualium vagatur circa alia, de se venialis.

R. Ad 2um *Remedia* contra acediam sunt : —1°) Meminisse noctis illius vicinae, « *quando nemo potest operari,* » ut dicitur apud JOAN. IX, 4. — 2°) Recogitare praemia fervidae charitatis et damna teporis, dicente Script. (APOC. III, 16) : « *Quia nec frigidus es nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* » — 3° Mane quotidie se excitare per propositum ista die bene sua munia obeundi, et vespere desuper examinare. — 4°) Recordari labores et passiones Christi, necnon attendere ad exemplum ferventium Dei servorum, qui longe jucundius vivunt, quam isti inertes sibi et aliis graves atque molesti.

SECTIO SECUNDA.

DE DUOBUS PECC. CAPIT. QUAE DICUNTUR CARNALIA.

CAP. I. — De gula, ubi de ebrietate.

Q. 54. *Quid* 1°) sit GULA? — 2°) *Quot* modis committatur?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 148, a. 1) GULA, *generatim* sumpta, est inordinatus appetitus vel usus cibi aut potus. — Dividitur in duas species : — in GULAM *stricte* sumptam, quae etiam dicitur *crapula* et *comessatio*; — et in EBRIETATEM. — Gula stricte sumpta est appetitus inordinatus cibi et potus qua delectabilis praecise, sicque, ut patet, est vitium oppositum

abstinentiae. Ebrietas vero est appetitus inordinatus solius potus inebriantis, et opponitur *sobrietati.*

R. Ad 2um) Ex S. Thom. (ibid. ad 4) *quinque* modis committitur : — 1°) si sumas ante vel extra tempus congruum ; — 2°) si quaeras nimis pretiosa ; — 3°) si sumas plus aequo ; — 4°) si avide, voraciter, licet vilia ; — 5°) si quaeras nimis accurate praeparata, — juxta versiculum : « *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.* » — Cfr. Bill.

Resolvitur. Cavendum est, ut recte notat Billuart, « ne statim ac semper peccati *gulae* arguas, qui cibos *lautos* et *accurate praeparatos* manducant : id enim quandoque exigit vel sanitas, vel hospitis, vel festi [vel status] ratio ; aut sic offeruntur, vel alii desunt ; sed tunc solum, quando id *quaeritur,* aut fit *contra dictamen rectae rationis.* »

Q. 55. *Quantum* peccatum sit gula ?

R. Est peccatum *ex genere suo leve,* utpote excessus in re indifferenti ; etsi, juxta probabilem sententiam, te ingurgites usque ad vomitum. — Qui tamen ideo evomunt, ut mensam repetant, « *vix excusantur a mortali.* » (S. Alph. V, 73). — *Per accidens* saepe fit *mortale,* et sic graviter peccat : — 1°) qui gulae causa violat jejunia ecclesiastica aut aliam quamcumque gravem obligationem ; — 2°) qui advertit ex gula se contrahere notabilem morbum, v. g. febrim ; — 3°) si se exponat periculo consentiendi turpibus : *Bacchus* enim et *Venus* intimi amici sunt ; — 4°) si inde notabiliter ineptus fiat ad officia ad quae sub mortali tenetur ; — 5°) si propter comessationes non possit solvere debita, alere familiam ; — 6°) si ita inhaereat delectationibus cibi et potus, ut in iis finem suum ultimum quodammodo constituat, juxta illud (Philipp. III, 19) : « *Quorum Deus venter est.* »

Q. 56. *An* et *quomodo* peccet, qui comedit et bibit usque ad satietatem ob *voluptatem?*

R. Si ulteriores operationis fines *positive* excludat, peccat *venialiter ;* — secus non. — Vide sup. (pag. 63 seq.).

Resolvitur. Venialiter peccat, qui edit et bibit ob *solam* voluptatem, quod est voluptate *frui,* licet tantum necessaria sumat :

tum quia pervertit ordinem naturae, cum alimentum non sit a natura institutum ad delectationem, sed mediante delectatione ad sanitatem et vitam; tum quia finis humanarum actionum est bonum honestum, non delectabile; hoc enim est proprium brutorum. Constat ex prop. damnata pag. 63. — E converso, si voluptatem illam virtualiter ordinet ad meliorem digestionem, quod est voluptate *uti*, non peccat : « *nisi sis adeo insipiens*, ait insignis CAJETANUS (in Sum. verb. *gula*, n. 1), *ut putes omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum.* » Etenim propter infirmitatem humanam, Auctor naturae annexuit alimentis, non secus ac actui matrimoniali, delectationem, ut in iis sumendis non essemus difficiles et sumpta facilius retinerentur ac digererentur, sicque melius vitae et sanitati conservandae concurrerent. Unde illud AUG. l. 4. cont. Jul. : *Non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.* » — Cfr. BILL.; — SASS.

Q. 57. Quaenam 1°) sint *filiae* GULAE, — et 2°) quaenam ejus *remedia?*

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 148, a. 6) quinque *filiae* numerantur : *hebetudo mentis*, *inepta laetitia*, *multiloquium*, *scurrilitas* et *immunditia* cujuslibet generis.

R. Ad 2um) Remedia sunt : 1°) Considerare ex gula plurimos causari tam animae quam corporis morbos vitamque certo abbreviari. Hinc S. HIER. (epist. ad Ocean.) : « *venter cibo meroque distentus despumat in libidines.* » Hinc quoque illud (ECCL. XXXVII, 33) : « *In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram.* » Unde axioma omnibus notum : « *Plures occidit gula, quam gladius. Gulae pone metas et erit tibi longior aetas;* » — 2°) Meditari Dominum Jesum, qui in vita cibo vulgari usus est, et in morte aceto et felle voluit potari; — 3°) Meminisse nihil in Scripturis frequentius commendari quam sobrietatem; — 4°) Recordari frequenter de morte seu de corruptione corporis mox futura.

Q. 58. *Quid* 1°) sit EBRIETAS, et 2°) *quotuplex* distinguatur?

R. Ad 1um) Ebrietas, generatim sumpta, est voluntarius excessus in potu inebriante usque ad rationis alterationem.

R. Ad 2um) *Duplex* distinguitur : *perfecta*, si omnino privet usu rationis, ita ut ebrius incapax sit agendi moraliter ; — secus dicitur *imperfecta*.

Resolvitur 1. Excessus voluntarius in potu non inebriativo, ut lacte ; vel etiam inebriativo, sed non de facto inebriante, seu non pertingente usque ad alterationem rationis, non est proprie *ebrietas*, sed *gula* stricte sumpta seu *crapula* et *comessatio*, ita dicta, non quidem a *comedendo ;* sed, ut observat Sylvius, a *Como*, qui apud antiquos habebatur Deus *crapulae ;* haec autem committitur tam in cibo quam in potu. — **Resol. 2.** Qui aliunde quam ex potu, puta ex odore lupuli aut suffitu tabaci, privaretur usu rationis, non esset proprie ebrius, licet posset peccare, si id ipsi voluntarium esset. — **Resol. 3.** Ad *perfectam* ebrietatem minime requiritur, quod quis fiat brutum aut truncus ; — nec minus vesanum et foedum est, quod aliqui ab ebrietate *perfecta* ideo eximant : — sive quod valeat quis adhuc discernere in via domum ab arbore, cum ad hoc non requiratur judicium rationis ; — sive quod possit adhuc declinare currum praetereuntem, ne laedatur, domum redire, lectum repetere : « *id enim*, ait Sass. cum Bill., *et canes faciunt.* » — **Resol. 4.** Uxor non tenetur ex justitia reddere debitum marito petenti in *perfecta* ebrietate : quia illa petitio non est actus humanus magis quam somniantis, ac proinde non potest conjugem obligare. Imo, nec posset quandoque uxor reddere, si periculum subesset effusionis seminis aut suffocationis foetus. His seclusis, potest contingere quod teneatur reddere ex charitate, si nempe animadverteret in marito periculum pollutionis aut commixtionis cum alia.

Q. 59. *Quaenam* sint signa ebrietatis *perfectae?*

R. Solent assignari sequentia : — 1°) si ebrius nesciat amplius discernere inter bonum et malum ; — 2°) si rerum *principalium*, quas gessit, amplius non recordetur, v. g. ignorat, quomodo domum venerit, cubitum iverit, etc. ; haec enim facile retinentur, secus res *minutae*, quae vix advertenter fiunt ; — 3°) si suis actionibus communibus et facilibus dirigendis vix sufficiat ; — dico : *dirigendis ;* nam non posse exsequi, v. g. orare breviarium, potest oriri ex ebrietate tantum *imperfecta ;*

— 1° si faciat ea, quae sui compos non facit, ut si alias probus blasphemet, turpia dicat aut faciat, rixas moveat, etc. Sed et hoc aliqui faciunt, dum semiebrii sunt.—Non autem sunt signa certa, si lingua titubet, pedes vacillent, oculi caligent, objecta duplicari, et domus ac fenestrae circumferri videantur. Idem dic de vomitu, qui quandoque ex ebrietate, quandoque absque illa — aut ex mera crapula, — aut ex vitio potus, — aut ex sumentis indispositione sequitur.— Cfr. Sass.

Q. 60. *Quantum* peccatum sit EBRIETAS?

R. Ebrietas *perfecta*, si fuerit plene *voluntaria*, est peccatum *mortale ex genere suo*, quod potest fieri *veniale* ob *parvitatem materiae*, ut si, ait D'Annib., ebrietas duratura sit *minus una hora*. — Non tamen a *gravi* excusatur, qui adeo bibit, ut sequi debeat ebrietas, quamvis dormitum eat, antequam sensibus et ratione destituatur : quia in somno non habet potentiam proximam ad usum rationis. — Cfr. S. Lig. (V. 75 et 78).

Explanatur. Perfectam ebrietatem, plene voluntariam, esse peccatum *mortale ex genere suo*, probatur : — tum ex S. Scriptura, in qua ebrietas recensetur inter peccata, quae excludunt a regno Dei Gal. V, 21 : « *Ebrietates... et his similia... qui talia agunt, regnum Dei non consequentur;* » — tum a ratione : quia ipsi graviter repugnat, quod homo sciens et volens se privet per notabile tempus usu rationis et potestate propinqua ad illum, quo a brutis distinguitur, bonum virtutis exercet et peccata declinat. — Adde pericula malorum, quae ex ebrietate nata sunt sequi. Unde quoque S. Thomas, qui primum docuerat *De malo*, q. II, a. 8 ad 3, — et q. VII, a. 4 ad 1 ebrietatem per se et ex genere suo esse peccatum veniale, per accidens autem mortale, hanc sententiam postea retractavit. — Dixi : *per notabile tempus*, quale ex judicio Lacroix « *videtur esse una hora;* » — quia hic datur parvitas materiae, sicut datur in laesione corporis vel propriae sanitatis. Quis enim dicet, peccare mortaliter eum, qui ex fumo vel agitatione in gyrum momentaneam sibi causaret mentis interceptionem? — Nec **Objicias** : usus rationis est in supremo genere bonorum : ergo pejus est per quadrantem carere potentia utendi, quam per mensem cen-

tum aureis.— **Resp.** Etiam Missa est in supremo genere bonorum spiritualium, et tamen qui non persolveret eam, ad quam liberaliter se obligasset, non peccaret graviter, ut multi tenent DD. — Neque contra allatam doctrinam **Objicias** : qui se privat usu rationis per somnum non peccat : ergo nec qui per potum. — **Resp.** *Neg. cons.* Nam, ut recte notat Bill., « disparitas est : 1°) quod somnus privet tantum actuali usu rationis, non propinqua potestate ad illum, sic, ut dormiens possit ad illum redire quando voluerit ; potest enim ante somnum disponere, ut tali hora, qua voluerit, excitetur, et excitatus statim est idoneus ad sua munia. E contra ebrietas non tollit tantum usum rationis, sed etiam potestatem propinquam ad illum ; nec potest ebrius illum pro nutu recuperare, sed necessitatur in ejus privatione remanere, quamdiu durat effectus immoderatae passionis, ita ut, etiamsi vigilans, sit ineptus ad sua munia. — 2°) Disparitas est, quod privatio usus rationis per somnum inducatur *naturaliter*, mediante quiete sensuum ad reparandas naturae vires ; per ebrietatem autem inducitur *violenter* ex causa illicita, vigilantibus [saepe] sensibus ipsis. »

Resolvitur 1. Ut ebrietas *perfecta* sit peccatum mortale, debet esse plene voluntaria, saltem indirecte seu in causa, ut si quis, attenta vini quantitate aut qualitate propriaque conditione, praevidet se inde privandum usu rationis, aut dubitans non curat inquirere, aut advertens ad probabile periculum perfectae ebrietatis nihilominus bibere pergit. — **Resol. 2.** Si largius bibens sciat se perfecte inebriandum quando exit in aerem vel vehitur, non vero si domi quietus maneat, peccat graviter, si libere exeat, licet non inebrietur : quia, voluntarie se exponendo periculo proximo perfectae ebrietatis, illam indirecte velle censetur. — **Resol. 3.** Semper peccat graviter qui frequenter est perfecte ebrius, ut bene docet S. Thom. (2. 2. q. 150, a. 2 ad 1), inquiens : « *Assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus ; sed quia non potest esse, quod homo assidue inebrietur, quin sciens et volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini et suam habilitatem ad ebrietatem.* » — **Resol. 4.** Non peccat saltem graviter peccato ebrietatis qui non advertit periculum perfectae ebrietatis ; quod fieri potest : si inculpabiliter ignoret fortitudinem potus, ut accidit Noë ; si prudenter putabat se posse

plus perferre; si casu sit indispositus; si ebrietas proveniat ex nimio calore, nimia loquacitate. — **Resol. 5.** Secluso periculo ebrietatis in se vel in alio, non est peccatum, — imo urbanitatis esse potest, in honesta recreatione se mutuo pro more patriae ad liberaliorem haustum invitare (Sass.).

Q. 61. An peccent *graviter*, qui adeo validi vinoque assueti sunt, ut nunquam inebrientur, etsi largius aliis bibant?

R. *Negative* per se; — *Affirmative* per accidens, ut si v. g. adeo temperantiam excedant, ut sanitatis grave detrimentum timeri merito possit. — Cfr. supra (q. 55, p. 226).

Resolvitur. Potentes ad bibendum, aut bibuli qui norunt aliquo pharmaco impedire, ne ratio deficiat, licet non peccent peccato *ebrietatis* proprie dictae; peccant tamen peccato *gulae*, quandoque venialiter, quandoque mortaliter, docente S. Thom. (2. 2. q. 150, a. 2 ad 2 : « *Plus sumere in cibo vel potu quam necesse sit, pertinet ad vitium gulae, quae non semper est peccatum mortale; sed plus sumere in potu scienter usque ad ebrietatem, hoc est peccatum mortale.* » « *Ebrietas autem*, inquit a. 1, *nominat actum quo quis in defectum* [rationis] *incidit.* » — Et ita potentes ad bibendum peccant graviter : — si ob speciales circumstantias grave scandalum se praebituros esse praevideant, ut accidere potest, dum clerici aut religiosi nimio potui indulgent; — si inde familiae curam non habeant, eam ad indigentiam redigant, debita non solvenda contrahant, aut advertant ad probabile periculum vitam notabiliter abbreviandi aut contrahendi diuturnam podagram, gravem dolorem capitis aut nauseam stomachi ad plures dies, febrim, etc., ad normam eorum quae dicta fuerunt supra (pag. 226) : quia tunc peccant graviter non solum contra charitatem propriam, sed etiam contra jus Dei, abutentes corpore et valetudine, cujus administratores sunt, non vero domini. Unde merito in illos evibratur (Is. V, 22. : « *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* » Et (Prov. XXIII, 29-30) : « *Cui vae?... Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis?* »

Q. 62. Utrum opus sit se inebriare *voluptatis causa*, ut detur peccatum EBRIETATIS?

R. *Controvertitur.* — Sententia communissima *affirmat,* cui favet S. THOMAS (1. 2. q. 88, a. 5 ad 1), inquiens : « *De ebrietate vero dicendum est,... quod sit peccatum mortale. Quod enim homo* ABSQUE NECESSITATE *reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur, et multa peccata occurrentia vitat,* EX SOLA VOLUPTATE VINI, *expresse contrariatur virtuti.* » — Ita quoque sentiunt : CAJET., celeber iste D.TH. interpres (p. 190), BANN., SPOR., VALENT., LESS., LAYM., DICAST., alii. — Juxta hanc sententiam, si quis bibat ad privationem rationis, non quidem ob delectationem, sed ex alia *levi* vel *insufficienti causa,* — v. g. ut satisfaciat amico, ut vincat per aequales haustus, ut non incurrat offensam, ut non vapulet vel diffametur, — non admittit *formalem,* sed tantum *materialem* ebrietatem, quae non est intrinsece mala, sed licita ex urgenti causa ; — peccat tamen mortaliter : quia *sine justa causa* se privat bono naturae praestantissimo, nempe ratione, cujus ipse non est dominus, sed custos ; sicut peccat mortaliter, qui sine justa causa sibi abscinderet brachium. — Cfr. LACROIX (V, 319) ; — JANSEN Ord. Praem. (Cas. XIII, 8).

Resolvitur. Ex communissima sententia peccatum mortale *perfectae ebrietatis* definiri potest : *excessus voluntarius in potu, voluptatis causa factus, usque ad violentam privationem usus rationis per tempus notabile.* — Unde malitia perfectae ebrietatis in eo videtur reponenda, quod quis sine justa et gravi causa, tantum ob voluptatem aut ingluviem, sciens volens pro notabili tempore privet se usu rationis ; non quidem simpliciter (id quod fit in somno, modo naturali instituto ad virium conservationem), sed violenter et modo innaturali, rationem perturbando et simul privando se proxima potestate utendi ratione ad omnem subitam necessitatem, juxta dicta superius (pag. 230).

Q. 63. An *licitum* sit se inebriare ad morbum depellendum, aut ad ustionem vel sectionem facilius sustinendam?

R. *Controvertitur.* — Sententia communissima *affirmat :* quia, ut ait MAYR ex SPOR., « recta ratio non prohibet, imo potius suadet, ad aliquod breve tempus usu rationis destitui,

ut deinceps, reparata valetudine, munera rationis rectius et diutius praestentur.» Et sicut in his casibus adhibetur opium (1) et aether, ita etiam potus inebriativus adhiberi posset.— Hinc ait ANGELICUS 2. 2. q. 50, a. 2, ad 3) : «*Cum aliquis multum... bibit secundum consilium medicinae... non est reputandus superfluus potus.*» Et alibi, ut dictum fuit pag. 232, vitium ebrietatis reponit in potu superfluo «*sine necessitate*» et «*ex sola vini voluptate.*»

Explanatur. Praecipua argumenta patronorum hujus sententiae sunt : 1°) Quia, si non bibatur ex voluptate, non est ebrietas formalis, sed materialis, quae non est intrinsece mala, sed licita ex urgenti ratione. — 2°) Quamvis homo non sit dominus suae rationis, sicut non est dominus suorum membrorum, licite tamen ad conservandum totum abscindit membrum ; ergo etiam licite ad tempus se privat usu rationis, ut vita et ratio conserventur in futurum. — 3°) Potus necessarius ad conservationem vitae non est contra sobrietatem, ut docet S. THOM. (2. 2. q. 141, a. 6); sed talis potus est necessarius ad conservationem vitae, ergo. — 4°) Non est contra charitatem propriam abscindere brachium pro conservanda vita ; ergo nec contra sobrietatem sopire per potum ad tempus rationem, ut conservetur totum, ratio et vita. — 5°) Ex gravi causa licitum est sumere pharmacum soporiferum, etsi quis statim ex somno ad usum rationis excitari non possit, ergo et ex tali causa sumere potum inebriantem.

Resolvitur 1. Si quis metu mortis cogatur ad compotationem, probabiliter non peccat, si bibat cum praevisione perfectae ebrietatis : quia ebrietas in casu non est formalis, sed tantum materialis ; licet autem ponere causam de se non malam, ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, si adsit justa ratio et finis agentis sit honestus (pag. 17). — Secus dicendum, si coactio fiat in odium virtutis seu formaliter ad ebrietatem. Quo sensu cum LESSIO intelligendum est illud vulgati AUG. (serm. 252) : « *Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur : aut bibas*

(1) Circa **opium** ex S. OFF. prodiit *Instructio ad vicarios apostolicos in imperio Sinarum et finitimis regnis atque provinciis* (29 Dec. 1891). Apud N. R. T. (XXIV, 155 seqq.).

aut morieris, melius erat, ut tibi caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.» — **Resol. 2.** Perperam agunt medici, qui moribundum, praesertim nondum bene praeparatum, eo fine inebriant aut aliis mediis usu rationis privant, ut dolores et mortem non sentiat : quia nullo unquam tempore magis necessarium est, ut homini servetur facultas merendi seseque cum Deo reconciliandi.

Q. 64. An *liceat* aliquem inebriare, ut a malo majori, v. g. ab homicidio committendo, impediatur?

R. *Controvertitur.*—Probabilis est sententia *affirmativa* : quia licitum est inducere alium ad minus malum, ut impediatur a majori, quod aliter impediri non possit. Neque inducens tunc quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. — Cfr. S. Lig. (V, 77).

Q. 65. An sint *imputanda* omnia mala in ebrietate, tum perfecta, tum imperfecta, commissa?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° Si **nullatenus,** nequidem in confuso, fuerint praevisa, non imputantur; — **2°** si fuerint **sufficienter** praevisa, imputantur quidem mala *operis,* tum commissionis tum omissionis; et pariter mala *oris* seu verba contumeliosa prolata *in Deum,* v. g. blasphemiae, cum illa sint intrinsece mala; — secus vero, si *contra homines* proferantur, cum ex communi aestimatione nullam injuriam inferre censeantur.— Cfr. S. Lig. V, 78 ; — Bill.

CAP. II. — De luxuria.

DISPUTATIO 1ª. — DE LUXURIA IN GENERE.

Q. 66. *Quid* sit LUXURIA?

R. Luxuria, quae opponitur castitati, est *appetitus inordinatus delectationis venereae,* i. e. quae sentitur circa partes genitales per commotionem seminis vel spirituum generationi deservientium.

Explanatur. Dicitur **venerea,** quia naturaliter ordinatur ad promovendam generationem, cui Deam *Venerem* praesidem facie-

bat insanieus et impia gentilitas. — Haec autem delectatio *venerea* non est confundenda cum delectatione **sensuali** seu **organica**, quae fit cum aliqua alteratione corporis per motum spirituum vitalium circa pectus sine commotione venerea, quaeque oritur ex conformitate sensus ad sensibile, v. g. visus ad visibile, tactus ad tangibile, auditus ad audibile, ut videre pulchrum objectum, tangere rem mollem, audire vocem sonoram; haec enim delectatio, licet facile ad veneream conducere possit, de se vel culpa vacat, vel saltem venialem non excedit.

Q. 67. *Quantum* peccatum sit LUXURIA *voluntaria?*
R. Est peccatum *grave ex genere suo.*

Explanatur. Ratio est : quia graviter repugnat — tum legi *divinae*, ut constat ex Apost. GALAT. V, 19-21 ubi inter opera, quae excludunt a regno Dei, enumerat LUXURIAM; — tum legi *naturali*, quippe usus rei venereae institutus et necessarius est ad solam conservationem seu propagationem generis humani; quare non potest extra matrimonium, nec etiam in matrimonio, nisi debito modo, usurpari, sine gravi recti ordinis perturbatione.

Q. 68. Utrum in LUXURIA detur parvitas materiae?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° *In re venerea extra matrimonium* **directe** *volita* non datur parvitas materiae : quia, attenta humanae naturae fragilitate, ex minima delectatione sic volita sequitur periculum proximum ulterioris consensus (p. 197. Confirmatur ex prop. ab ALEX. VII damnata sub n. 40 : « *Est probabilis opinio quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem* CARNALEM *et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.* » — Dixi : *in re* **venerea**; nam in materia *sensualitatis* seu in delectatione *organica*, de qua supra q. 66, « *pro certo habeo, saltem speculative, admittendam in ea levitatem materiae.* » — Ita post multos alios eosque gravissimos, quos inter numerantur : S. ANT., SYLV., MOL., SPOR., GABRIEL, SANCH., LESS., FILLIUC., WIGG., STRUGGL., HENNO, TAMB., sentit (*De temp.* diss. V. art. II) BILLUART, qui inter Principes Theologiae non infimum sane locum occupat. — Imo et videtur opinio S. THOMAE (2. 2. q. 154, a. 4) qui non agnoscit oscula

libidinosa, nisi ea quae fiunt ob delectationem peccati mortalis, ut fornicationis. — « *Unde,* ait Billuart, *sicut qui audit vocem sonoram, qui gustat cibum sapidum, praecise* [seu unice] *propter delectationem* **organicam** *seu* **sensualem** *inde exortam, non peccat nisi venialiter; ita non peccat nisi venialiter, qui aspicit pulchram mulierem, aut tangit ejus manum seu faciem, praecise propter delectationem mere* **organicam** *seu* **sensualem**,... *ita quod non sit aliud quam delectatio de re pulchra quae videtur aut de re blanda, molli, tenera, quae tangitur absque alia cujuscumque rei turpis delectatione.* » — Quia tamen a delectatione sensuali ad veneream, maxime in sensu tactus aut visus, facilis est progressus, propter sympathiam et affinitatem utriusque, ideirco addit : « *consultum est omnibus castitatem amantibus, his delectationibus organicis non* **immorari**; » et paulo inferius scribit (loc. cit. diss. VI. art. XVI) idem Billuart : « *Si tactus, et oscula praesertim, ob delectationem sensualem* morose *fiant, aut* pluries eodem momento *repetantur, non facile excusarem a mortali : quia sic facta videntur non leviter influere in commotionem et delectationem vicinam, nempe veneream.* » — E contra 2°) *in re venerea* **indirecte** *tantum volita in causa* datur parvitas materiae; et ita a mortali excusantur motus turpes, etiamsi graves, qui sequuntur ex actione in se quidem mala et plene deliberata, sed quae in istos motus *leviter* tantum influit, dummodo in se displiceant, nec adsit periculum consensus. — Censetur autem *leviter* tantum influere : — A) si sit tantum venialiter mala ratione luxuriae, v. g. lectio leviter turpis, oscula, tactus, aspectus in partibus honestis causa levitatis, joci, etc.; et hinc motus turpis, quin imo pollutio, ex talibus praevisa, est tantum venialiter mala, suppositis supponendis, quia nonnisi voluntaria in causa venialiter mala; — B) si causa non sit peccatum in genere luxuriae, quamvis sit mortale in alio genere, v. g. ebrietas; et hinc pollutio ex ea praevisa est venialis tantum, quia est levis inordinatio tantum contra castitatem sine justa causa ponere aliquid remote disponens ad pollutionem.

Q. 69. *Quaenam* sint *filiae* luxuriae?

R. *Distinguendum* inter filias *interiores* et *exteriores.*

Explanatur. A S. Gregorio *octo* filiae **interiores** luxuriae

assignantur : — *caecitas mentis*, qua debiti finis, quem sibi quisque in agendo praefigere debet, consideratio impeditur ; — *praecipitatio*, qua fit, ut homo non adhibeat deliberationem sufficientem circa media ad finem ; — *inconsideratio*, qua impeditur sanum de agendis judicium : luxuriosus enim ordinarie nec modum, nec statum rerum considerat ; — *inconstantia*, qua impeditur imperium rationis circa exsecutionem agendorum ; — *amor sui*, quo luxuriosus amat carnem suam et ejus voluptates ; — *odium Dei* luxuriam prohibentis et punientis ; — *affectus praesentis saeculi*, cui luxuriosus ita adhaeret, ut in eo semper vellet manere ; — *horror* et *desperatio futuri saeculi*, eo quod ex una parte nihil ibi luxuriosus exspectet, nisi gehennam luxuriosis praeparatam ; et ex alia parte, obscoenas voluptates deserere, sibi quasi impossibile reputet. — Et ab Isidore *quatuor* filiae **exteriores** adduntur : — *turpiloquia*, — *scurrilia*, — *ludicra* et — *stultiloquia*. — Cfr. S. Th. (2. 2. q. 153, a. 5) ; Bill.

R. 70. *Quaenam* sint luxuriae *remedia?*
R. Sequentia vulgo assignantur.

Explanatur. Scilicet : — 1°) **Oratio** humilis et frequens : « *Quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det,* » ut ait Sapiens VIII, 21 ; — 2°) **Sobrietas** ; et hinc non facile invenies castum, qui vino est addictus ; unde dicit S. Hier. (in cap. 1 epist. ad Tit. : « *Nunquam ego ebrium castum putabo.* » — 3°) **Custodia sensuum,** maxime oculorum ; — 4°) **Fuga occasionum,** et praecipue familiaritatis cum altero sexu ; hic homo vincit fugiendo, in aliis saepe pugnando, unde ait D. Aug. : « *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* » — 5°) **Vitatio otii,** praecipue somni prolixioris, et **Studium** ; — 6°) **Carnis macerationes et jejunia,** dicente Christo (Matth. XVII, 20) : « *Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium ;* » — 7°) Assidua piorum librorum **lectio,** munimen sanctarum cogitationum, praesertim divinae **praesentiae,** meditatio **novissimorum,** juxta illud (Eccli. VII, 40) : « *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis ;* » — 8°) Prae ceteris omnibus, **recursus** *perpetuus ad SS. Corda Jesu et Mariae.* — De remediis luxuriae late tractat Cat. Rom., ubi agit de sexto Decalogi praecepto.

DISPUTATIO 2a. — DE LUXURIA IN SPECIE.

ART. I. — De peccatis luxuriae consummatis intra naturam, scilicet : de fornicatione, adulterio, stupro, raptu, incestu et sacrilegio carnali.

Q. 71. *Quid* 1°) sit FORNICATIO? — *Quid* 2°) CONCUBINATUS? — et 3°) *Quid* MERETRICIUM?

R. Ad 1um) FORNICATIO proprie ex communiori sententia est *coitus inter solutos ex mutuo consensu.*

Explanatur. Dicuntur **soluti,** qui non solum liberi sunt a vinculo matrimoniali, sed et a mutua cognatione vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiae, et ab Ordine sacro. — Per haec itaque verba FORNICATIO differt : ab *adulterio*, *incestu* et *sacrilegio* ; — per reliqua, scilicet : **mutuo consensu,** distinguitur : a *stupro* et *raptu*. — Dixi 1°) **proprie** : quia interdum sumitur fornicatio pro quovis illicito congressu ; et ita (MATTH. V, 33) sumitur pro adulterio cum dicitur : « *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta* FORNICATIONIS *causa, facit eam moechari.* » — Dixi 2°) **ex communiori sententia** : quia plures supprimunt in definitione verba *ex communi consensu*, eo quod existiment adesse *stuprum*, si **virgo,** etiam consentiens, defloretur ; sed cum alii plures cum S. LIG. (III, 445) exigant ad stuprum quod virgo *invita* violetur, probabile saltem est, casu quo virgo suae defforationi consentit, quod tunc adsit dumtaxat simplex fornicatio, ut fusius infra dicetur. — Est autem fornicatio peccatum *mortale,* dicente Apostolo de illa (GAL. V, 21) : « *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur ;* » et alibi (EPH. V, 5) : « *Omnis fornicator aut immundus non habet haereditatem in regno Christi et Dei.* » — Imo est *intrinsece mala :* quia, ut docet S. THOM. (2. 2. q. 154, a. 2) ob periculum male educandae prolis concubitus vagus inter homines est contra jus naturae. — Nec juvat, quod periculum illud videatur posse tolli aut in casu particulari cessare : quia sufficit manere secundum se. — Constat praeterea ex propositione damnata ab INNOC. XI sub n. 48 : « *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* »

R. Ad 2um) et 3um) Ad FORNICATIONEM reducuntur : — 1°) CONCUBINATUS, qui est commercium habituale soluti cum soluta, quam velut uxorem domi retinet, vel alibi ad eum usum asservat; quare si filiusfamilias rem habet cum famula, licet adsit animus perseverandi, non dicitur proprie CONCUBINATUS : quia non ipse detinet in domo famulam, sed pater; — 2°) MERETRICIUM, quod est status mulieris omnibus prostitutae. — De se speciem peccati non mutant; per accidens tamen utriusque circumstantia saepius in confessione est declaranda, ad statum et peccatorum genus manifestandum.

Resolvitur 1. Merito damnata fuit ab ALEX. VII sequens propositio sub n. 25 : «*Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*» Ratio : quia fornicatio non tantum est intrinsece mala; sed etiam specie distincta ab omni alio peccato contra castitatem. — **Resol. 2.** Ex S. THOM. 2.2. q. 154, a. 6 ad 1, **prima fornicatio** specifice distinguitur a sequentibus, quia specialiter opponitur virginitati. — Ast DD. communiter contradicunt : quia ubique est contra castitatem tantum; et licet prima opponatur virginitati, haec tamen est virtus de consilio, non vero de praecepto. — Admissa D. THOM. sententia, dicendum tamen est cum BILL., WIGG., DAELM., aliis, hanc malitiam, specifice distinctam, non adeo esse gravem, ut necessario debeat exprimi in confessione, sed venialem tantum. Et ideo, ut caeteroquin fert praxis universalis, non oportet interrogare poenitentem, an ipse vel cum qua peccavit, fuerit virgo vel non? — **Resol. 3.** Similiter fornicatio cum *infideli* non habet malitiam specialem saltem gravem et necessario explicandam : quia non satis apparet, unde haec desumi debeat; et quamvis Ecclesia in reverentiam fidei et baptismi prohibuerit cum infidelibus matrimonium, nullibi tamen prohibuit fornicationem, et in odiosis non est facienda extensio; — in matrimonio est alia ratio prohibendi : scilicet periculum perversionis propriae vel prolium ob individuam vitae societatem, quod locum non habet in fornicatione. Ita JANSEN, cum SYLVIO, TAMB., aliis, contra BILL., SASS., LESS., SPOR., DELUG. — **Resol. 4.** Ex parte **viri** *fornicantis* plerumque adest specialis malitia scan-

dali : quia saltem causat actuale peccatum externum; ordinarie tamen non tenetur hoc exprimere in confessione : cum enim vir incitare soleat, hoc prudenter praesumitur. Aliud est, si femina primo invitaret, aut si sollicitatio viri effectum non habuerit, aut diu post sollicitationem sequatur copula (pag. 207 seq.). — **Resol. 5.** Qui fornicatus est cum tribus feminis vel ter cum eadem, per se satisfacit dicendo : se ter fornicatum fuisse, nec tenetur exprimere numerum feminarum, saltem quantum est ex capite fornicationis, quia in omnibus est eadem specie malitia. Tenebitur tamen respondere confessario interroganti, quia posset esse occasio proxima relabendi, quando saepius cum una fecisset, et ideo dixi : *per se.* (Bill.; Lacroix VI, 1040). — **Resol. 6.** Qui ex vera displicentia peccati, inchoata copula, se retrahit etiam cum pollutione, bene facit et ad hoc tenetur : quia nullum est instans in quo quis non teneatur cessare a peccato actuali, et pollutio ob justam causam permittitur (Bill.). — Si autem id faciat, prout fieri solet, ad impediendam generationem et infamiam, sequaturque pollutio, triplicem committit malitiam specie distinctam : fornicationis inchoatae, mollitiei consummatae et intentionis positivae impediendi generationem (Sass.). — **Resol. 7.** Fornicatores a confessario interrogandi sunt, num proles ex fornicatione nata sit aut nascitura; an non prolis conceptionem impedire aut abortum procurare tentaverint aut prolem natam neglexerint (Bill.). — **Resol. 8.** Regulariter loquendo, nec concubinarii nec meretrices absolvi possunt, nisi de remota occasione et de emendatione constiterit (S. Lig. III, 435). Idem dic de lenonibus et lenis, qui quaestus causa proprias vel alienas feminas prostituunt.

Q. 72. An *permitti* possint *meretrices?*
R. *Controvertitur.*

Explanatur. Multi **affirmant** cum S. Thoma (2. 2. q. 10, a. 11; — Opusc. X, l. IV, c. XIV), fuitque expressa sententia S. Aug. (l. IV de Ord. c. 4) dicentis : « *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* » — Alii **negant,** quibus magis adhaeret S. Lig. (III, 434).

Resolvitur. In *praxi* absolvendi sunt magistratus *urbium* qui bona fide asserunt, se malum istud tollere non posse. In dubiis

namque ad confessarium non pertinet definire quid agere debeant ii quibus difficilia commissa sunt negotia, uti sunt judices, magistratus, duces exercitus, reges aut ministri.

Q. 73. An FORNICATIO *sponsorum* cum *extranea* persona *mutet* speciem?

R. Probabilius *negative* : quia licet uterque sponsus se obliget ad matrimonium ineundum, neuter tamen aliquod jus tradit alteri in corpus suum. — Excipe casum quo fornicatio induceret periculum ne sponsus prolem alienam alere cogatur : tunc enim, ut patet, justitia laederetur.—Cfr. S. LIG. (III, 447).

Q. 74. *Quid* 1°) sit ADULTERIUM, — et 2°) *quot modis* committatur?

R. Ad 1um) Est *violatio thori alieni*. Superaddit gravem malitiam injustitiae.

R. Ad 2um) *Tripliciter* autem contingit : — 1°) dum conjugatus cognoscit solutam ; — 2°) dum solutus conjugatam ; — 3°) dum conjugatus conjugatam, ubi triplex est malitia gravis : una contra castitatem, duae contra justitiam, quia violantur duo distincta jura.— Nec abest malitia ADULTERII, licet altera pars consentiat : quia equidem fit injuria statui et juri conjugali, cui cedere non possunt conjuges. Hinc damnata fuit ab INNOC. XI sub n. 50 sequens propositio : « *Copula cum conjugata*, CONSENTIENTE MARITO, *non est adulterium ; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* »

Resolvitur 1. Majus peccatum est conjugatae cum soluto, quia magis repugnat juri naturae : mulier enim duobus viris copulata impedit saepe generationem ; saepe nescitur, quis sit pater prolis in hujus damnum ; specialem saepe injuriam facit aut saltem se exponit evidenti periculo illam faciendi marito et legitimis prolibus (SASS. ; BILL.). — **Resol. 2.** Adulterium committitur in omni specie luxuriae saltem externae, etiam contra naturam, sicut et in osculis, tactibus impudicis : quia in illis omnibus fit injuria conjugi juxta illud (1 COR. VII, 4) : « *Vir non habet potestatem sui corporis* » et e contra. — **Resol. 3.** Simplex delectatio morosa in conjuge circa aliam probabilius reducitur ad adulterium, quia est contra jus alterius conjugis : ob mutuam enim animorum traditionem

fides matrimonii exigit, ut nequidem mentem ponat in aliam, et saltem motus venerei, quos causat interna delectatio, sunt contra jus alterius conjugis (Lacroix VI, 1052). — **Resol. 4.** Si vir cum propria uxore exerceat sodomiam [imperfectam], uterque peccat duplici peccato adulterii ; quia accedit ad corpus non suum formaliter, i. e.: in ordine ad finem a matrimonio intentum qui est generatio prolis; nec potest se satis accusare, nisi dicat quod cum propria uxore id fecerit : quia dicendo simpliciter cum conjugata, significaret se alteri conjugi fecisse injuriam quod verum non est, quando cum suo vel sua fecit (Sass.; — Lacroix VI, 1056).

Q. 75. *Quid* sit STUPRUM?

R. De natura stupri non conveniunt Doctores. *Duplex* datur sententia.

Explanatur. Juxta **primam** sententiam, S. Thomas (2. 2. q. 154, a. 6) Gratianum et Magistrum sententiarum secutus, et cum eo antiquiores TT., quos inter S. Bonav., S. Antonin., Cajet., Tolet., Bann., Sylv. et alii plures, tenent ad rationem stupri, quatenus est species distincta luxuriae, sufficere congressum cum *virgine,* sive adsit violentia, sive non. Unde quoque stuprum ab ipsis definitur : *Illicita* **virginis** *defloratio.* Ratio eorum est : quia in illicita defloratione *virginis,* etiam ultro consentientis, est specialis deformitas circa materiam luxuriae : — tum ex parte puellae quae sic impeditur a legitimo matrimonio et in via meretricandi ponitur ; — tum ex parte patris qui de ejus custodia sollicitudinem gerit ; — tum ex oppositione quam habet hujusmodi concubitus cum speciali virtute, scilicet virginitatis : specificantur enim peccata per oppositionem ad virtutes speciales. — Interim existimat Billuart post Wiggers et Daelman stuprum virginis ultro consentientis non superaddere fornicationi simplici malitiam *mortalem.* quae sit necessario in confessione explicanda, sed venialem dumtaxat ut dictum fuit (pag. 239). — Juxta **secundam** sententiam, quam defendunt Dom. Soto, Navarr., Sanch., Less., S. Lig., Gousset, alii, stuprum **proprio** et **stricto** *sensu* est *violenta* virginis *defloratio ;* — sive fiat per violentiam *physicam,* ut si vi superetur virgo dormiens, amens, ebria, reluctans ; — sive *moralem,* i. e. per metum gravem et injustum, etiam reverentialem ; per

fraudulentam matrimonii aut magnae dotis ad aliud matrimonium promissionem; per repetitas importunas preces, saltem si his adjunguntur minae. — Superaddit iterum gravem malitiam injustitiae. — Hoc *stricto sensu* STUPRUM accipitur, cum agitur de *reservatione* casuum vel de *poenis* per SS. Canones in stupratorem infligendis. — Ceterum **virginis** nomine in utraque sententia non intelligitur illa quae virtutem virginitatis sic servavit, ut nullo peccato luxuriae fuerit maculata; sed illa quae virginitatis signaculum retinet integrum, quamvis aliunde delectationibus venereis aut mollitie sit polluta sicque amiserit irrevocabiliter virtutem virginitatis. Igitur virginitas hic supponit non pro virtute, sed pro statu integritatis. — **Signaculum** autem virginale quidam reponunt in quadam membrana seu pellicula, quae *hymen* dicitur et virili coitu lacerata aboletur. Alii autem volunt nihil aliud esse quam compressionem seu complicationem orificii vasis feminei, quae congressu viri dilatatur sicque vas aperitur. « Idque, ait BILL., verius videtur, quod juxta medicos et anatomicos modernos, praedicta pellicula non reperiatur in omnibus virginibus, maxime junioribus. — Dixi : **proprio et stricto sensu**; nam *lato sensu* est oppressio mulieris *cujuslibet;* unde malitia STUPRI, licet proprie non STUPRUM, habetur, si violentata sit quaevis femina, etiam vidua, corrupta, aut matrimonio juncta.

Resolvitur. Defloratio virginis, ipsa consentiente, non est stuprum, sed tantum fornicatio simplex S. LIG. III, 443), vel saltem circumstantia, esto forte specifice distincta, non adeo gravis, ut debeat necessario aperiri in confessione, juxta dicta (p. 239) de prima fornicatione.— Potest tamen aliunde esse speciale peccatum, ratione infamiae, vel moeroris parentum, vel rixarum, odii, etc. (S. LIG. ibid.).

Q. 76. *Quid* sit RAPTUS?

R. RAPTUS, prout est *luxuriae species*, est abductio cujuscumque personae, sive maris, sive feminae, in ordine ad explendam cum ea libidinem, per vim, — sive *physicam*, — sive *moralem*, i. e. metum gravem, fraudem et dolum,— illatam personae raptae, vel iis quorum potestati subest, nempe parentibus vel tutoribus.— Superaddit gravem malitiam inju-

riae. — Differt a STUPRO proprie tali, quod hoc fiat cum *virgine;* RAPTUS cum *quacumque* persona, et per hunc fit abductio de loco ad locum. — De RAPTU, prout est *impedimentum matrimonii,* agitur in tractatu de matrimonio.

Resolvitur 1. *Raptus* est peccatum a STUPRO *specifice* distinctum. Raptor enim adimit injuste libertatem, quae est bonum ab integritate carnis distinctum. Ex quo sequitur, circumstantiam raptus necessario in confessione esse exprimendam, licet libido expleta non fuisset, vel licet persona abducta in peccatum libere consensisset. — **Resol. 2.** Eo gravior est raptus, quo persona rapta graviores inducit qualitates; et ita si sit conjugata, est simul adulterium; si Deo sacra, simul sacrilegium; si ejusdem sexus, simul sodomia, et ita de caeteris (BILL.; — SASS.). — **Resol. 3.** Si persona ad alium finem abducatur, v. g. ut adhibeatur ad servitia, raptus iste est quidem peccatum contra justitiam, sed non est species luxuriae. Similiter, si femina majorennis vel emancipata, sponte sua cum amasio, insciis parentibus, discedit, talis discessus non est proprie raptus, sed fuga, non addens malitiam specie distinctam fornicationi (S. LIG. III, 444).

Q. 77. *Quid* sit INCESTUS?

R. Est concubitus cum cognatis carnalibus, spiritualibus, legalibus, vel cum affinibus, intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos. — Addit malitiam gravem contra reverentiam et pietatem parentibus et propinquis debitam.

Resolvitur. Sub concubitu tanquam sub actu principali intelliguntur oscula, tactus, et aliae impudicitiae inter illas personas, quia ad concubitum ordinantur ideoque pertinent ad incestum, sicuti cum conjugata ad adulterium, cum soluta ad fornicationem, cum eodem sexu ad sodomiam (BILL.; — SASS.).

Q. 78. An omnis INCESTUS sit *ejusdem speciei?*

R. DD. variant. S. LIG. (VI, 469) ait : — 1°) probabiliorem esse sententiam, quae cum S. THOMA (2. 2. q. 154, a. 9 ad 2) docet INCESTUM cum *consanguinea* specie non differre ab incestu cum *affine.*— Ratio : quia materialiter se habet, quod conjunctio oriatur ex sanguine aut ex matrimonio, cum ex

eodem pietatis motivo prohibeatur copula cum consanguineis et cum affinibus. — 2°) Absolute autem affirmat (III, 450) : INCESTUM inter cognatos *spirituales* et *legales*, ratione scilicet adoptionis, tum inter se, tum a prioribus specie differre.— Ratio : quia diversae cognationes ortum habent a radicibus formaliter diversis, videlicet cognatio naturalis a natura, cognatio spiritualis a sacramento, cognatio legalis a lege. Imo ex S. TH. (ibid. a. 10 ad 2) per copulam inter cognatos spirituales committitur sacrilegium ob reverentiam sacramenti : quae tamen malitia eadem est sive ex baptismo, sive ex confirmatione cognatio spiritualis sit orta, sive peccatum fiat cum filia spirituali sive cum ejus matre. — 3°) Quoad diversos autem gradus, idem S. LIG. (VI, 469 seq.) docet solum *primum* tum consanguinitatis tum affinitatis gradum in linea *recta* specie ab aliis gradibus differre.

Resolvitur 1. Extra *primum* gradum in linea *recta*, sive consanguinitatis, sive affinitatis, circumstantia gradus, etsi peccatum notabiliter aggravet, non est necessario in confessione aperienda. — **Resol. 2.** Confessarius rem habendo cum sua poenitente non committit incestum, cum inter eos nulla cognatio spiritualis exsistat : haec enim ex solo baptismo aut confirmatione oritur. Imo, peccatum confessarii simplicis cum sua poenitente, absque ullo respectu ad sacramentum, licet habeat forte aliquam specialem deformitatem, haec tamen non videtur talis ac tanta, ut debeat necessario exprimi in confessione. Dixi : *simplicis;* quia si confessarius esset *pastor*, foret circumstantia necessario exprimenda in confessione; quia tunc peccaret contra justitiam, cum vi officii sui teneatur etiam extra confessionem suas oves a peccato verbo et exemplo arcere et bonis moribus imbuere (BILL.; — S. LIG. III, 451).

Q. 79. *Quid* sit SACRILEGIUM CARNALE?

R. Est *violatio rei sacrae per actum venereum.* — Per *rem sacram* intelligitur persona sacra, locus sacer et alia quaecunque res sacra ab his distincta. — Hinc triplex hoc SACRILEGIUM distinguitur : *personale*, *locale* et *reale*. — Addit autem malitiam specie distinctam contra religionem.

Q. 80. Quandonam SACRILEGIUM CARNALE *personale* 1°) locum habeat,— et 2°) *quibus modis* committatur?

R. Ad 1um) *Proprie* et *in rigore* loquendo, juxta *probabiliorem* sententiam, locum tantummodo habet per peccatum carnis personae Deo sacratae per votum *solemne* castitatis, in professione religiosa vel in susceptione sacri ordinis emissum : quia res sacra proprie illa tantum dicitur, quae publica auctoritate et ritu ad cultum Dei est consecrata. — Unde, licet peccatum carnis commissum a persona voto *simplici* castitatis obstricta sit contra virtutem religionis, specialiter in confessione explicandum, non tamen est *proprie* SACRILEGIUM CARNALE.

R. Ad 2um) Committitur SACRILEGIUM CARNALE *personale* per omnes species luxuriae, et quidem hisce sequentibus modis : — 1°) dum persona sacra se ipsam contaminat impuris cogitationibus, aspectibus, tactibus, etc.; — 2°) dum similis libidinem suam explet in persona non sacra, ubi haec contrahit malitiam sacrilegii, licet pure permissive se habeat : quia cooperatur peccato alterius, facitque injuriam Deo, dum permittit se v. g. tangi a persona Deo sacra; — 3°) dum e contra persona non sacra haec exercet in sacram; — 4°) dum in illis actibus utraque persona est sacra, ubi *duplex* est SACRILEGIUM : quia uterque violat votum in se et in alio. — Exsistens autem in ordine sacro et simul solemniter professus, uti v. g. sacerdos simul et religiosus, castitatem laedendo, probabilius *unicum* tantum SACRILEGIUM committit : sive enim dicas ordinatum ad castitatem obligari ex voto implicito sacris ordinibus annexo, sive tantum ex praecepto Ecclesiae, utravis obligatio ex eodem motivo virtutis religionis versatur circa idem objectum, nempe castitatem.— Cfr. SASS.; — BILL.

Resolvitur. Non est reus sacrilegii sacerdos inducens laicum ad impudica : quia non vovit castitatem alienam, sed propriam; sicut si uterque voto jejunandi teneretur et unus alteri consuleret non jejunare, consulens non peccaret contra votum suum. — Nec obstat quod alter consulens impudica, censeatur velle et amare impudica; amat quidem et vult in alio, sed non in se ipso, nisi ea consulendo alteri, eis ipse delectaretur (BILL.; —S. LIG. III, 455 seq. et H. A. IX, 20).

Q. 81. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM CARNALE *locale?*

R. 1°) Committitur per *quamcumque voluntariam seminis humani effusionem in loco sacro*, id est : ab episcopo ad divina officia celebranda aut mortuos sepeliendos destinato et benedicto, ut sunt ecclesiae, coemeteria; non autem sacristia, campanile, oratoria privata, quamvis ibi dicatur missa ex concessione S. Pontificis;—adeoque non tantum per *illicitam*, — sed etiam *licitam* conjugum extra casum necessitatis; — nec tantum per *notoriam*, qua locus sacer *polluitur*, — sed etiam ex communiori DD. per *occultam* : quia repugnat sanctitati loci carnalis copula vel pollutio. — Dixi : *extra casum necessitatis* : puta si adsit periculum incontinentiae, vel quando diu in ecclesia permanere deberent, i. e. per 10 dies, vel probabilius per mensem aut saltem 20 dies; imo, si judicarent se per mensem in ecclesia esse mansuros, etiam ab initio mensis copulari possent. — 2°) Utrum committatur per reliquos actus externos impudicos, *absque seminis effusione*, v. g. per colloquia, aspectus, oscula, tactus impuros, *controvertitur*. — *Negat* probabilis sententia, nisi publice cum magna irreverentia loci fierent.—3°) Tandem, « *actus interni sive cogitationes non sunt* SACRILEGIA, *nisi sint de peccando externe in ecclesia.* » Ita S. Lig. (H. A. tract. IX, 22).

Q. 82. Quandonam committatur SACRILEGIUM CARNALE *reale?*

R. Si quis re sacra i. e. ad sanctificandas animas instituta vel ad Dei cultum consecrata aut benedicta utatur ad turpitudines; — si verba sacra, praesertim S. Scripturae, applicet rebus obscenis; — si sacerdos turpiter peccet gestans eucharistiam, vel indutus ad missam, vel statim post communionem, v. g. infra mediam horam.—Cfr. S. Lig. (III, 463;—H. A. IX, 23).

Resolvitur. Hinc committitur sacrilegium carnale *reale* : — « si in linteamina aut vasa sacra semen effundatur, — si cereus benedictus, aut, quod est horribile, S. Eucharistia ad philtrum amatorium adhiberetur; — si res sacra, maxime sacrificium Missae promitteretur aut daretur in pretium actus carnalis; secus si actu peracto, in signum benevolentiae offeratur. — Si autem quid im-

pudicum petatur per obtestationem Dei seu B.Virginis aut alicujus Sancti, erit potius blasphemia, quam sacrilegium. » Ita Bill.

ART. II. — De peccatis luxuriae consummatis contra naturam : de sodomia, de bestialitate, de mollitie seu pollutione, ubi de distillatione et motibus carnalibus, et de onanismo.

Q. 83. *Quid* sit peccatum *carnale* CONTRA NATURAM?

R. Est proprie actus libidinosus pervertens ordinem actus carnalis a natura institutum et aptum ad generationem. — Porro ille ordo naturalis haec quatuor requirit ; — 1°) *concubitum duorum ;* — 2°) *eamdem in utroque naturam specificam ;* — 3°) *diversitatem sexuum ;* — 4°) *modum connaturalem concumbendi.*

Resolvitur. Hinc ex S. Th. (2.2.q.154, a.11) sunt **quatuor** species *peccati contra naturam :* — 1ª) si absque omni concubitu, causa delectationis venereae, pollutio procuretur, quod est *immunditia* seu *mollities ;* — 2ª) si fiat per concubitum cum re diversae speciei, v. g. cum bestia aut daemone, quod vocatur *bestialitas ;* — 3ª) si fiat per concubitum ad indebitum sexum, i. e. ad eumdem, puta masculi ad masculum, vel feminae ad feminam, quod dicitur *sodomiticum vitium ;* — 4ª) si servato debito sexu non servetur modus naturalis concumbendi, unde impediatur generatio. Quod potest fieri dupliciter : — A) defectu instrumenti naturalis, ut si vir coeat in vase praepostero ; — B) defectu situs naturalis, ut si mulier supergrediatur virum, aut vir eam cognoscat averse more pecorum, vel a latere, vel stando aut sedendo, aliave ratione insolita, in vase tamen naturali. Hic autem modus non est contra naturam, nisi in quantum per ipsum impediatur generatio ; alioquin erit potius *praeter* quam *contra* naturam, estque tantum peccatum veniale in conjugatis et quandoque nullum, si nempe aliqua ratio exigat ita fieri, quia v. g. mulier est praegnans, vel quia corporis dispositio sive utriusque sive alterius conjugis aliter fieri non patitur.

Q. 84. An *specie* distinguantur MOLLITIES, SODOMIA et BESTIALITAS?

R. *Affirmative*, ideoque ut distincta peccata sunt expli-

canda in confessione, uti patet ex damnatione propositionis ab ALEX. VII sub. n. 24 : « *Mollities, sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* » — De cetero valde cautus, prudens et parcus sit confessarius in interrogandis poenitentibus de hujusmodi peccatis.

Resolvitur. Loquendo de *sodomia* et *bestialitate,* quae olim in dioec. Mechl. erant casus reservati, sapientissime monebatur in Tract. *de cas. reser.* Mechl. 1866, : — « Bene sibi persuasum habeat confessarius, intentionem Reservantis non esse, nec esse posse, ut indagatio in ordine ad reservationem vertatur in occasionem scandalizandi poenitentem. Supponi potius debet, casum non esse reservatum. Unde hic etiam prae oculis habeatur id quod alibi adeo inculcatum fuit, ut confessarii *parce, caste et admodum caute interrogent circa peccata carnis.* »

Q. 85. *Quid* sit SODOMIA?

R. SODOMIA *proprie* dicta, quae et *perfecta* seu *major* dicitur, ex S. THOM. (ibid.) est : « *concubitus ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel feminae ad feminam.* » — « Ubi vides S. THOMAM totam malitiam SODOMIAE repetere *a sexu indebito,* nullatenus a vase indebito sexus debiti, » uti post clarissimos ejusdem S. DOCT. interpretes, CAJETANUM et FERRARIENSEM, Ord. Praed., scite notat BILL.

Resolvitur 1. Hinc ad *veram* SODOMIAM tria requiruntur : — 1°) Ut actus luxuriosus fiat inter personas *indebiti sexus,* i. e. inter marem et marem, seu e converso inter feminam et feminam. — 2°) Ut ponatur per modum *concubitus ;* ac proinde veram SODOMIAM non committeret, ut notat BOUVIER, qui applicaret manum, vel pedem vel simpliciter os ad partes genitales personae ejusdem sexus, etiamsi pollutio locum haberet, quia non fit per modum concubitus. — 3°) Ut congressus fiat *in aliquo alterius corporis vase,* scilicet ut explicat L. FERRARIS (v. *Luxuria,* n. 54) inter mares : cubando cum membro virili in alterius vase posteriori vel ore; et inter feminas : cubando cum vase naturali ad alterius vas naturale, vel vas poterius, vel os. Et proin, vera SODOMIA non foret,

si quis vel quae cum membro genitali, etiam cum seminatione, cubaret ad aliam corporis partem, v. g. ad aurem, inter brachia, inter crura, etc. Unde quoque scribit Roncaglia (tract. XII, cap. ult.): « *non intervenire* sodomiam, *si duo masculi se polluant, dum unus super alium sicut super mulierem supercubet; nam tunc verus coitus non intervenit. Potest solummodo adesse peccatum sodomiae affectivae, si tunc unus cum altero coire desideraret.* » — Attamen ad sodomiam quoque reducitur quicumque concubitus seu corporum conjunctio cum persona ejusdem sexus, in quacumque corporis parte fiat copulae attentatio : quia malitia hujus concubitus, ut ex S. Thom. et communi DD. notat L. Ferraris, « *praesertim consistit in affectu ad sexum indebitum,* » qui quidem affectus regulariter adest, quocumque modo seu in quacumque corporis parte copula attentetur. — Quapropter « *haud opus est in confessione dicere, in qua corporis parte a personis ejusdem sexus attentatus coitus aut seminatio facta sit; nisi, dum* sodomia *est casus reservatus : tunc enim intelligenda est* sodomia *perfecta cum seminatione intra vas.* » Ita P. Van der Velden (tom. I, pag. 398). — **Resol. 2.** Ex S. Th. (ibid.) coitus in vase *indebito* sexus *debiti* non est sodomia, sed alia species peccati contra naturam, quod committitur, ait : « *si non servetur naturalis modus concumbendi.* » — Quia tamen usus loquendi sic invaluit, vocatur sodomia, sed *imperfecta* seu *minor*, concubitus cum persona *alterius sexus*, sed extra *vas naturale*, scilicet si vir coeat in mulieris vase posteriori vel in ore. — Haec autem cum non nisi improprie hoc nomen sortiatur, specie differt cum sodomia *vera* seu *perfecta*. — Et quidem si vir polluatur in ore feminae, haec nefanda turpitudo, ut notant Bill. et S. Lig. (III, 466) a nonnullis speciatim vocatur *irrumatio*. — **Resol. 3.** Probabilius, *per se*, non est declarandum, quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est. Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est; sicut circumstantia quod sodomia habita sit per *vim*, vel cum *conjugata*, *cognata*, *affine* aut *voto castitatis* ligata. — **Resol. 4.** *Poenae* vero contra sodomiam statutae, uti et *reservatio*, intelliguntur de sola sodomia *perfecta*, eaque in genere suo *consummata*, i. e. cum effusione seminis intra vas, in quo fit congressus, nisi aliter exprimatur : odiosa enim sunt restringenda. Imo,

juxta libellum casuum reservatorum in dioecesi Brugensi, « non incurritur casus SODOMIAE reservatus, si concubitus cum carnis resolutione fiat solum in alterius ore. » Ita BLIECK. — **Resol. 5.** Communius dicunt SODOMIAM non posse *consummari* inter feminas. Contrarium existimat L. FERRARIS (l. c.) : « cum secundum plurimos feminae inter se ita misceri possint et ita invicem exardescere, ut mentitis virilibus congressibus, instrumentis quibusdam diabolicis semen intra vas, sive anterius, sive posterius, recipiatur.

Q. 86. *Quid* sit BESTIALITAS?

R. Est *concubitus hominis cum bruto.* — Inter vitia *contra naturam* ex S. THOM. (2. 2. q. 154, a. 12 ad 4) est « *gravissimum,* » vocaturque in Scriptura (Gen. XXXVII, 2) : « *crimen pessimum.* »

Explanatur. Dicitur 1°) **concubitus** : quare non est BESTIALITAS proprie dicta, tangere impudice bestiam, vel in partibus genitalibus propriis admittere linguam bestiae ad voluptatem veneream vel pollutionem in seipso excitandam. — Dicitur 2°) **cum bruto** : scilicet, qualiscumque sit speciei vel sexus, cum tota hujus criminis deformitas sit in accessu ad speciem diversam. — Ad BESTIALITATEM, tanquam species, reducitur *coitus cum* **daemone** *succubo vel incubo,* in assumpto corpore, ubi malitiae BESTIALITATIS superadditur specialis malitia contra religionem, propter nefandum commercium cum hoste Dei infensissimo, ac praeterea malitia *sodomiae, adulterii, sacrilegii, incestus,* prout est affectus coeuntis cum daemone apparente. — Interim, quamvis possibilitas hujus coitus negari nequeat, factum tamen severa indiget probatione.

Q. 87. *Quale* peccatum sit coire cum *femina mortua?*

R. « Dicendum : *non esse fornicationem,* quia fit cum cadavere; nec *bestialitatem,* ut quidam volunt; sed esse *pollutionem* et *fornicationem affectivam.* » Ita S. LIG. (III, 466). — « Forte, ait scite BILL., participat aliquid de istis omnibus secundum *rem;* secundum autem *affectum* multiplicatur malitia secundum diversas conditiones quas concumbens apprehendit in illa muliere et quas habebat dum viveret; scilicet *adulterii,* si fuerit conjugata; *incestus,* si fuerit consangui-

nea, et sic de caeteris : quia ista copula procedit ex affectu quem habebat ad illam viventem. »

Q. 88. *Quid* sit MOLLITIES seu IMMUNDITIA ?

R. MOLLITIES, quatenus tum *viri*, tum *mulieris* peccata complectitur, est « *completa et satiativa carnalis delectatio, extra concubitum quaesita, quae naturaliter effusionem seminis comitatur.* » Ita P. PIATUS (in not. ad *Theol. Mor.* V. D.V.).—Brevius nec minus adaequate ex S. TH. (2. 2. q. 154, a. 11) definiri potest : « *Vitium contra naturam* » contingens « *si absque omni concubitu, causa delectationis venereae, pollutio procuretur* » — Quae immunditia quandoque dicitur *vitium solitarium*, quia fit extra omnem concubitum. — Passim a recentioribus vocatur *masturbatio*, a duabus vocibus : *manu et stupro*. — Dicitur etiam *pollutio*, quamvis haec latius pateat, quippe pollutionem invitus pati aliquis potest, imo et inscius, nempe dormiens ; nec est objective mala, nisi ut procurata ; ideoque, quoties per accidens et praeter intentionem sequitur, aut omni aut certe gravi culpa vacat. Accedit pollutionem contingere posse : sive in concubitu naturali, sive in concubitu innaturali ; *mollities* vero fit extra omnem concubitum.

Resolvitur. Ex S. TH. (l. c.) ad peccatum mollitiei *in genere* requiritur : — 1° Ut fiat **pollutio**, i. e. emissio seminis humani, — sive sit semen proprie dictum, ut in masculis adultis ; — sive improprie dictum, ut in spadonibus utroque testiculo carentibus, in pueris et feminis ; — sive foras effundatur, ut in maribus ; — sive extra, quamvis raro, sive intra, quod frequentius, defluat in matricem, uti in feminis. —Ut enim scite notat BILL., « in feminis saepius accidit pollutio per solam decisionem seminis in vase genitali, absque ullo effluxu exteriori, licet etiam quandoque extra emittatur ; hanc autem decisionem seu resolutionem sensibiliter percipiunt mulieres et in ea magna voluptate afficiuntur, qua completa satiantur et quiescunt. Idque sit pollutionis femineae indicium confessariis. » — Interim confessarius, ut recte monet S. LIG. (H. A. tract. ult. n. 37), *caveat ab exquirendo a* PUELLIS *vel a* PUERIS, *an adfuerit seminis effusio : cum his enim melius est deesse in inte-*

gritate materiali confessionis, quam esse causam, ut apprehendant quae nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi. » — 2°) Ut haec emissio **causa delectationis venereae procuretur,** adeoque fiat cum *voluntaria* carnis delectatione. Quapropter quaecumque pollutio sive in somnis sive in vigilia quae non est voluntaria neque directe seu in se, neque indirecte seu in causa, non imputatur ad peccatum. — 3°) Ut fiat **extra omnem concubitum.** Unde si fieret in concubitu naturali, erit *fornicatio;* si in concubitu innaturali, poterit esse vel *bestialitas,* vel *sodomia* proprie dicta, i. e. vera seu perfecta, vel alia species luxuriae, quam S. Th. reducit ad *modum innaturalem concumbendi,* alii vero vocant *sodomiam minorem* seu *imperfectam,* juxta explicata (pag. 250).

P. 89. *Quantum* peccatum sit *mollities?*

R. Est peccatum *grave* CONTRA NATURAM, cum ex una parte nemini liceat delectationem contra ordinem naturae inquirere,—et ex altera parte, si in ullo aliquo casu hoc liceret, consectaria generi humano maxime noxia inde sequerentur.— Constat ex propositione damnata ab INNOC. XI sub. n. 49 : « *Mollities jure naturae prohibita non est. Unde si Deus non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali.* » — De hoc peccato scribit Card. TOLETUS, S. J. (l. 5, c. 13) : « *Est* DIFFICILLIMAE *emendationis, quia occasio fere semper est cum homine, et adeo universale, ut crediderim maximam damnatorum partem hoc infici peccato.* »—Tum addit : « *Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam confessionem cum uno eodemque confessario, ut fiat ter in hebdomada, si fieri possit; est enim hoc sacramentum maximum frenum, et qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum a Deo factum aut rarissimum privilegium.* » — MOLLITIEI autem additur malitia SACRILEGII, si fit ab habente votum castitatis; ADULTERII, si a conjugato; item FORNICATIONIS, si quis se polluendo delectetur tanquam de coitu cum femina; vel SODOMIAE, si cogitet coire cum mare.

Resolvitur 1. Quamvis S. THOMAS, ex parte Aristotelem secutus, doceat semen muliebre esse quid imperfectum in ratione semi-

nis, nec esse necessarium generationi, de quo vide Cajetanum (in 2. 2. q. 154, a. 12 ; cum hac tamen sententia inconcussum manet, quod coeteroquin ab universa Ecclesia semper acceptatum fuit, pollutionem etiam in feminis esse peccatum mortale contra naturam. Quia formalis ratio malitiae pollutionis reponenda est : non praecise in mera frustratione seminis a Deo ordinati ad opus generationis ; sed in venerea illa delectatione, quam homo in pollutione experitur, et quam extra copulam legitimam ob finem quemcumque procurare vel appetere illicitum omnino est. — Unde quoque vides, quam adaequate de mollitie dixerit S. Th. (pag. 252) esse vitium contra naturam, contingens : si absque omni concubitu, *causa delectationis venereae*, pollutio procuretur. — Praeterea, quamvis semen muliebre non sit absolute necessarium generationi, est tamen ipsi utile, et ad eam commodius, melius et perfectius peragendam a natura ordinatum. — « Porro, ait Bill., abuti non solum *necessariis* a natura ordinatis ad generationem, sed etiam *utilibus*, est peccatum mortale : sic peccat mortaliter qui se vel alterum uno oculo privaret, quamvis non sit absolute necessarius, sed utilis tantum ad videndum. » — **Resol. 2.** Immo data hypothesi : vera esse theoremata physiologica de feminei ovuli exsistentia, (quae inventio non ita recenter est detecta, cum jam ab an. 1668 publici juris facta sit a *J. Van Horne*, celebri medico Leydensi) ac proinde in feminarum effusionibus nullum semen reperiri ; — immerito tamen quis concluserit, nullam sensu theologico dari pollutionem in feminis, quemadmodum nonnulli opinati sunt cum cl. auctore operis paucis abhinc annis editi, cui titulus : *De l'ovulation spontanée de l'espèce humaine dans ses rapports avec la théol. mor.* — Ratio : quia nomine formalis pollutionis intelligitur libidinosa extra copulam effusio, quaecumque demum sint ejusdem effusionis natura et finis.

Q. 90. Quandonam *pollutio* sit peccatum : — 1°) *mortale ;* — 2°) *veniale ;* — 3°) *nullum ?*

R. Ad 1um) mortale : — 1°) dum est *directe* et *perfecte* voluntaria ; — 2°) dum pollutioni qualicumque modo, etiam in somno, ortae datur perfectus consensus ; — 3°) dum est *indirecte* voluntaria, et causa, in eam *proxime* influens, sine justa ratione ponitur.

R. Ad 2um) Est VENIALE, dum causa, *remote* in eam influens, sine justa ratione ponitur.

R. Ad 3um) Est NULLUM : — 1°) dum causa, in eam *proxime* vel *remote* influens, cum proportionata ratione ponitur; et sic omni culpa vacat pollutio, quam, munera officii sui obeundo, patitur medicus, chirurgus, confessarius, balneis inserviens; item commodo situ in lecto jacens, ex honesta causa cum altero sexu loquens, equitans, temperate sumens cibos calidos, proprias partes secretiores a sordibus mundans, pruritum *valde* molestum frictione genitalium abigens, honestas chorcas ducens, — modo pollutionem non intendant, nec ullum consensum delectationi praebeant (pag. 17 seq.); — 2°) dum pollutio est *ex omni parte involuntaria* seu est *mere naturalis*, de qua ex S. THOM. egimus supra (pag. 214). — Hanc autem coeptam nemo tenetur cohibere : quia difficillimum est avertere exitum seminis jam e lumbis elapsi, et, ut quidam dicunt, aliis contradicentibus, valetudini perniciosum; — idemque affirmandum, etiamsi orta esset prius ex culpa, modo de ea doleat et consensum ulteriorem abstrahat. — Interim expedit eo tempore se munire signo crucis, mentemque ab illa delectatione avertere, invocando SS. Nomina Jesu et Mariae.

Q. 91. An *pollutio* habita tangendo infantulum, aut mulierem dormientem, aut doli incapacem, aut pudenda bestiarum, sed *absque concubitu*, sit *diversae speciei* a *simplici pollutione?*

R. Juxta S. LIG. (III, 467) probabilius *negative* : quia, quando deest concubitus seu conjunctio corporum, non adest affectus ad *sexum*, sed ad pollutionem. — Sententia *affirmans* mihi **praeplacet.** — De cetero communiter adest affectus venereus ad *sexum*. Praeterea quod dicit S. LIG. (*l. c.*), difficile componitur cum iis quae scribit (H. A. IX, 3), ubi docet sexum in tactibus explicandum esse in confessione, quia tactus « *omnes ejusdem sunt naturae quam actus consummatus.* »

Q. 92. Si quis polluatur tactibus *alienis*, oporteatne explicare, an *viri* vel *feminae?*

R. Juxta S. LIG. (*l. c.*) probabilius *negative* : quia, cum tantum pollutio tunc intendatur, de materiali se habet, quod

tactibus viri vel feminae illa eveniat. Unde sufficit confiteri : *habui pollutionem tactibus alienis*. Secus tamen dicendum, si facta sit tactibus conjugatae, vel votum castitatis habentis. — Sententia *affirmans* magis mihi **arridet.** Et ita fert praxis confessariorum. Aliunde id postulat doctrina quam, ut statim vidimus, de tactibus tuetur S. Lig. (H. A. *l. c.*).

Q. 93. *Liceat*ne pharmacis semen corruptum *extrudere*, tametsi aliquid sani exinde extrudatur; immo et semen *corrumpere* ad postea extrudendum valetudinis curandae causa?

R. Probabiliter *affirmative*, sicut licet pharmacum sumere ad morbum lethalem expellendum, etsi indirecte expellendus sit foetus; et sicut licet amputare testiculos ad tuendam vitam, quamvis homo sine illis omnino impotens reddatur ad generandum. — Ratio est : « *quia natura non obligat ad conservandum semen cum periculo vitae.* » S. Lig. (III, 478). — De cetero procedit responsio juxta hypothesim antiquorum de corruptione seminis, quod corrumpi negat Debreyne.

Q. 94. An 1°) a *pollutione* differat distillatio,—et 2°) *quid* sit de ea judicandum?

R. Ad 1um) A *pollutione* differt distillatio, quae est liquor medius urinam inter et semen, stillarum instar effluens cum aliqua, et interdum insensibiliter absque ulla carnis commotione.

R. Ad 2um) De ea, quae — 1°) *insensibiliter* accidit, inquietari non oportet; quia, docente S. Thom. (Opusc. 64 *de fluxu libidinis*) : « *Sine libidinosa delectatione et carnis motione nullus potest pollui vigilando.* » — 2°) Quae *non sine commotione* accidit, instar *pollutionis* habenda est, quoties aut *notabilis* est, aut cum *notabili commotione* : quippe « *est notabiliter turpis et quasi inchoata pollutio.* » Sanch. (M. IX, 45, n. 31); unde hic applicanda sunt, quae dicta sunt de *pollutione* (p. 254 seq.), ut sciatur quandonam peccatum sit *mortale*, *veniale*, vel *nullum*. — 3°) Si vero sit *modica* et *cum levi commotione*, tunc — A) peccatum est *mortale*, si sit *directe* et *perfecte* voluntaria : quia non datur parvitas materiae in re venerea extra matrimonium sic volita; — B) si vero sit *indirecte* voluntaria, facile etiam ab omni peccato excusabitur.

Q. 95. *Quid* judicandum sit de *motibus inordinatis* seu *carnalibus?*

R. — 1°) Si motus, sive graves sive leves, sint *directe* et *perfecte* voluntarii,—vel si illis, quacumque de causa obortis, *adhaereat voluntas*, sunt peccatum *mortale*, quia in his casibus adest delectatio venerea in se volita, quae materiae parvitatem non admittit. — 2°) Si autem *a voluntate non pendeant*, neque *in se*, neque *in causa*, — *nullusque consensus* eis detur, ab omni peccato sunt immunes. — 3°) Si eorum causa libere ponatur, quin intendantur, de iis sicut de *pollutione* indirecte voluntaria, data tamen debita proportione dicendum est, i. e. cum hac differentia quod, ad excusandos a mortali vel veniali motus, minor requiratur ratio, quum facilius poni possit causa *motuum*, quam *pollutionis*.

Resolvitur. Cum Bill. : — « 1°) Ponere causam honestam, necessariam vel utilem, ex qua praevidetur secutura commotio carnalis absque periculo consensus in illam, nullum est peccatum. — Et nota minorem adhuc requiri utilitatem quam ad pollutionem, quia est quid minus in genere mali quam pollutio. — 2°) Ponere causam venialem leviter et remote influentem in commotionem carnalem notabilem, est peccatum veniale. — Dico : *commotionem notabilem ;* quia ponere causam per se proxime influentem in commotionem levem, secluso periculo consensus in illam, est tantum peccatum veniale, ratione illius commotionis, quia datur parvitas materiae in hac re volita tantum in causa. — 3°) Ponere causam proxime et notabiliter influentem in gravem commotionem absque urgente necessitate est peccatum mortale ratione illius commotionis. »

Q. 96. An semper teneamur *positive* resistere motibus carnalibus?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si motus sint **leves** melius erit eos contemnere sine positiva resistentia. — **2°)** Si sint **vehementes,** tenemur sub gravi eis positive resistere, saltem per actum simplicis displi-

centiae : quia tunc plerumque, si positive non repellantur, trahunt secum consensum voluntatis. — Excipe : — A) si experientia didiceris, eos compescendo irritari potius; — B) si durent diu et nimis molestum foret eis positive resistere; — C) si ortum habeant ex causa necessaria vel utili, v. g. ex auditione confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum, etc., et non facile negotium sit illos repellere. — Cfr. dicta (pag. 45 seq.).

Q. 97. Quid 1°) sit *onanismus*; — 2°) *quantum* peccatum, — et 3°) *undenam* ejus *nomen?*

R. Ad 1um) *Onanismus* est seminis effusio non quidem extra congressum carnalem, sicut *pollutio*, sed cum copula incepta et non consummata, *vitandae generationis gratia*, — sive inter conjugatos,— sive inter alios.

R. Ad 2um) Onanismus *voluntarius* est grave peccatum contra naturam, quod triplicem habet malitiam specie distinctam : fornicationis inchoatae, mollitiei consummatae et intentionis positivae impediendi generationem.

R. Ad 3um) *Nomen* suum habet ab *Onan*, secundo filio patriarchae Judae, qui, defuncto fratre suo Her, juxta morem coactus est viduam ejus Thamar ducere, ut suscitaret semen fratri suo; sed « *introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret* » (Gen. XXXVIII, 9 seq.).—Nihilominus licet feminae extra matrimonium viri ad se ingressi semen *haud recipere* : sive vi superata fuerit, quod omnes fatentur (Lug.); sive antea consenserit (quod non omnibus placet), quia tenetur non continuare peccatum (Sanch. Bill. Lug. Croix). — At receptum *extrudere* (si tamen possibile est) probabilius, quasi jam possideat, non licet (S. Lig. III, 394; —VI, 954). —Similiter, licite *interrumpitur* actus conjugalis, etsi ex naturae concitatione secutura sit pollutio, dummodo sit justa causa interrumpendi, v. g. si ex continuatione immineat periculum morbi, vel mortis ab hoste, vel scandali, ut si aliquis alius interveniat.

ART. III. — De impudicitia seu de peccatis luxuriae non consummatis, ubi speciatim de tactibus, osculis, aspectibus, turpiloquiis, choreis et spectaculis.

Q. 98. Quid 1°) sit *impudicitia* seu luxuria non consummata; — et 2°) *quotupliciter* distinguatur?

R. Ad 1um. Est ea in qua non intervenit ultimus terminus venereorum, qui est effusio seminis humani.

R. Ad 2um. Alia est *interna*, quae etiam vocatur impudicitia *cordis*, ad quam pertinent : *delectatio morosa rei turpis*, *turpe desiderium*, et *gaudium de actu turpi patrato*, de quibus diximus (pag. 212 seqq.). — Alia est *externa*, ad quam pertinent : *tactus*, *oscula*, *aspectus*, *sermones* et *lectiones turpes*, aliquando *choreae* et *spectacula*. — Vocatur etiam impudicitia *oris* vel *operis*, prout scilicet ore vel opere committitur.

Q. 99. *An* et *qualia* sint peccata *tactus* et *oscula* extra conjugium?

R. *Tactus*, sive fiant manibus, sive ore per *oscula*, sive alio quovis modo, — 1°) fieri possunt *mortales* ex triplici potissimum capite : — a) ex *objecto*, si in se sit valde turpe et apud plerosque notabiliter ad libidinem provocans; — b) ex *intentione*, si fiant delectationem veneream captandi causa, aut se vel aliam personam provocandi ad libidinem aut opus turpe, et tunc quidem sunt ejusdem naturae quam actus consummatus in quem tendunt : unde contrahunt malitiam specie distinctam pro variis objecti circumstantiis, et explicandum est in confessione, an habiti sint cum eodem, an cum diverso sexu, an cum persona conjugata, sacra, etc.; — c) ex *periculo*, ut si quis ex honesto tactu vel osculo, insurgente jam turpi commotione, advertat periculum consensus in delectationem veneream vel ipsum opus aliquod turpe et tamen a tactu vel osculo non desistit. — 2°) His tribus seclusis, praedicti actus non nisi peccata *venialia* erunt, ut si fiant ex levitate, ex joco, ex curiositate, aut ob solam voluptatem organicam; — et 3°) accedente justa causa, omni culpa carebunt. — Hinc docet communis DD. sententia, sponsis de futuro licere pudicos

tactus, v. g. manus apprehensionem, amplexus et oscula, si fiant juxta morem consuetum patriae, urbanitatis aut honestae benevolentiae causa, esto inde praeter intentionem commotio carnis, etiam ad pollutionem usque, subsequeretur. Cfr. q. 105.

Scholion. Ex doctrina S. Thom. (2. 2. q. 154, a. 4) oscula, amplexus, tactus in partibus honestis facta « *propter consuetudinem patriae, vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam,* » v. g. causa urbanitatis, amicitiae, pacis, reconciliationis et similibus, secluso consensu in delectationem veneream, si inde exsurgat, aut consensus periculo, **esse licita,**— « patet, ait Bill., non solum ex usu generis humani et moribus primorum Christianorum, qui solebant etsi diversi sexus se osculo salutare, juxta illud (1 Tessal. V, 26) : « *Salutate fratres omnes in osculo sancto ;* » sed etiam ratione : quia tales actus non sunt ex se turpes, turpitudo nulla intenditur aut admittitur, ut suppono, finis insuper est honestus et legitimus, scilicet testificatio unionis animorum, amicitiae, benevolentiae, etc. — Unde etiam est licita delectatio honesta et amicabilis ex his amicitiae signis proveniens : sicut enim licitum est delectari de amicitia, benevolentia, pace, ita et de ejus signo, testificatione et usu, quia ubi actio aliqua est licita, licita est etiam delectatio ipsi annexa. Ita Sylvius, Loth et alii. » —Tum addit Bill.: « In his tamen servanda est **decentia status** : non autem decet *Ecclesiasticos,* maxime *Religiosos,* his signis testari suam amicitiam erga personas alterius sexus. » — Immo, ut graviter monent Statuta Dioec. Mechlin. (part. 1, c. 1, n. 111) : « *Angelicam virtutem adeo cordi habeant clerici, ut non solum omne peccatum ei oppositum, sed et omnem illius speciem atque suspicionem devitent.* »

Q. 100. Quandonam *tactus* et *oscula* fiant *mortalia* ratione *objecti?*

R.—1°) *Regulariter* loquendo, a mortali excusari nequeunt ratione *objecti,* ob gravem scilicet indecentiam et imminens libidinis periculum : — tactus in *verendis* iisque proximis *alterius* personae, maxime si sint *nudi,* et fortius si *diversi sexus,* si deliberate fiant citra necessitatem, ut est necessitas medendi, inserviendi aegrotis vel in balneis. — Dixi : *regulariter;* nam secus esse potest inter parvulos, vel inter adultum

et parvulum, et sic a gravi excusari possunt matres, nutrices et ancillae, dum induendo vel spoliando parvulos, partes eorum pudendas tangunt ex curiositate aut levitate, idque obiter tantum. — 2°) Mortales quoque sunt ratione *objecti*, tactus *propriorum genitalium*, si *studiose* et *morose* fiant ab adultis, maxime cum commotione spirituum, nisi adsit *rationabilis causa*, v. g. ad se curandum, mundandum, ad pruritum sedandum. — Si vero *sine causa* fiant, ex mera levitate aut curiositate, et obiter tantum, per se veniale non excedunt, quia libidinis non sunt adeo incentivi.—3°) Tangere *genitalia brutorum*, etiam ex curiositate, joco vel levitate, ratione *objecti* efficitur *mortale*, si fiat usque ad *effusionem seminis bruti*; non quidem propter effusionem : possumus enim animalia viventia occidere, ergo et impedire ne nascantur; — sed quia talis actio tangentis libidinem vehementer excitat. — Secus erit *per se veniale*, si usque ad effusionem non perveniatur; imo ea tangere aut molliter tractare *de se omni culpa vacat*, si adsit quaedam *causa*, v. g. ut juventur equi, tauri, etc., ad coeundum. — 4° *Oscula* inter adultos reputantur *mortalia*, si fiant non tantum in partibus *inhonestis*, scilicet in verendis hisque proximis; — sed etiam in partibus *minus honestis*, non tamen turpibus, puta in pectore, in mamillis; — immo in partibus *honestis*, puta in ore, si fiant : — vel more *insolito*, ut dum datur osculum *columbinum*, immissa scilicet lingua unius in os alterius; — vel si fiant valde *morose*, quamvis ob solam voluptatem *organicam*, praesertim inter juvenes diversi sexus, — aut *saepius* in eodem temporis articulo repetantur crispatis et gustatis labiis : quia sic facta, quamvis ex joco aut levitate, aut etiam ad contestandam amicitiam, graviter influunt in commotionem carnalem. Cfr. Bill. Sylv.; Spor.

Q. 101. *An et qualia* peccata sint *aspectus* extra connubium?

R. Quod dictum est de *tactibus* et *osculis*, id pariter de *aspectibus* dicendum. — Observandum tamen : — 1°) facilius a gravi peccato excusari *aspectus*, quam *tactus* turpes, quia minus in libidinem influunt, cum sit sensus magis elevatus et minus materialis; — 2°) simplicem aspectum turpem, si absque desiderio tactuum fiat, nunquam inducere speciem per-

sonae quae aspicitur, nimirum consanguineae, sacrae, aut conjugatae : species enim incestus, sacrilegii, vel adulterii non contrahitur, nisi per tactum quo pietas vel jus conjugii violatur.

Explanatur. Ad responsionem generalem exemplis illustrandam, *distinguendi* sunt aspectus in partibus — *honestis*, — vel *minus honestis*, — vel *inhonestis*. — 1°) Si fiant in partibus **honestis**, quae scilicet omnibus patent, — vel *minus* **honestis**, ut sunt brachia, crura, pectus, mortaliter mali sunt, si fiant ex affectu venereo vel ob delectationem organicam cum probabili libidinis periculo, quod facile aderit, si sint diuturni inter personas inordinate amatas, praesertim in casu quo inde exsurgat spirituum commotio, vel si aspiciens ad venerem sit valde proclivis. — Secus per se veniale non excedunt. Imo, omni culpa carent, si ob rationalem causam exerceantur. — 2°) Si fiant in partibus **inhonestis**, *subdistinguendum* est : — A) aspectus coitus humani, pudendorum vel partium iis valde vicinarum personae *alterius sexus*, etiamsi velo tenuissimo ac perlucido obtegantur, absque justa causa habiti, sunt regulariter mortaliter mali, utpote ad libidinem graviter excitantes; excipe : — a) si fiant procul et obiter; — b) si aspiciens sit puer, vel valde senex, aut valde frigidus : quia isti parum moventur; — c) si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. — B) Aspectus pudendorum *ejusdem sexus*, vel proprii corporis, vel coitus brutorum, secluso affectu venereo, de se veniale non excedunt, modo obiter fiant. Unde per se a gravi excusantur personae ejusdem sexus, quae se nudas leviter aspiciunt simul natantes aut se lavantes, praesertim si non sint adulti. — C) Aspicere obiter ex levitate aut curiositate imagines vel statuas exhibentes personas grandiores in partibus pudendis nudas, secluso affectu libidinoso vel libidinis periculo, non excedit probabilius veniale : quia artificialia minus movent quam naturalia; — quod certum videtur, si picturae infantes nudos repraesentent. Unde quoque absque periculo passim exponuntur, etiam in templis. Conficientes tamen aut exponentes priores statuas aut imagines obscenas personarum grandiorum peccant peccato scandali : cum pravam praebeant occasionem, praesertim adolescentibus, in libidinem prolabendi. — Cfr. Sylv.; — Spor.; — Bill.; — Sass.

Q. 102. *Quid* dicendum de *turpiloquiis?*

R. — 1°) Turpia loqui, audire, scribere, legere, canere, ex seu cum affectu libidinoso, aut ad eum in audientibus, legentibus, excitandum, est mortale. — 2°) Ex necessitate aut utilitate, puta ob doctrinam, ob veritatem Historiae, superiorum informationem, morum correctionem et similes justas causas, nullum est peccatum. — 3°) Ex curiositate, vanitate, levitate, recreationis propriae vel alienae causa, prout solent messores, vindemiatores, et muliones, secluso scandalo aut periculo consensus in venerem, peccatum veniale : quia verba aut scripturae longe minus movent ad libidinem quam tactus aut aspectus. — Hoc autem periculum facile aderit, si de quibus sermo vel lectio fit, — sint nimis *lasciva*, — aut quamvis non ita sint lasciva, agatur de iis qui aut sunt in lasciviam proni, — aut calent aetate, — aut perdite amant.

Resolvitur. Hinc graviter peccant generatim : — a) qui, etiam ex levitate, sermones permiscent de pudendis, de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modo impediendi generationem, procurandi pollutionem, praesertim si inter juvenes *diversi sexus* id fiat ; — b) qui absque necessitate, ex mera curiositate aut recreationis gratia, legunt libros omnino obscenos, nisi ob provectam aetatem, frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi grave absit libidinis periculum ; — c) imo, quamvis de se mortale non sit legere libros parum obscenos, quales saepe sunt libri amatorii, vulgo *romans*, vel certa poemata, comoediae, etc., grave tamen esse potest, si fiat a junioribus aut ab iis qui in lasciviam sunt proni. Similiter, quamvis colloquia misceri cum persona alterius sexus, omni culpa vacet, tametsi in his naturaliter delecteris, poterit tamen esse mortale, si fiat cum puella inordinate dilecta, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis habeantur.

Q. 103. Quid dicendum de *choreis?*

R. Ex S. Salesio (Introd. C. XXXII, part. II), *choreae* secundum se et ex natura sua, si nempe fiant : — neque fine malo, — neque cum periculo seipsum vel alios ad libidinem excitandi, — neque cum aliqua mala circumstantia conjungantur, — non sunt malae, nec actus libidinis, sed potius laetitiae. Hinc legi-

tur (2 Reg. VI, 14, : David quoque regem «*saltasse totis viribus.*» — Unde docet S. Antoninus : «*Choreae per se licitae sunt, modo fiant a personis saecularibus, cum personis honestis et honesto modo.*» Nec aliter sentit Card. Cajetanus, inquiens *(Sum. pecc.* verbo *choreae)* : «*Ego ex genere actus periculum non cognosco : quoniam actus choreae non est libidinis, sed laetitiae.*» — Quare mulieris manus, cum ducuntur, leviter apprehendere, aut omni, aut certe gravi culpa vacat.— Observat tamen Salesius, choreas quascumque fungis non absimiles esse, qui, utcumque scite cocti, plus noceant quam prosint, praesertim nisi parce admodum et in stomachum sat validum transmittantur.— Hinc in **praxi** prudenter sunt dissuadendae, praesertim si fiant cum *larvis*, quippe quae subinde locum praebent effrenae licentiae, quam alioquin verecundia prohiberet. — Dixi : *prudenter;* unde publice in praedicationibus choreas reprehendere, *generatim* non expedit iis in locis, ubi sunt in usu et reputantur quid indifferens.— Melius est in eas agere *indirecte* tantum, *directe* vero in peccata, quae in eis committi solent.—Caveant quoque parochi ne notis infamiae afficiant tum saltantes, tum alios ad choreas concurrentes, nec minitentur tales tempore paschali ad communionem non fore admittendos.—Quod si pastor choreas impedire nequeat, vel non audeat, solatio habere poterit quod testatur *Sporer*, in rebus practicis versatissimus, nempe : «*experientia patuisse, post abrogatas illas choreas publicas, multa majora mala patrata fuisse, quam iis permissis.*» Unde quoque jam pridem docuerat Card. Cajetanus : «*Immo imprudenter arcentur a choreis rustici festis diebus chorizare assueti; qui nisi occuparentur choreis, vacarent otio et malis machinationibus perturbatiris reipublicae.*» — At tempora mutantur et mores.

Resolvitur. Itaque recte monet Bill. (*de temp*, diss. II, art. XII): « Quantum ad choreas, eas non esse per se malas, et positis certis conditionibus posse esse licitas; sed periculosae sunt et plerumque occasio gravium peccatorum; unde ab his bonis suasionibus et ad-

hortationibus deterrendi sunt fideles, inquit Sylvius.» — Cfr. S. Th. (in cap. 5. Isa.).

Q. 104. Quid dicendum de *spectaculis?*

R. — 1° Si sint *honesta*, nullum est peccatum iis interesse, sive ea agere, docente S. Thom. 2. 2. q. 168, a. 3) : «*Officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum.*» — 2°) Si sint *aliquantisper turpia*, assistens peccat leviter tantum, nisi jam expertus sit suam fragilitatem, sciens scilicet se iis vehementer in libidinem commoveri cum periculo proximo consensus. — 3°) Si sint *notabiliter turpia*, vel in re, vel in modo, *distinguendum est.* — A) Peccant graviter, qui hujusmodi comoedias componunt vel repraesentant ; qui pecunia vel plausu ad eas cooperantur; qui eas non impediunt, cum commode possunt; qui etiam non consentientes in delectationem turpem, eis assistere non valent absque scandalo aliorum, ut v. g. religiosi vel clerici, praesertim in proprio suo habitu. — B) Quoad ceteros, seu illos qui absque dicta cooperatione vel scandalo eis simpliciter assistunt, *subdistinguendum est* :— a vel spectant ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus, et peccant graviter; — b) vel spectant tantum ob curiositatem, vanum solatium, pulchram musicam, etc., et peccant venialiter, secluso periculo consensus in delectationem turpem, quod periculum ex S. Lig. ordinarie aderit in adolescentibus vel in aliis parum timoratae conscientiae ; — c) vel assistunt ob justam causam, et nullo modo peccant. Sic ab omni culpa excusantur : *milites*, qui interesse tenentur ad invigilandum ; *famuli*, qui dominorum ; *filii*, qui parentum ; *uxores*, quae virorum indignationem paterentur gravem, si theatris adesse renuerent. Justa enim exstante causa, periculosa actio poni potest, praesertim si salutaribus praesidiis quis peccandi periculum avertat.

ART. IV. — De amoribus seu procationibus.

Q. 105. *Quid* dicendum de *amasiis*, seu adolescentibus et puellis, qui se adamant et invisunt.

R. Non sunt *indiscriminatim* omnes de peccato damnandi. *Distinguendum* enim est inter varias personarum diversi sexus conversationes seu procationes.

Explanatur. Itaque 1°) « procationes illae *intempestivae*, quae ob juniorem aetatem aut alias causas absque spe vel intuitu matrimonii post rationabile temporis spatium ineundi fieri censentur; nec non conversationes illae *clandestinae* in locis obscuris, remotis, reclusis aut communiter imperviis, si *non semper*, saltem plerumque *occasiones proximae* gravium peccatorum habendae et qua tales tractandae sunt » (*Acta et stat. syn. dioec. Buscod.* c. 19, p. 63). — Et cum hujusmodi occasiones sint *voluntariae*, hinc *regulariter* plane abrumpendae sunt, et physice relinquendae. — 2°) Procationes vero illae, quibus juvenis et puella aliquo tempore convenienter se invisunt animo matrimonium contrahendi, non sunt per se judicandae illicitae, praesertim si cum consensu et in praesentia parentum habeantur, etiamsi ex istis colloquiis praeter intentionem carnales commotiones ad pollutionem usque subsequerentur.— Ratio : quia nemo ducere tenetur personam ignotam, sed per aliquod tempus experiri potest, quibus moribus illa sit praedita. — Imo, sponsis de futuro, « *communis sententia... concedit, licere tactus alioquin honestos, amplexus, oscula,... quae quidem erunt peccatum veniale, si fiant ob solam delectationem* [organicam] *captandam; et sine omni culpa, si fiant in signum amoris et benevolentiae juxta morem consuetum.* » Ita Giribaldi (de Matr. C. XIX, n. 114). — Conspirant : Billuart, L. Ferraris, Reiffens., Salmant., alii.— « Et hanc doctrinam, ait Ballerini, non rejecisse S. Alphonsum, inde patet, quod relatis istis ex Busembaum (VI, 854) : « *Sponsis non licent tactus impudici, etsi liceant amplexus et oscula in signum amoris;* » nihil reperit, quod reprehendat. — Quando vero ex lapsuum frequentia periculum consentiendi tale appareat, ut adesse censeatur *occasio proxima*, cum haec tunc judicanda sit plus minusve *necessaria*,— ideo non statim injungendum est, ut deseratur *physice*, — sed confessarius prudenter tentare poterit, ut deseratur *moraliter*, praesertim praescindendo peccatorum radices seu certas circumstantias, v. g. conversationem diuturniorem, vel solitariam, vel tempore vespertino habitam; abstinendo

praeterea ab iis signis benevolentiae exhibendis, quibus concupiscentiae fomes excitari facilius potest, neque plus praestando quam quod praestari hac in re sine cujusque offensione coram aliis, v. g. parentibus queat. — Quae media si poenitens adhibere non recuset, valebit quod juxta principia communiter recepta habet idem Giribaldi de Poenit. c. 10, n. 31, qui ad quaestionem : — « *An possit absolvi sponsus, qui frequenter visitat sponsam, cujus occasione peccat,* » ita respondet : — « *Posse absolvi, quando visitationes sunt secundum morem patriae, a quibus non potest sine nota et dedecore abstinere, quia putaret sponsa se contemni, eo quod illam non visitaret, sicut alii sponsi faciunt; quod idem valet de sponsa, quae ex locutione et aspectu sponsi patitur distillationem et pollutionem : non enim tenetur fugere aspectum sponsi, si alias non habet justam causam et excusationem, cum aspectus et verba sint honesta et secundum morem patriae, et sine nota et dedecore non possunt vitari.* »— Quod si remedia a confessario proposita optatum fructum non sortiantur, illud unum superest, ut cum iis agatur, non secus ac agendum cum *recidivis* in Tractatu *de poenitentia* traditur.

Resolvitur. Doctrinam S. Thom. (2. 2. q. 154, a. 4) tradit Bill., ubi scribit (*de lux.* diss. VI, a. XVI) : « Sponsus qui sponsam suam de futuro oscularetur honeste, sed affectu libidinoso, seu tangeret in secretioribus, non minus peccaret quam solutus : quia copula est adhuc illi illicita, proindeque ea quae ordinantur ad illam, et sunt cum illa ejusdem rationis. — Secluso tamen affectu libidinoso posset illam osculari aut honeste tangere ad fovendum honestum amorem, in ordine ad matrimonium. »

APPENDIX DE VITIIS.

CIRCA HANC MATERIAM NOTENTUR SEQUENTIA.

Nota 1°) Licet saepe *vitium* et *peccatum* sumantur pro eodem, ab invicem tamen **distinguuntur.** *Vitium* enim, quod dicitur a *vitando,* quia debet vitari et fugi tanquam malum, proprie et theologice definitur : *Habitus inclinans ad peccatum;* i. e. propensio seu dispositio permanens contracta ex natura vel actibus ad actus

peccaminosos. Unde *vitium* distinguitur a *peccato*, sicut habitus distinguitur ab actu. — **Nota 2°)** Ex S. Thom. (2.2.q.71,a.3) peccatum est *simpliciter* pejus vitio : quia actus peccaminosus continet offensam Dei, pejusque est male agere, quam habere inclinationem ad male agendum. Vitium tamen est *secundum quid* pejus peccato : tum quia diutius durat; tum quia potest esse causa plurimorum peccatorum. — **Nota 3°)** Non potest quis in eadem materia simul habere vitium et virtutem naturalem, cum sibi contrarie opponantur; bene vero vitium et virtutem supernaturalem; et hinc provenit quod post justificationem et virtutes supernaturales saepe remaneant habitus vitiosi, ut patet in ebrioso converso. — **Nota 4°)** Multo plura sunt *vitia* quam *virtutes;* est enim *virtus in medio* duorum vitiorum, scilicet defectus et excessus. Et quamvis, ut docet S. Thom. (ibid. a. 5) omne vitium, eo ipso quod vitium est, sit contra naturam hominis, ut est praeditus parte rationali; tamen plures sequuntur vitia quam virtutes, quia vitia magis conveniunt parti hominis sensitivae quae saepe praedominatur.

DE VIRTUTIBUS

PRAEAMBULUM. Erit **duplex** pars. — In **prima** agetur de virtutibus *in communi*, in **secunda** de virtutibus *theologicis*, ubi **triplex** habebitur sectio. In **prima** dicetur *de fide*, ibique sub diversis capitibus dicetur : 1°) de *quidditate* fidei ejusque *divisione;* 2°) de *objecto* fidei, tum *materiali*, tum *formali;* 3°) de *necessitate* fidei quoad actum *internum;* 4°) de ejus necessitate quoad actum *externum;* 5°) de *infidelitate* fidei opposita. In **secunda** sectione dicetur de *spe*, ibique sub capite unico dicetur de *quidditate* et *divisione* spei. In **tertia** sectione dicetur de *charitate*, ibique sub diversis capitibus agetur : 1°) de charitatis *natura*, *divisione*, *objecto* et *necessitate;* 2°) de charitate *erga Deum;* 3°) de charitate erga *seipsum* et *proximum;* 4°) de praecipuis *operibus* charitatis erga proximum, scilicet : in articulo primo de *eleemosyna* et in secundo de *correctione fraterna;* 5°) de *peccatis* charitati proximi oppositis, ubi praecipue in duplici articulo agetur tum de *scandalo simplici* sine cooperatione, tum de *scandalo cooperationis* seu de cooperatione ad peccatum alterius.

PARS PRIMA.

DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.

CAPUT UNIC. — De quidditate, distinctione, connexione et medio virtutum.

Q. 1. *Quid* sit VIRTUS *generice* sumpta?

R. Ex S.THOM. (1. 2. q, 55, a. 4) : « *est bona qualitas mentis, qua recte viritur, qua nullus male utitur;* » i. e. principium permanens sive *habitus* ex se inclinans *mentem*, seu naturam rationalem, ad honeste operandum.— *Actus* quidem honestus non raro etiam virtus dicitur; est tamen potius virtutis exercitium.

Resolvitur. Ut patet, *virtus* opponitur *vitio* quod est, juxta dicta (p. 267 , habitus seu propensio ad actum malum seu ad peccatum.

Q. 2. *Quotuplex* sit *virtus?*

R. Sub *varia* ratione *varie* distinguitur.

Explanatur. 1°) Ratione **principii,** — alia est *naturalis* et *acquisita*, — alia *supernaturalis* et *per se infusa*. — Prima est, quae viribus naturae per actus repetitos a nobis acquiritur aut acquiri potest, licet per accidens infundatur. Vocatur etiam *humana* et *philosophica*. — Secunda excedit vires naturae et ex se postulat a Deo infundi. — **2°)** Ratione **subjecti** seu facultatis, — alia est *intellectualis*, — alia *appetitiva*, prout in intellectu vel in voluntate residet. — **3°)** Ratione **objecti,** — alia est *theologica*, — alia *moralis*, prout Deum immediate respicit, vel pro objecto immediato naturalem honestatem actionis habet. — **4°)** Ratione **modi** quo exercentur, — alia est *formata*, — alia *informis*, — prout charitatem seu gratiam sanctificantem habet sibi conjunctam vel non ; — alia est *communis*, — alia *heroica*, prout modo ordinario seu eminenti perficitur.

Q. 3. *Quaenam* sint 1°) praecipuae inter virtutes *morales*, et 2°) *quare* dicantur *cardinales?*

R. Ad 1um) Sunt quatuor : *prudentia, justitia, fortitudo*

et *temperantia;* — opponuntur autem quatuor vulneribus animae per peccatum originale inflictis, scilicet : *ignorantiae, malitiae, infirmitati* et *concupiscentiae* (pag. 203).

R. Ad 2um) Dicuntur *cardinales,* similitudine ducta a *cardine,* eo quod in his virtutibus veluti in cardinibus tota humanae vitae probitas et honestas versatur, atque ad has, veluti principales, morales ceterae reducuntur.

Q. 4. An virtutes *morales* sint *inter se* necessario *connexae?*

R. *Negative,* si sint *imperfectae :* harum enim una sine alia acquiri potest et conservari; v. g. potest esse quis et manere justus, etsi non sit temperans.

Explanatur. Dixi : *si sint* **imperfectae**; quia ex S. Thom. (1.2.q.65,a.1), si sint **perfectae,** ex parte subjecti adeo inter se cohaerent ut, qui una caret, nullam aliam habeat perfecte, et qui unam habet perfecte, ceteras pariter habeat.

Q. 5. An virtutes *morales* acquisitae sint necessario *connexae* cum *theologicis?*

R. *Negative :* nam sine illis esse possunt, et saepe sunt in haereticis, infidelibus, qui etsi careant virtutibus theologicis, saepe tamen sunt justi, temperantes, etc.

Explanatur. Quod si S. Augustinus aliquando in infidelibus videatur negare veras virtutes, eas intelligit *fructuosas* ad vitam aeternam. — Hinc damnata 25 inter Bajanas : « *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* »

Q. 6. Dic : 1°) *Quot* dentur virtutes *theologicae?*— 2°) *Quomodo* a se invicem *distinguantur?*

R. Ad 1um) Sunt *tres,* dicente Apostolo (1 Cor. XIII, 13) : « *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria haec. Major autem horum est charitas.* »

Explanatur. Ratione **originis** primum locum tenet fides, cum sit initium omnis justificationis; ratione vero **praestantiae** charitas est prima, secunda fides, tertia spes. — Sunt autem virtutes **supernaturales,** et quidem per se infusae : quia Trid. (sess. 6. c. 7) de illis loquitur uti de *gratia,* quae sine dubio est per se infusa, quatenus viribus naturae nequit acquiri, sed a Deo

postulat infundi. — Infunduntur autem, ut ait Trid. (ibid.), « *in ipsa justificatione,* » seu in momento quo infunditur gratia sanctificans sive in renatis per baptismum, sive in relapsis post baptismum, per congruam poenitentiam. — Cfr. Theol. Wirc. — Mazzella, *de virt. infusis.*

R. Ad 2um Licet virtutes theologicae habeant omnes Deum pro objecto cui inhaerent, distinguuntur tamen inter se ratione modi quo ipsi inhaerent.

Explanatur. Ex S. Thom. (2. 2. q. 17, a. 6) : « *potest aliquis alicui inhaerere dupliciter : uno modo propter seipsum ; alio modo in quantum ex eo in aliud devenitur.* **Charitas** *ergo facit hominem Deo inhaerere* propter seipsum, *mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem et fides faciunt hominem inhaerere Deo sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis et cognitio veritatis et adeptio perfectae bonitatis.* **Fides** *ergo facit hominem Deo adhaerere, in quantum est nobis* principium cognoscendi veritatem : *credimus enim ea vera esse quae nobis a Deo dicuntur.* **Spes** *autem facit Deo adhaerere, prout est nobis* principium perfectae bonitatis, *in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* »

Q. 7. An in justificatione cum gratia et virtutibus theologicis *infundantur* simul virtutes morales omnes?

R. Ex S. Thom. (1. 2. q. 65, a. 3) « *cum charitate simul infunduntur omnes virtutes morales.* » Si tamen habitibus vitiosis plenus justificatur, experitur adhuc in operando bono difficultates, quae contrariis virtutum actibus tolluntur. — Cfr. Trid. (sess. 14 *de poenit.* c. 8), et S. Th. (ibid. ad 2).

Q. 8. An virtutes *theologicae* sint *inter se* necessario *connexae?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Et quidem 1°) **Charitas** hic in via nequit esse sine fide et spe : nam cum illis infunditur, ut patet ex Trid. (sess. 6 c. 7). Deinde si vel fides vel spes peccato amittitur, etiam charitas amittitur, cum haec quovis peccato mortali amittatur. — 2°) **Spes**

non potest esse sine fide : nam, teste Apostolo (Hebr. XI, 1), « *est autem fides sperandarum substantia rerum,* » i. e. earum fundamentum ; potest tamen spes esse sine charitate : nam peccator, qui necdum desperat, amissa charitate, retinet spem, ut patet ex damnata 57 inter Quesnellianas : « *Totum deest peccatori, quando ei deest spes ; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.* » — 3°) **Fides** potest esse sine spe et charitate : nam etsi quis peccet peccato mortali etiam desperationis, si non fiat infidelis, amissa spe, uti et charitate, retinet fidem, quia haec sola infidelitate amittitur, juxta Trid. (sess. 6. c. 15). Huc spectat prop. damnata ab Alex. VIII sub n. 12 : « *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides ; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.* »

Q. 9. An *fides* et *spes* sine *charitate* possint dici verae virtutes?

R. Etsi olim etiam quidam PP. dixerint, quod non sint verae virtutes, quia per eas intelligebant de condigno meritorias, dicendum tamen, quod sint verae virtutes : quia Trid. (sess. 6, can. 28), definit : « *amissa per peccatum gratia*, adeoque et charitate, *fidem quae remanet esse veram fidem, licet non sit viva.* » Et merito dixit *esse veram fidem*, adeoque veram virtutem : nam etsi charitas sit forma fidei et spei, est tantum extrinseca, quatenus illis tribuat vitam accidentatem; seu vim merendi ; hanc tamen ob causam fidei et spei sine charitate deesse « *perfectum esse virtutis,* » recte asserit S. Th. (1. 2. q. 65, a. 4), qui hoc pro more egregie evolvit.

Q. 10. Quid significet illud : *virtus consistit in medio?*

R. Significat, quod virtus non possit declinare in excedens vel deficiens : alias enim vitium foret. — S. Th. (1. 2. q. 64, a. 1).

Q. 11. An *omnes virtutes* consistant *in medio?*

R. Affirmative, *saltem quoad nos* seu *ex parte actus.*

Explanatur. Ideo addo : *saltem* **quoad nos** *seu* **ex parte actus** : propter virtutes *theologicas*, et virtutem *religionis* consideratam ex parte objecti secundum se. — Illae enim non in medio consistunt **secundum se** seu **ex parte objecti,** nempe Dei, respectu cujus, utpote infiniti, nequit dari excessus, ita ut diligendo Deum, in eum credendo et sperando, quantum possumus,

semper adhuc deficiamus a mensura condigna Deo; non minus, quam insufficientes sumus ad condignum ipsi cultum exhibendum, juxta illud S. Thom.: « *Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis.* » — Ex parte tamen **nostri** seu **ex parte actus** possunt dici consistere in medio : quia a justa harum virtutum mensura deficere possumus non solum per defectum, sed etiam per excessum, ut si v. g. quis crederet aliquid Deo convenire, quod non convenit; vel praesumptuose in Deum speraret, vel ob Dei amorem aut cultum se occideret aut ad martyrium temere se offerret.

Q. 12. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit *medium* virtutis?

R. Ad 1um) Medium virtutis, ut patet ex dictis, est mensura qua ab ea excluditur excessus et defectus.

R. Ad 2um) Est duplex : *medium rei* et *medium rationis*. — *Primum* est, quod ex natura rei ita taxatum est, ut in omnibus sit omnino idem. — *Secundum* est, quod prudens ratio statuit, attentis variis qualitatibus personae operantis et aliis circumstantiis.— S. Thom. (1. 2. q. 64, a. 2).

Resolvitur. Hinc sola **justitia commutativa** habet *medium rei*, quaerendo aequalitatem rei ad rem; nam et divites pauperibus, et pauperes divitibus, et alii quicumque debent alteri dare quod suum est. — **Reliquae virtutes** omnes habent *medium rationis*, ut patet in temperantia et fortitudine : nam quantitas cibi vel potus, quae hoc tempore aut in hac persona est medium proportionatum, potest alio tempore vel in alia persona esse excedens vel deficiens, ideoque per rectam rationem est statuenda. Similiter nec eadem regula pro fugiendis vel aggrediendis periculis dari potest singulis : nam idem periculum, quod uni aggredi praecipitur, alteri infirmiori vetatur.

Q. 13. An virtutes *maneant* post *hanc vitam?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) In **beatis** manent virtutes quae nullam important imperfectionem statui eorum repugnantem. Unde evacuatur fides, quia involvit objecti obscuritatem; desinit spes, quia negat objecti praesentiam; manet autem charitas, quae « *nunquam exci-*

dit; » manent virtutes morales longe alio et excellentiori modo quam hic in terris, sed tantum quoad quosdam, non vero quoad omnes actus. — 2°) In **purgatorio** manent tres virtutes theologicae; manent quoque virtutes morales quoad aliquos et multo plures actus quam in beatis; v. g. fortitudo quoad actus poenitentiae, patientia. — 3°) In **damnatis,** juxta sententiam communem, nulla manet virtus. Verum quidem est quod juxta S. Jac. (II, 19) : « *daemones credunt et contremiscunt;* » sed certum est non remanere fidem *infusam* et *supernaturalem* in damnatis, cum donis gratuitis et pia motione voluntatis plane careant. — Cfr. S. Th. (1.2. q. 67, a. 1-6).

PARS SECUNDA.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

SECTIO 1ª. — DE FIDE.

CAP. I. — De quidditate fidei ejusque divisione.

Q. 14. *Quid* sit *fides?*

R. Fidei vocabulum varie sumitur.

Explanatur. Sumitur : 1°) Pro **fidelitate** in promissis, juxta illud (Rom. III, 3) : « *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* » — 2°) Pro **conscientia** (*ibid.* XIV, 23) : « *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* » — 3°) Pro **fiducia** (Jac. 1. 6) : « *Postulet autem in fide nihil haesitans.* » — 4°) Pro **argumento** ad suadendum (Act. XVII, 31) : « *Fidem praebens omnibus.* » — 5°) Pro ipsa **doctrina** et **objecto** fidei (Apoc. II, 13) : « *Non negasti fidem meam.* » — 6°) Strictius pro **habitu** vel **actu** quo quis alteri loquenti credit, hoc est : quo quis auctoritate loquentis motus judicat aliquid se ita habere vel non habere sicut loquens dicit. — Si loquens sit homo, dicitur *fides humana;* — si Deus, dicitur *fides divina,* in quam si influat principium supernaturale, habetur *proprie* fides theologica divina.

Q. 15. *Quomodo* definiri possit *fides,* virtus theologica?

R. Ex Conc. Vatic. (Const. dogm. *de fid. cath.* c. 3) definitur :

« *Virtus supernaturalis qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.* »

Explanatur. Itaque, qua **habitus,** est qualitas supernaturalis a Deo infusa, qua inclinamur ad firmiter assentiendum iis quae Deus revelavit propter auctoritatem ipsius revelantis. — Qua **actus,** est ipse assensus firmissimus ex isto habitu et adjuvante gratia praestitus his quae Deus revelavit propter ipsius revelantis auctoritatem. — Hinc patet fidem excludere omnem dubitationem omnemque formidinem de opposito. — Quare damnata est ab Innoc. XI sub n. 21 sequens propositio : « *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis ; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* »

Resolvitur 1. Cum S. Thom. (2. 2. q. 4, a. 8) assensus fidei *simpliciter*, seu ex causa certitudinis, est **certior** assensu scientifico : « *quia fides innititur veritati divinae.* » At *secundum quid*, scilicet quoad nos seu ex parte subjecti, est **minus certus** : « *quia ea quae sunt fidei, sunt supra intellectum hominis.* » Et inde est, ut ait S. Thom. (*de verit.* q. 10, art. 82 ad 6) « *quod in his quae sunt fidei potest motus dubitationis insurgere in credente.* »

Resol. 2. Cum S. Thom. (*ibid.* q. 1, a. 3, et Conc. Trid. (sess. 6 *de just.* c. 9) fidei non potest subesse falsum : sive ex parte Dei, quia, ut dicitur (Hebr. VI, 18), « *impossibile est mentiri Deum ;* » sive ex parte hominis credentis ; et ideo si quis bona fide credit quod falsum est, vel saltem revelatum non est, assensus ipsius non erit assensus fidei divinae, sed tantum erit assensus fidei humanae : nam actus fidei divinae non elicitur sine Dei gratia actuali, quam Deus non dabit ad assentiendum falso, cum sic virtualiter mentiretur, inducendo ad credendum quod falsum est.

Q. 16. In qua *potentia* animae fides *resideat*?

R. Est 1°) in *intellectu*, ut in causa *eliciente* : nam objectum fidei est verum ut tale. — Est 2°) quoque in *voluntate*, ut in causa *imperante* : unde ait Aug. (tract. 20 in Joan.) : « *Credere nemo potest nisi volens ;* » et Apost. (Rom. X, 11) :

« *Corde enim creditur ad justitiam.* » — Ratio est : quia intellectus non determinatur ad assensum per evidentiam objecti, quippe, dicente Apostolo (Hebr. XI, 1) : « *Fides est... argumentum non apparentium ;* » i. e. veritatum quae, — saltem quatenus formaliter per revelationem cognoscuntur, — intellectui intrinsece evidentes non apparent. — Unde determinari debet per liberam voluntatis motionem. Cfr. S. Thom. (2. 2. q. 2, a. 9, et q. 4, a. 2).

Scholion. De quaestione : *An eorum, quae oculis videmus vel per rationem naturalem clare intelligimus, possimus adhuc habere fidem?* — seu, aliis verbis : *An* **fides** *et* **scientia** *seu visio corporalis possint eodem tempore esse in eadem mente de eadem veritate?* DD. disputant. — Alii **negant** cum Sylvio et Thomistis communiter, quibus omnino favet S. Thom. (2. 2. q. 1, a. 4 et 5) et (1 P. q. 2 ad 1) ubi ait : « *Dicendum quod Deum esse et alia hujusmodi quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur* Rom. I, *non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos.* » — Alii **affirmant** cum Wiggers, Suar., Daelm., etc. : 1°) Quia fides habet motivum formale omnino distinctum et sufficiens, adfertque specialem et majorem certitudinem quam scientia seu ratio naturalis aut visio corporalis, adeoque fides non impeditur eaque manet *argumentum non apparentium*, quia per fidem firmius assentimur quam per evidentiam, ita ut res evidentes et apparentes per rationem etiam *non apparentes* vocari possint in quantum cognoscuntur per fidem. 2°) Quia alias sequeretur quod in B. Virgine et Apostolis non fuisset fides eorum quae de Christo oculis viderant et quod, dum philosophus gentilis, qui scit evidenter Deum esse, ad fidem convertitur, non posset credere istam veritatem, cum tamen dicat Apostolus (Hebr. XI, 6) : « *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est,* etc. » Nec satisfit dicendo : Apostolum exigere fidem exsistentiae Dei ut auctoris supernaturalium : nam videtur etiam manifeste requiri fides Dei tanquam auctoris naturalium, cum unusquisque juxta symbolum apost. dicere debeat : *Credo in Deum.... creatorem coeli et terrae.* 3°) Quod possimus credere id quod videmus patet denique ex Christo dicente ad Thomam (Joan. XX, 29) : « *Quia vidistis me, Thoma, credidisti.* » Nec suffi-

cit respondere : quod aliud viderit, aliud crediderit : viderit scilicet *hominem*, et crediderit *Deum* ; quandoquidem Thomas non tantum crediderit in Christo divinitatem sed etiam ejus humanitatem, Christumque secundum humanitatem suam jam a mortuis resurrexisse. — Quod vero auctoritatem S. Thomae attinet, poterit dici : vel quod agat de illis quae ordinarie contingunt : ordinarie autem solet contingere, quod philosophus christianus non sit adeo sollicitus ad eliciendos actus fidei circa exsistentiam Dei quam satis cognoscit ex ratione naturali ; vel quod S. Doctor tantum velit hanc differentiam esse inter idiotas et philosophos, quod primus assensus idiotarum circa exsistentiam Dei sit assensus *fidei*, ubi primus assensus philosophorum est assensus *demonstrationis*, cum quo bene subsistit quod philosophi illi postea possint credere fide divina illud quod initio demonstrative tantum cognoverunt. — Nihilominus sententia **negativa** mihi **praeplacet,** utpote doctrinae S. Thomae necnon principiis philosophicis longe conformior.

Q. 17. An *fides* sit *prima* gratia ?

R. *Negative,* ut constat ex Conc. Vaticano et ex variis propositionibus damnatis, inter alias hac 27 Quesnelli : « *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum.* » — Ratio est : quia infideles et haeretici saepe gratias sufficientes accipiunt, quibus saltem *negative* disponuntur ad fidem ; imo saepe accipiunt gratiam praevenientem, qua ad fidem alliciuntur seu *positive* vocantur.

Q. 18. *Quotupliciter* distinguatur *fides theologica?*

R. Multiplex distinguitur.

Explanatur. Est 1°) **habitualis** vel **actualis,** prout est habitus vel actus juxta enuntiata in definitione. — 2°) **Explicita** vel **implicita,** prout id, quod creditur, est in se expressum et evolutum vel in alio contentum. Sic qui explicite credit duas in Christo esse naturas, implicite credit duas esse voluntates et operationes ; qui explicite credit quidquid Ecclesia proponit, implicite credit septem esse N. L. sacramenta, etiamsi ea ignoret. — 3°) **Formalis** seu *reflexa* vel **virtualis,** prout actus fidei est actualiter elicitus vel in mente perseverans inadvertenter vi sua in actiones influit. — 4°) **Interna** vel **externa,** prout est assensus fidei mente conceptus, vel est internae fidei externa professio. — 5°) **Formata**

seu *viva* vel **informis**, prout fovetur charitate vel ea caret. Fidem informem S. Jac. (II, 17) *mortuam* appellat, quia sine charitate ad vitam aeternam *de condigno* valet nihil. Est tamen *vera fides*, ut constat ex Trid. et vere operatur, i. e. illuminat (S. Thom. 2. 2. q. 4, a. 4).— 6°) **Simpliciter divina** vel **divino-catholica** seu *catholica*, prout id, quod creditur, est simpliciter a Deo revelatum, vel insuper ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam revelatum credendum proponitur. Respicit ergo haec distinctio modum quo divina revelatio homini certo innotescit, et inducit discrimen mere accidentale : omnis enim fides *catholica* est etiam *divina*, sed non vice versa.

CAP. II.— De objecto fidei, tum materiali, tum formali.

Q. 19. *Quotuplex* sit *objectum* fidei?

R. Est duplex : — *materiale* scilicet et *formale*.—Primum importat *quid* sit credendum; secundum, *cur* sit credendum.

Q. 20. *Quodnam* sit fidei *divinae* objectum *materiale* in genere?

R. Objectum *materiale* adaequatum sunt ea *omnia* eaque *sola* quae divinitus revelata sunt, ita tamen, ut Deus sit objectum *primarium*, quod etiam vocatur *attributionis* seu *formale quod*; — cetera vero sint objectum *secundarium*.

Resolvitur. Hinc patet fidem esse indivisibilem, i. e. non posse credi fide divina quasdam veritates revelatas, quin et ceterae credantur, saltem implicite;—unde fides haereticorum qui respuunt quasdam veritates revelatas, non est fides divina, sed pure humana, dicente Augustino : « *Qui in Evangelio, quod vultis, non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.* »

Q. 21. *Quodnam* sit objectum *materiale* fidei *catholicae*, seu *quaenam* fide divina et catholica sint credenda?

R. «*Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.*» Ita Conc. Vat. (Const. *Dei Filius*, c. 3).

Resolvitur 1. Ut aliqua veritas sit objectum *fidei catholicae*

et adeo ab *omnibus* sit credenda, requiritur Ecclesiae **propositio,** qua tanquam divinitus revelata ab omnibus credenda injungatur. — **Resol. 2.** Duplex est **modus** quo utitur Ecclesia in proponendis fidei veritatibus : unus *extraordinarius* seu *solemnis;* — alter *ordinarius* seu *universalis,* qui etiam dicitur *quotidianus.* — **1**[us] Modus obtinet, quando — vel a R. Pontifice una cum orbis catholici episcopis in Concilio collectis, — vel ab uno R. Pontifice *ex cathedra* loquente, quaedam puncta determinate definiuntur et credenda proponuntur. Qui modus si adhibeatur, veritates sic solemniter propositae vocantur *fidei dogmata definita.* Et huc pertinent veritates quae in S. Scriptura immediate apparent contentae, v. g. Christi nativitas in Bethlehem, ejus agonia, flagellatio, etc., quippe quae innotescant per solemnem Ecclesiae propositionem : non quidem particularem, sed generalem, quatenus totam S. Scripturam cum omnibus suis partibus tanquam *Dei verbum* omnibus proponat fidelibus. — **2**[us] Modus in hoc consistit, quod Ecclesia suo *ordinario et universali magisterio,* i. e. praedicatione et doctrina sua quotidiana, universali et consentiente, certas veritates tanquam divinitus revelatas credendas proponat, tametsi nullis sint Conciliorum aut RR. Pontificum decretis solemniter definitae. — Quae fidei puncta vocantur *dogmata definibilia,* nec minus ac ipsa *definita* dogmata fide divina et catholica sunt credenda. Secus, ut recte notat Hurter S. J. tom. I, n. 455) « *primis* Ecclesiae seculis *nil* fere fuisset credendum. » — Unde quoque addit (ibid. n. 459) : « Fieri potest, ut aliquis sit *vere haereticus formalis* ante solemnem sui erroris condemnationem, si scil. neget veritatem aliquam revelatam jam ante satis ab Ecclesia magisterio suo quotidiano credentium fidei propositam. » — Et verum id est, si loquamur de haeresi formali *coram Deo,* ad quam sufficit, ut aliquam veritatem revelatam, etiam voluntarie dubitando, rejiciamus; non tamen, si loquamur de haeresi formali *coram Ecclesia,* seu in ordine ad poenas : ad hanc enim formalem haeresim, praeter alias conditiones, requiritur ex parte *objecti,* ut error seu dubium versetur circa aliquod fidei punctum ab Ecclesia *solemniter* definitum.

Q. 22. *Quid* dicendum *de revelationibus,* quae *privatis* personis a Deo factae sunt *post* tempora Apostolorum?

R. Privatae revelationes ad fidem *catholicam* non pertinent. Nunquam enim easdem ab universis fidelibus fide divina credendas proponit Ecclesia; sed sua approbatione solum intendit declarare : — 1° nihil in ipsis contineri quod fidei aut moribus adversetur; — 2° sufficientia esse indicia veritatis, ut fide humana pie et prudenter ac sine superstitione credi et ad aedificationem a fidelibus legi possint. — Attamen juxta communiorem sententiam *possunt*, et, — saltem ab eo cui fiunt vel pro quo fiunt, — *debent* credi fide *divina*, si evidentia adsint motiva credibilitatis. — Dixi : *juxta communiorem sententiam* : non enim desunt aliqui auctores putantes, ad objectum *fidei divinae* requiri, ut sit in Scriptura vel apostolica Traditione contentum, vel etiam ab Ecclesia propositum ut credatur. — Hinc censent hujusmodi privatas revelationes nunquam posse credi fide divina, sed tantummodo teneri actu consilii et prudentiae humanae. — Sed haec sententia admitti nequit.

Q. 23. *Quodnam* sit *formale* fidei objectum?

R. Objectum *formale*, seu ratio propter quam credimus, ex Vatic. Conc. (ibid.) non est « *intrinseca rerum veritas naturali rationis lumine perspecta* », sed est « *auctoritas ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest* ; » quam ideireo TT. *ultimum fidei resolutivum* appellant. — Neque auctoritas Ecclesiae est objectum formale fidei, sed tantum regula infallibilis proponens et explicans ea quae sunt fide credenda. — Hinc si quis objecto revelato assentiatur propter auctoritatem hominis, vel etiam Ecclesiae, non habet fidem defectu objecti *formalis*.

Resolvitur 1. Objectum *formale* fidei seu *auctoritas Dei revelantis* haec involvit duo : **infinitam sapientiam**, qua Deus infallibiliter omnia cognoscit sicuti sunt in se, et **veracitatem**, qua necessario loquitur sicuti cognoscit. Ratione *primi* : non potest falli ; ratione *secundi* nequit fallere ; et *utrumque* requirit assensus certissimus et firmissimus ; uno enim deficiente, non possum revelatis assentiri assensu firmissimo (Ita rectissime Sasserath.). Cfr. Card. Mazzella. — **Resol. 2.** Cum auctoritas Dei revelantis, seu, ut loquitur S. Thom. (2. 2. q. 1, a. 1), « *veritas prima* » scilicet in

dicendo, seu summa Dei revelantis veracitas, connotans primam veritatem in cognoscendo, seu infinitam Dei sapientiam, sit motivum adaequatum fidei, patet, assensum fidei **non esse discursivum**, i.e. nullo modo inniti alicui discursui seu argumentationi, nequidem ut motivo partiali. Quamvis ergo ante fidem plene conceptam praecedere possint et soleant varii discursus, illi non pertinent ad ipsum fidei assensum, sed tantum inserviunt, ut res credendae reddantur credibiles. Unde dicit S. Thom. (2.2.q.2,a.1 ad 1): « *Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id quod creditur; habet tamen inquisitionem quamdam eorum per quae inducitur homo ad credendum, puta quia sunt dicta a Deo et miraculis confirmata.* » — **Resol. 3.** Ab objecto formali fidei, quod ingreditur ipsum actum fidei, omnino distinguuntur **motiva credibilitatis**, quo nomine intelliguntur externa divinae revelationis argumenta, quibus scilicet veritates revelatae fiunt evidenter credibiles, evidentia nempe non metaphysica sed morali excludente rationabile dubium, ita ut homo judicet se hic et nunc prudenter agere credendo. Hujusmodi extrinseca credibilitatis motiva, quae *ordinarie* ad actum fidei praerequiruntur, plura a Vaticano Concilio (*de fide*, cap. III) recensentur : « *Facta scilicet divina atque imprimis* **miracula** *et* **prophetiae**, *quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata;... quin etiam* **Ecclesia** *per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.* » — Dixi : **ordinarie**; quia hujusmodi externa credibilitatis motiva suppleri possunt lumine fidei, seu, ut loquitur S. Thom. (2.2.q.2,a.9 ad 3), « *interiori instinctu Dei invitantis,* » quatenus Spiritus S., qui ubi vult, spirat, posset per illustrationem specialem vel etiam per evidentiam revelationis compensare omnia extrinseca credibilitatis motiva, et efficere, quod efficere possunt rationes mere naturales. Et hinc S. Hier. (in cap. 9 Matth.), illis qui stultitiae insimulabant eos qui statim secuti sunt Christum, respondet : « *Certe fulgor ipse et majestas divinitatis occultae, quae etiam in humana facie reluce-*

bat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu, » lumine fidei scilicet fulgorem illum ac majestatem divinitatis occultae illuminante.

Q. 24. An actus *fidei divinae* debeat formari *explicite* propter *Dei revelantis auctoritatem?*

R. *Negative;* sed sufficit quod *implicite*,— ut quando quis v. g. recitans symbolum dicit *credo*, si sciat quid sit credere, implicite credit propter auctoritatem Dei revelantis. — Similiter pueri et simplices dum mysteriis fidei assentiuntur propter auctoritatem parochi vel parentum, *plerique* apprehendunt horum dictum ut a Deo revelatum. — Pariter in Ecclesia apprehendunt aliquid divini, ideoque implicite credunt propter auctoritatem Dei.—Interim gravis incumbit obligatio parochis aliisque animarum curatoribus docendi non tantum *quid*, sed et *cur* credere debeant.

Q. 25. An *revelatio divina* etiam ingrediatur *objectum formale* fidei, tanquam motivum fidei *partiale?*

R. *Negative*, juxta communiorem sententiam.

Explanatur. Nam sicut non credimus homini, quia loquitur, sed quia nec decipitur in cognitione, nec decipit in loquendo; — sic non credimus Deo, quia revelat, sed quia ipse est prima veritas, quae nec fallitur in cognitione, nec fallit in revelando. — Itaque revelatio est tantum conditio, qua nobis applicetur notitia eorum quae credamus; — et dum S. Scriptura insinuat quod credamus propter Dei *testimonium*, intelligi debet testimonium *quatenus nec falli nec fallere potest.* « Unde, ait Sasserath, videtur revelatio se habere ad actum fidei, sicut se habet cognitio ad actum amoris : nam et sine cognitione bonitatis non possum amare objectum. » — Dixi : juxta *communiorem sententiam :* quia non desunt alii aliter sentientes, quos inter Card. Mazzella, qui putat id certe conformius videri Conc. Vaticano definiente fidem « *virtutem qua credimus propter auctoritatem Dei revelantis.* » Utrum jure id asserat, judicent sapientiores.

CAP. III.—De necessitate fidei quoad actum internum.

Q. 26. *Quid* 1°) sit esse necessarium *necessitate medii;*— *quid* vero 2°) *necessitate praecepti?*

R. Ad 1um *Necessitate medii* illud dicitur necessarium, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri non potest. — Et quidem si ejus defectus per nullum aliud suppleri possit, dicitur necessarium necessitate medii *in re*; si possit, dicitur necessarium necessitate medii *in re vel in voto*.

R. Ad 2um *Necessitate praecepti* vero illud necessarium dicitur, quo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri potest.

Q. 27. *Qualis* sit *necessitas fidei* quoad actum *internum*?

R. 1°) Actus fidei internus omnibus adultis, usus rationis capacibus, ad justificationem et salutem necessarius est *necessitate medii* in re. — Nam, teste Scriptura (MARC. XVI, 16) : «*Qui non crediderit condemnabitur*,» et alibi (HEB. XI, 6) : «*Sine fide autem impossibile est placere Deo*,» ubi sermo est de fide *actuali*, ut patet ex contextu. — Et quidem haec fides actualis circa aliquas veritates debet necessitate medii in re esse *explicita*, circa alias necessitate praecepti. — 2°) Actus fidei internus est etiam necessarius *necessitate praecepti*, — tum *negativi*, quo prohibemur unquam dissentire aut voluntarie dubitare de objecto fidei sufficienter proposito; — tum *affirmativi*, quo obligamur elicere actum fidei quandoque in vita, ut constat ex variis propositionibus damnatis, — tum ab ALEX. VII sub n. 1 : «*Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*;» — tum ab INNOC. XI sub n. 16 : «*Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, sed secundum se*;» item sub n. 17 : «*Satis est actum fidei semel in vita elicere*.»

Objicitur. Si actus fidei internus adultis sit necessarius necessitate medii in re etiam ad salutem, ergo adultus qui invincibiliter ignorat fidem, licet in infantia jam baptizatus, damnabitur ob omissionem actus qui fuit ipsi impossibilis, quod divinae bonitati repugnat. — **Resp.** Ignorantiam in casu esse vincibilem, si non proxime et immediate, saltem remote et mediate, in quantum scilicet sufficiens divinae gratiae auxilium adultis offertur ad legem naturalem servandam, cui si fideliter cooperentur et legem naturae servent, Deus uberiora illis gratiae suae praestabit auxilia et alia

media, etiam externa, quibus tandem ad fidem recipiendam sufficienter disponantur. Quapropter S. Thomas (*De verit.* q. 14, art. 11 ad 1) agens de sylvicola, dicit : « *Si quis in sylvis vel inter bruta animalia enutritus..., ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni et fuga mali; certissime tenendum esse, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit S. Petrum ad Cornelium.* »

Q. 28. *Quandonam* praeceptum eliciendi actum fidei *obliget?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Obligat **per se** : — 1°) statim ac quis et ea noverit quae credere oportet, et credendi obligationem noverit; — 2°) saepius in vita, i. e. saltem semel in anno; — 3° juxta non paucos *in articulo mortis;* verum « *id nullo textu aut ratione probari,* » docet Sanchez. — Obligat vero **per accidens** : — 1°) dum insurgit gravis tentatio contra fidem, *si aliter vinci non possit,* quod addo, quia ordinarie tentatio interna contra fidem melius vincitur contemnendo; — 2°) quoties quis lapsus est in haeresim vel aliam infidelitatem : tenetur enim injuriam illatam primae Veritati per actum contrarium resarcire; — 3°) dum obligat aliquod praeceptum, quod sine fide impleri non potest. — Sic dum percipiendum est sacramentum, tenetur quis credere illius efficaciam. Sic non potest quis elicere actum spei, charitatis, contritionis, nisi praecedat vel concomitetur actus fidei : alias enim hi actus non erunt supernaturales. — Interim qui fide tenenda jam didicerunt et crediderunt, imprudenter anguntur circa impletionem hujus praecepti : quia dum v. g. oramus, missam audimus, imaginem crucifixi veneramur, sacramenta suscipimus, et similia facimus, fidem elicimus, non quidem *signate,* sed *exercite,* quatenus ex notitia fidei haec facimus.—Unde quoque scribit S. Lig. (H. A. IV, 13) : « Bene ait Card. De Lugo, quod ille, qui semel amplexus est fidem christianam (aut vixerit, ego addo, christiane, saltem praecepto paschali satisfaciendo), non debet dubitare, quin satisfecerit praecepto fidei; et idem intelligendum est de praecepto spei. » — Nihilominus omnes enixe adhortandi sunt, ut crebro eliciant actus virtutum theologicarum, quorum actuum recitationi Bened. XIX, *Brevi*

28 Jan. 1756, plures concessit indulgentias fidelibus defunctis applicabiles, simulque declaravit unumquemque in recitatione uti posse quibuslibet verbis, modo in eis praecipua singulae virtutis theologicae motiva exprimantur.

Q. 29. *Quaenam* scienda et credenda sint *necessitate medii*, quaenam vero *necessitate praecepti?*

R. 1° Certum est, omni tempore adultis ratione utentibus necessariam fuisse necessitate medii in re fidem *explicitam* Dei, ut exsistentis et ut remuneratoris. Constat ex verbis Apostoli HEBR. XI, 6 : «*Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*» Ideoque merito damnata fuit ab INNOC. XI sequens propositio sub n. 22 : «*Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*» — 2°) Utrum vero fides *explicita* in Christum et SS. Trinitatem post sufficientem Evangelii promulgationem adultis necessaria sit necessitate medii, *controvertitur*. — Sententia probabilis, et forte probabilior, *negat* : quia illa necessitas nec ex Scriptura, nec ex natura rei necessario et indubitanter eruitur; aliunde, ante Christum sufficiebat fides *implicita* horum mysteriorum, ergo etiam post Christi adventum, cum Christus salutis viam non coarctavérit. — 3°) *Explicite* vero necessitate praecepti debent sciri et credi, crasso saltem modo et quoad substantiam, ita ut de plerisque interrogati possimus respondere substantiam, licet nec verba praecise, nec verborum ordinem memoria teneamus : — A) Symbolum Apostolorum; — B) Orationem dominicam; — C) Praecepta Decalogi et Ecclesiae; — D. Sacramenta, quae cuilibet sunt necessaria, ut Baptismus, Eucharistia et Poenitentia; ceterorum enim sufficit habere fidem *implicitam*, cum explicita sit tantum necessaria illis, qui ea suscipiunt; — E) Tandem ex pia consuetudine Salutationem Angelicam. — Ad obligationem autem de *praeceptis sciendis* pertinet obligatio pro singulis ea sciendi quae ad *proprium statum* pertinent.

Q. 30. An *possint absolvi* qui ignorent necessaria necessitate *medii* vel *praecepti?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Ignorans **duo priora,** i. e. quae *certo* sunt de necessitate medii, nec *licite* nec *valide* absolvitur. — **2°)** Ignorans **duo posteriora,** seu SS. Trinitatem et Incarnationem, absolvitur *illicite,* extra casum necessitatis, v. g. periculum mortis : quia confessarius, talem absolvendo, sacramentum manifesto periculo nullitatis exponeret ; sed probabilius absolvitur *valide,* si versetur in *ignorantia invincibili,* nec consequenter necessario repetendae sunt confessiones praecedentes, in eo ignorantiae statu peractae. Cui doctrinae non obstat propositio damnata ab Innoc. XI sub n. 64 : « *absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per* NEGLIGENTIAM ETIAM CULPABILEM, *nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C.* » — **3°)** Ignorans necessaria de **necessitate praecepti,** nisi impotentia excuset, peccat graviter, sed potest absolvi, si de hoc doleat cum proposito discendi.

CAP. IV.—De necessitate fidei quoad actum externum.

Q. 31. *An* et *quale* detur praeceptum *exterius* fidem confitendi?

R. Praeter praeceptum *ecclesiasticum*, quo in TRIDENTINO et alibi certo generi personarum praescribitur emittenda fidei professio; — datur etiam praeceptum *naturale divinum* exterius fidem confitendi. — Hoc autem, quatenus *affirmativum*, praecipit confessionem externam pro certo tempore; — quatenus vero *negativum*, prohibet omni tempore negationem fidei, etiam mere externam.

Q. 32. *Quandonam* urgeat *jure naturali divino*, etiam cum *periculo vitae*, praeceptum *affirmativum* confitendi fidem?

R. In duobus casibus, ut docet S. THOM. (2. 2. q. 3, a. 2).

Explanatur. Casus sunt : « *Quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur* **honor debitus Deo,** — *et etiam* **utilitas proximis** *impendenda ;—puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide. In hujusmodi enim casibus confessio fidei est de*

necessitate salutis. » — Dicit autem Angelicus : *utilitas* **proximis,** *non proximo :* ut intelligamus nos non teneri pro uno aut altero in fide confirmando vitam nostram periculo exponere ; nam charitas nos non urget ad impediendum alterius peccatum vitam nostram profundere ; — sed tenemur tantum quando periculum est, ne ipsa *multitudo* a fide deficiat, et ipsi nos certo valeamus impedire.

Q. 33. Quid *prohibeat* praeceptum naturale divinum fidei *externae*, quatenus *negativum?*

R. Prohibet sub mortali, ullo unquam casu vel periculo, etiam mortis, fidem *expresse* vel *tacite* exterius negare, etiamsi in corde vera fides retineatur. — Hinc Christus (Matth. X, 33 : « *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* »

Explanatur. Porro **expresse** ille dicitur negare fidem, qui apertis verbis, serio aut ficte, negat vel unum fidei articulum, aut negat se esse christianum aut catholicum, aut alterius sectae se alumnum confitetur ; — **tacite** vero, qui vel veram fidem non confitetur, ubi tenetur ; vel verbo, signo aut facto confitetur religionem falsam ; id autem *facto* tunc fit : quando quis ponit actionem quae—vel sit ipse cultus falsus, ut thus adolere, genuflectere idolo, sumere coenam calvinisticam, — vel saltem ex se aut ex circumstantiis significat professionem falsae religionis, ut v. g. bibere in sanitatem hostium Papistarum, — vel ordinarie seu assidue et sine legitima causa frequentare ecclesias ac conciones haereticorum.

Q. 34. An *liceat* fidem *dissimulare?*

R. Aliquando *fas* est, quandoque *nefas*, quandoque *oportet.*

Explanatur. Et quidem 1°) **Fas** est, quando non urget praeceptum fidem confitendi, dummodo absit scandalum et aliam non simules.—2°) **Nefas** est, quoties urget praeceptum eam profitendi. — 3°) Demum **oportet,** quoties ab una parte nullum urget praeceptum fidei profitendae ; ex altera vero charitas Dei vel proximi vel sui non patitur eam profiteri, ut puta si exinde Religio magis blasphemaretur, aut perturbationes orirentur, aut mortis periculum subeundum foret.

Resolvitur. 1°) Non peccat contra fidem qui per loca haere-

ticorum transiens, timore periculi gravis, carnes comedit die vetito, ne catholicus agnoscatur : quia hoc per se non est signum haereseos; vel qui vestibus uteretur distinctivis sectae a secta : quia usus primarius earum est ad corpus tegendum et secundarius tantum ad sectam distinguendam. Secus dicendum, si carnes manducaret ad id in odium fidei impulsus, vel vestes et signa sint unice aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes sacerdotales haereticorum in eorum templis.— **Resol. 2°)** Similiter interrogatus a persona *privata* potest contemnere, dicendo : *Quid ad te?* immo et interrogantem deludere verbis ambiguis; nisi ex dissimulatione etiam tunc fides ludibrio exponeretur vel scandalum oriretur, ut si interrogatus esset vir gravis, et alii praesumerent id fieri ex timore vel erubescentia, aut inciperent dubitare de firmitate fidei catholicae, aut haeretici in sua secta confirmarentur.— **Resol. 3°)** Peccat e contra, qui nominatim licet privatim de fide sua interrogatus a potestate **publica,** v. g. a judice, eam verbis ambiguis eludit : qui enim tunc dissimulat, merito censetur fidem erubescere. Constat ex propositione damnata ab Inxoc. XI sub n. 18 : « *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccatum per se non damno.* » — Dixi : *nominatim;* si enim ederetur edictum generale, jubens catholicos se prodere, vel si praesentibus multis catholicis generaliter praeciperetur, ut si catholicus adesset, se proderet, nullus teneretur se prodere, quia nemo proprie interrogatur, nisi forte honor Dei aut proximorum salus aliud exigeret. — **Resol. 4°)** Per se potest quis tempore persecutionis **fugere,** ne interrogetur et fidem fateri teneatur : fuga enim non est dissimulatio, minus negatio fidei, e contra implicita confessio.— Imo fuga potest esse praecepta, dum, v. g. multum interest talem conservari, vel si quis putet ob animi infirmitatem se subiturum periculum proximum fidem abnegandi, nisi fugiat. — Dixi : *per se;* quia pastores animarum, parochi, episcopi, tenentur eo tempore animas pro ovibus ponere illisque in tanto periculo assistere.

CAP. V. — De infidelitate fidei opposita.

Q. 35. *Quid* sit *infidelitas?*

R. Est *defectuosa* carentia fidei. — Unde beati, etsi fidem

non habeant, non possunt dici infideles, eo quod absentia fidei in ipsis spectat ad perfectionem, non ad defectum.

Q. 36. Dic : 1° *Quotuplex* sit infidelitas ; — et 2°) *quantum* peccatum?

R. Ad 1um) *Triplex* distinguitur : — *negativa* seu pure materialis, — *privativa* et — *positiva* seu contraria.

Explanatur. Et quidem **prima** seu *negativa* est illius, qui nunquam de vera religione quidquam audivit; **secunda** seu *privativa* est ejus, qui notitiam fidei, data occasione, comparare neglexit; **tertia** seu *positiva* est carentia fidei in eo cui sufficienter proposita est, et eam positive respuit.

R. Ad 2um) *Prima* seu *negativa* in se non est peccatum, sed tantum poena peccati : non enim potest esse peccatum ubi est ignorantia invincibilis. Constat ex propositione Baji, damnata a S. Pio V et Gregorio XIII sub n. 68 : « *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* » Salvi tamen fieri non possunt ejusmodi infideles, nisi saltem per baptismum flaminis regenerentur. — *Secunda* seu *privativa* et *tertia* seu *positiva* sunt peccatum ex genere suo mortale : quia continent gravem iniuriam et contemptum divinae auctoritatis.

Q. 37. Dic : 1°) *Quot* sint *species* infidelitatis *positivae?* — et 2°) *quaenam* ex illis sit ceteris *gravior?*

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (2. 2. q. 10, a. 5) sunt tres : « *Paganismus, Judaismus et haeresis,* » ad quam reducitur *apostasia a fide* et *schisma non purum.*

Explanatur. Et quidem **Paganismus** est infidelitas eorum qui nullum redemptorem agnoscunt aut venisse aut venturum. Sub eo continentur *Atheismus, Deismus, Naturalismus, Rationalismus, Pantheismus, Materialismus* et *Mahumetismus* qui, licet admittat Messiam in lege promissum, negat tamen esse Deum et Redemptorem mundi. (De variis istis erroribus egi in opere : *Principia et errores.* Lovanii 1877.) — **Judaismus** olim quidem fuit populi electi vera fides, modo tamen est infidelitas eorum, qui credunt aliquem redemptorem venturum, non tamen venisse. — **Haeresis** tandem est infidelitas eorum, qui quidem credunt redemptorem

venisse, sed non credunt omnia quae sunt credenda. — Utrum tres illae species infidelitatis distinguantur **essentialiter** seu specie proprie dicta, DD. disputant. Alii *affirmant*, alii *negant*. Hoc modo *distinguit* Sasserath : « Paganismus, Judaismus, haereses, prout opponuntur fidei, non distinguuntur specie : quia eidem virtuti eodem modo opponuntur ; malitia enim consistit in eo quod contemnatur auctoritas Dei dicentis et Ecclesiae proponentis. In quantum tamen includunt ritus et caeremonias sibi proprias, specie differunt : nam Paganismus includit idololatriam, Judaismus superstitionem, etc. »

R. Ad 2um) Ex S. Thom. (*ibid.* a. 6) *sub distinctione.*

Explanatur. Si considerentur **objective,** i. e. ex parte materiae seu numeri veritatum in quibus erratur, sic *paganismus* est gravior *judaismo*, et *judaismus* gravior *haeresi*. Si vero considerentur **subjective,** i. e. ex parte culpae seu pertinaciae voluntatis, sic communiter pessima est *haeresis*, et *judaismus* communiter est gravior *paganismo*. — Dixi : *communiter :* quia si paganis et judaeis aeque credibiliter veritates fidei essent propositae, tunc *paganismus* esset gravius peccatum quam *judaismus*, et *judaismus* quam *haeresis*.

Q. 38. An *infideles* non baptizati directe compelli possint a potestate *ecclesiastica* vel *civili* ad fidem suscipiendam?

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 10, a. 8) *Negative* : — non ab *ecclesiastica*, quae in non baptizatos spiritualem jurisdictionem non habet, juxta illud Apost. (1 Cor. V, 12) : «*Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*» — Nec a *saeculari*, quae jurisdictione tantum civili gaudet. — Compelli tamen possunt, ne fidei praedicationem vel exercitium in suis locis *impediant* «vel blasphemiis, vel malis persuasionibus vel apertis persecutionibus,» ut loquitur S. Thom. (*ibid.*) : quia Ecclesia a Christo accepit jus praedicandi evangelium per totum orbem. — Constat ex verbis Christi (Matth. XXVIII, 19 et Marc. XVI, 15). Praeterea cum fides omnibus sit necessaria ad salutem, ne redemptio Christi frustretur sua efficacia, congruum fuit, non tantum Ecclesiae licere evangelium ubique

praedicare, sed et esse jus illud praedicandi; unde potest se defendere contra illos, qui praedicatores impediunt.

Q. 39. An ritus *paganorum*, *judaeorum* aliarumque *sectarum* dissidentium, a principibus christianis *foveri* vel *tolerari* possint?

R. *Foveri* vel approbari nequeunt. Constat ex variis propositionibus in Syllabo a Pio IX damnatis, ubi S. Sedes absolutam cujusvis religionis cultusque libertatem atque aequalitatem reprobat, sicut semper reprobavit. — *Tolerari* autem possunt, si per eorum reprobationem majora mala inducerentur, aut majora bona impedirentur. Facilius autem tolerantur Judaei : quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiae provenit, nempe fidei nostrae testimonium. — Cfr. S. Thom. (2. 2. q. 10, a. 11).

Resolvitur. Hinc, ut praeclare docet Leo PP. XIII (Enc. *Immortale Dei* de civitatum constitutione christiana, de die 1 Nov. 1885. — « *Revera si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter* Augustinus *monet*, credere non potest homo, nisi volens. » — Similia promit in Enc. *Libertas praestantissimum* de libertate humana, edita 20 Jun. 1888, ubi disserens de *modernis*, uti loquuntur, *libertatibus*, ex doctrina *S. Thom.* (1 p. q. 19, a. 9 ad 3) brevissime tradit totam de malorum tolerantia doctrinam.

Q. 40. *Quid* 1°) sit *haeresis* formalis, — et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1um) Ex S. Th. (2. 2. q. 11, a. 1) haeresis *formalis*, generatim sumpta, est *error voluntarius et pertinax contra fidem, in eo qui fidem Christi profitetur.*

R. Ad 2um) Haeresis *formalis* potest esse — *interna*, si mente tantum retinetur, et — *externa*, si exterius manifestatur; — *externa* potest esse *occulta* vel *notoria*, prout nemini aut paucis tantum, vel multis est nota.

Explanatur. Dicitur : 1°) **Error,** i. e. judicium erroneum ; nam error judicio continetur. — 2°) **voluntarius** ; quia alias peccatum adeoque haeresis *formalis* non esset, sed *materialis*, quae non est nisi haeresis improprie dicta. — 3°) **pertinax,** ita ut aliquis contradicat fidei, non ex ignorantia, neque propter rationes sufficienter moventes, sed *sciens et volens*, ex sola motione malae voluntatis, seu praecise quia vult, adeo ut de illo dici possit, quod de pertinacibus in aliis materiis dici solet : *stat pro ratione voluntas.* — 4°) **contra fidem** ; quia haeresis est vitium oppositum fidei. Unde error, quantumvis pertinax, contrarius veritatibus humanis, non est haeresis. — Porro, ut notat S. Th. (ibid. a. 2) : « *Ad fidem autem aliquid pertinet* DUPLICITER : *uno modo* DIRECTE *et* PRINCIPALITER, *sicut articuli fidei ; alio modo* INDIRECTE *et* SECUNDARIO, *sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli ; et circa utraque potest esse haeresis, eo modo quo et fides.* » — 5°) **in eo qui fidem Christi profitetur,** ut distinguatur haeresis a paganismo et judaismo. Unde error contra fidem, quo judaeus negat v. g. sacramentum baptismi, non est haeresis, licet sit peccatum formale contra fidem.

Resolvitur. 1. Non est haereticus qui *exterius* tantum fidem negat, aut colit idolum sine judicio interno fidei contrario : quia haeresis essentialiter consistit in interno judicio erroneo intellectus contra fidem, quale hic non adesse supponitur. — E contra haereticus foret, qui pertinaciter negat quod erronee putat esse de fide, quod tamen de fide non est : foret enim error pertinax contra objectum juxta ejus conscientiam ad fidem pertinens. — **Resol. 2.** Haereticus est qui *positive* dubitat cum pertinacia de aliquo fidei articulo, ut si judicet : *forte de Virgine natus est Christus.* Quo dubio laborant qui adeunt concionatorem haereticum, crediturí si persuaserit, quique aiunt se paratos esse credere quod ab Ecclesia definitum est, v. g. R. Pontificem infallibilem esse, si demonstratum rationibus fuerit : nam vere judicant non esse certa quae Deus revelavit.—Secus dicendum, si *negative* tantum dubitet, veluti si R. P. infallibilem esse neque affirmet cogitatione sua, neque neget ; — nisi ut notant BILL., SASS., S. LIG. (VIII, 302), deliberate et pertinaciter suspenderet assensum suum propter motiva retrahentia in contrarium : quia talis suspensio foret virtuale et implicitum judi-

cium de incertitudine objecti fidei. — **Resol. 3.** Nemo est haereticus formalis, quamdiu paratus est judicium suum submittere, licet ex ignorantia etiam *crassa* et *supina* errorem firmiter tueatur : quamvis enim mortaliter peccet contra praeceptum fidei affirmativum, ignorando voluntarie quae debet scire, non est tamen pertinax. — Idem est de illo qui per ignorantiam *affectatam* ex solo taedio addiscendi errat contra fidem; secus si ignorantia affectata sit ex contemptu seu voluntate non credendi, licet sciretur esse de fide, quia tunc adesset pertinacia. — Imo, ut recte monet Bill., « neque peccaret, si ignorantia ejus esset *involuntaria* et *inculpabilis*, ut contingit esse inter catholicos rudes, aut qui a parentibus et pastoribus incuriis negliguntur, et etiam inter enutritos apud haereticos, qui nihil unquam de fide catholica aut nonnisi irrisiones et blasphemias contra illam audierunt, nec ullo dubio hac in re pulsantur, ita ut si alia necessitate medii credenda teneant et sint animo parati cetera credere, si debite proponerentur, non videantur esse extra viam salutis. Nec obstat quod extra Ecclesiam non sit salus : ii enim ratione baptismatis, item fidei quam habent et internae dispositionis cetera credendi, dici possunt esse in Ecclesia. » - **Resol. 4.** Qui negaret conclusionem theologicam, v. g. qui in hoc syllogismo : *Omnis homo est visibilis; Christus est homo*, negaret hanc conclusionem : *Ergo Christus est visibilis*, non est haereticus, si non agnoscat connexionem hujus conclusionis cum praemissis. Si vero connexionem hanc cognoscat, est haereticus praesumptive seu illative : quia hoc ipso quod est ipsi evidens connexio inter praemissas et conclusionem, negando conclusionem censetur negare alterutram praemissarum : non naturalem, quae est evidens; ergo alteram quae est de fide. - **Resol. 5.** Ut quis sit haereticus formalis *coram Deo* seu in foro conscientiae, sufficit ut aliquam veritatem, quam, licet privatim, a Deo revelatam esse cognoscit, etiam voluntarie dubitando, cum pertinacia rejiciat. At ut sit haereticus formalis *coram Ecclesia* seu in ordine ad poenas, praeter alias conditiones etiam requiritur, ut erretur in his quae ab Ecclesia catholica solemniter fuerunt definita, juxta dicta (pag. 279).

Q. 41. *Quaenam* requirantur ad haeresim *formalem* CORAM ECCLESIA, i. e. quae canonicis plectitur poenis?

R. Requiritur : — 1°) Ex parte *subjecti*, ut persona errans sit fidelis, i. e. baptizata.—2°) Ex parte *intellectus*, ut habeatur judicium erroneum vel saltem dubium positivum.— 3°) Ex parte *voluntatis*, ut adsit pertinacia. — 4°) Ex parte *objecti*, ut erretur contra aliquod fidei punctum ab Ecclesia solemniter definitum.—5°) Ex parte *actus*, ut error seu dubium positivum exterius prodierint actu manifesto, humano et graviter malo, etiamsi nullo audiente aut vidente.

Resolvitur 1. Catechumenus pertinaciter negans articulum fidei non est haereticus formalis in foro Ecclesiae, quamvis sit talis coram Deo.— **Resol. 2.** Non est haereticus formalis coram Ecclesia qui pertinaciter negaret eum quem R. Pontifex Sanctorum albo recensuit sanctum revera esse, vel animas purgantium igne torqueri. Haec enim non sunt puncta fidei ab Ecclesia definita. — **Resol. 3.** Non est haereticus formalis coram Ecclesia : — A) Qui haeresim formalem internam exterius nullo verbo, vel scripto vel facto aliove nutu seu signo manifestat, quod vel ex natura sua, vel ex institutione, vel ex consuetudine, vel ex circumstantiis distincte et manifeste haeresim significat ; — B) Qui de sua haeresi loquendo utitur verbis indifferentibus vel ita ambiguis, ut clare colligi nequeat, quod sit haereticus ; — C) Qui haeresim internam manifestat in somno, in plena ebrietate ; — D) Qui illam manifestat confessario vel alteri causa consilii aut instructionis tantum.— **Resol. 4.** Est haereticus formalis coram Ecclesia qui in occulto solus, nemine vidente, deliberate ex odio cultus imaginum easdem laceraret : sufficit enim esse tale signum ex quo, si quis adesset, statim intelligeret negari fidem.

Q. 42. *Quaenam* sint *poenae* canonicae haereticorum *formalium?*

R. Sunt *quatuor*, scilicet : — 1°) *Excommunicatio* R. P. speciali modo reservata ; — 2°) *Irregularitas* ; — 3°) *Inhabilitas* ad beneficia obtinenda et retentorum *privatio* ; — 4°) *privatio* sepulturae ecclesiasticae.

Explanatur. 1°) Incurrunt **excommunicationem** R. P. *speciali modo* reservatam, quamvis haeresis sit occulta ; — dummodo, juxta dicta, errorem suum, immo et dubium positivum *exterius* prodiderint, actu quidem *manifesto*, *humano* et *graviter malo* ; et

sciverint censuram esse annexam. — Nec ipsi solum sunt huic poenae obnoxii, sed et eorum *credentes*, i. e. qui haeresim implicite profitentur, dicentes v. g. vera esse quae Lutherus docuit, licet in particulari nesciant quaenam ea sint; eorumque *receptores*, *fautores*, ac generaliter quilibet illorum *defensores*, sive doctrinas sive personas defendant, qua illae haereticae vel hi haeretici sunt, licet is quem defendunt, receptant, etc., sit occultus vel haereticus materialis tantum, nullaque proinde excommunicatione irretitus, cum ejus bona fides non excuset peccatum aliorum, — modo defensio, favor, receptio effectum habuerint. Cfr. *Adnotationes* in Const. « Apostolicae Sedis » tom. IV. — 2°) Incurrunt **irregularitatem**, ratione infamiae, si haeresis sit publica. Cfr. *De irregul. ex delicto infamante* tom. IV. — 3°) Fiunt **inhabiles** beneficiis ecclesiasticis obtinendis, **privanturque** his quae retinent; at post sententiam declaratoriam *judicis*, nisi haeresis sit publica. — 4°) Privantur **sepultura ecclesiastica**, dummodo haeresis fuerit publica et in haeresi decesserint.

Q. 43. *Quotuplex* sit *apostasia?*

R. *Triplex.*

Explanatur. Distinguitur : 1°) Apostasia **a fide**, et est recessus totalis a fide christiana; — 2°) Apostasia **a religione**, et est criminosus recessus ab ordine religioso cum animo non revertendi, sed saeculariter vivendi; — et 3°) Apostasia **ab ordine**, et est quando clericus in sacris constitutus ad statum laicalem se transfert, dimisso habitu clericali. — De *prima* sicut de *haeresi formali*, ad quam reducitur, statuendum est; et quoniam crimen apostasiae in *recessione* consistit, ideo nihil interest, utrum apostata ad Judaismum abierit, an ad Paganismum, vel utrum in Deismum, vel Atheismum, vel Rationalismum etc., prolapsus fuerit.

Q. 44. Dic : 1°) *Quid*, — et 2°) *quotuplex* sit *schisma?*

R. Ad 1um) *Schisma* est separatio ab unitate Ecclesiae.

R. Ad 2um) Est *duplex* : — Si fit sine aliquo errore contra fidem, ut si quis ex mera malitia abstraheret se ab obedientia veri Romani Pontificis, et adhaereret alteri, dicitur schisma *purum*; — si cum aliquo errore contra fidem, ut si quis abstraheret se ab obedientia veri Romani Pontificis et negaret

primatum S. Romanae Ecclesiae, dicitur *non purum*, hocque ad *haeresim* iterum reducitur.

SECTIO 2ª. — DE SPE.

CAP. UNIC. — De quidditate spei, distinctione, objecto, certitudine, necessitate, deque peccatis spei oppositis.

Q. 45. Dic : 1°) *Quid*, — et 2° *quotuplex* sit spes?

R. Ad 1um) Spes *in genere*, prout abstrahit a naturali et supernaturali, ex S. THOM. (1. 2. q. 40, a. 1) definiri potest : *Exspectatio boni futuri, ardui seu difficilis, possibilis tamen haberi.* — Quod si *bonum* illud sit *naturale*, ita ut viribus naturae acquiri possit, erit spes *humana*; si vero sit *supernaturale* ad quod consequendum opus est auxilio Dei, dicitur spes *divina* seu *theologica*, de qua sola in posterum agemus.

Resolvitur. Itaque circa **objectum** spei generice sumptae ex S. THOM. (*l. c.*) *quatuor* conditiones attenduntur : « PRIMO *quidem quod sit* **bonum** : *non enim, proprie loquendo, est spes nisi de bono, et per hoc differt spes a timore, qui est de malo;* SECUNDO *ut sit* **futurum** ; *non enim est spes de praesenti jam habito; et per hoc spes differt a gaudio, quod est de bono praesenti;* TERTIO *requiritur, quod sit aliquid* **arduum** *cum difficultate adipiscibile; non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua possessione ut habeat, et per hoc differt spes a desiderio vel cupiditate, quae est de bono futuro absolute; unde pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem;* QUARTO, *quod illud arduum sit* **possibile adipisci** : *non enim aliquis sperat id quod omnino adipisci non potest, et secundum hoc differt spes a desperatione.* »

R. Ad 2um) Spes vero *theologica*, duplex distinguitur : *habitualis* et *actualis*. Qua HABITUS, definitur : « *virtus a Deo infusa, qua inclinamur ad exspectandum certa cum fiducia aeternam beatitudinem ex Dei gratia et bonis operibus nostris;* » qua ACTUS : « *exspectatio cum certa fiducia aeternae beatitudinis ex gratia Dei et bonis operibus nostris.* »

Explanatur. Dicitur : 1°) **certa cum fiducia,** quatenus spes theologica ex parte Dei innitur fundamento firmissimo, scilicet divina omnipotentia et misericordia nec non fidelitate Dei in promissis, quibus pollicitus est se ob merita Christi ad gloriam nos adducturum. — Dicitur : 2°) **vitam aeternam** quibus verbis indicantur *bona futura* quae a Deo speramus. — Dicitur : 3°) **ex gratia,** ut significetur bona illa futura esse *adeptu possibilia*. — Dicitur : 4° **et bonis operibus nostris,** scilicet in Deo factis, ad indicandum bona illa futura et adeptu possibilia esse *ardua*. Unde legitur II Petr. I, 10 : « *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* » Aliunde sine hujusmodi operibus ex viribus gratiae factis spes nostra foret praesumptio.

Q. 46. *Quodnam* sit spei *objectum?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Objectum **materiale** est beatitudo aeterna, et quaecumque ad eam assequendam sunt necessaria et conferunt ; — adeoque *primarium* Deus ipse, prout summum bonum nostrum a nobis possidendus et fruendus ; *secundarium* vero gratia et bona opera nostra ; haec enim ad Deum possidendum perducere, tradit Tridentinum de justif. c. 16 ; imo bona temporalia, ut sanitas, divitiae, etc., quatenus per bonum eorumdem usum ex gratia Dei ad salutem conducere possunt ; verbo, omnia quae in septem petitionibus Orationis Dominicae continentur et a S. Thom. explicantur 2. 2. q. 83, a. 7 seqq. . — Quodnam autem imprimis sit objectum **formale,** utrum Dei *omnipotentia*, qua nobis auxilia impertitur ad beatitudinem consequendam, an *miseratio*, seu infinita bonitas erga nos, an *promissio*, seu fidelitas in promissis quibus pollicitus est se ob merita Christi ad beatitudinem nos adducturum, inter TT. non satis convenit. — Haec tria simul conjuncta objectum *formale* spei constituere docet S. Lig. (II, 21, et H. A. IV, 6-7) cum aliis. Quae sententia videtur magis recepta et fidelium instructioni aptior. Nec dici potest S. Thomas huic dissentire, cum pro motivo sperandi modo hoc, modo illud assignet.

Resolvitur. Cum ea quae speramus, scilicet salus aeterna et media ad eam, sint effectus meritorum Christi, eumque ea speremus, quia Deus vult, potest et promisit nos beare per merita Christi, patet

spem nostram inniti meritis Christi, tanquam causae **principali efficienti.** Nihil tamen impedit, quominus spes nostra quoque innitatur meritis et intercessionibus Sanctorum ac praesertim B. M. Virginis, quae ideirco *spes nostra* nuncupatur, imo propriis meritis ex gratia factis, sed tanquam causis **secundariis** et **instrumentalibus,** per quas, ut ait S. Thom. (2. 2. q. 17, a. 4 « *aliquis adjuvatur ad quaecumque bona consequenda in beatitudinem ordinata.* »

Q. 47. An spes sit *certa?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Est certa *ex parte* **Dei,** quatenus innititur infinitae ejus omnipotentiae, misericordiae et fidelitati in promissis. Hinc Paulus Rom. V, 5) : « *Spes non confundit.* » — Est vero incerta *ex parte* **nostri,** cum multi defectus accedere possint propter infirmitatem nostram, quibus Dei promissionum effectus impediri possunt. Quare spem nostram timor semper comitetur oportet, dicente Apost. (Philipp. II, 12) : « *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* »

Resolvitur 1. Cum spes nostra, licet sit firmissima *ex parte Dei,* excludens omnem diffidentiam et haesitationem, timorem tamen compatiatur *ex parte nostri,* ideo merito ab Apost. (Hebr. VI, 19) per symbolum **Anchorae** significatur, quae licet ipsa sit immobilis, non tamen omnem naviculae fluctuationem impedit. — **Resol. 2.** Sicut in spe semper requiritur aliquis **amor,** cum nemo speret nisi quod amat; sic quoque semper reperitur aliqui **timor** quantum ad eventum et ea quae requiruntur ex parte nostra. De amore spei, qui vocatur *amor castae concupiscentiae,* et de *timore* dicetur ubi de *attritione* tom. III.

Q. 48. *Qualiter* spes sit *necessaria?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Spes **habitualis** est omnibus tam parvulis quam adultis necessaria *necessitate medii* ad salutem : quia nemo salvatur qui non est in gratia sanctificante quae non separatur ab habitu spei. — **2°)** Spes **actualis** est adultis ratione utentibus necessaria *necessitate medii.* Constat ex illo Apostoli (Rom. VIII, 24) : « *Spe enim salvi facti sunt.* » Hinc Tridentinum (Sess. VI, 6

inter actus adultorum ad justificationem praerequisitos actum spei recenset. — 3° Insuper **actus** spei est necessarius *necessitate praecepti* : — tam *negativi*, quo vetantur desperatio et praesumptio, — quam *affirmativi*, quo actus spei elicere tenemur *quandoque* in vita, juxta illud Ps. IV, 6 : « *Sperate in Domino ;* » item (I Petr. I, 13) : « *Sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam.* » Accedit propositio damnata ab Alex. VII sub n. 1 : « *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, Spei et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* »

Resolvitur 1. Non est illicitum aut vitiosum, ut contenderunt **Calvinistae, Lutherani** et **Bajanistae,** operari intuitu mercedis aeternae. Constat ex Trid. (sess. VI, can. 31) : « *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.* » Item ex damnatione propositionum per Alex. VIII, quarum una sic sonat sub n. 10 : « *Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* » Altera sub n. 13 : « *Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* » — **Resol. 2.** In praesenti vita, non datur, ut somniarunt **Quietistae,** status in quo actus spei exerceri non debeat. Constat ex damnatione propositionum Michaelis Molinos per Innoc. XI, quarum una sic habet sub n. 7 : « *Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate.* » Altera sub n. 12 : « *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso, nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet.* » — **Resol. 3.** Spes christiana ita adultis omnibus indiscriminatim praecipitur, ut actus ejus etiam a viris ad apicem perfectionis evectis elici possit ac debeat. Constat ex propositionibus damnatis **Semiquiestarum** per Innoc. XII, quarum prima sic sonat : « *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse ; neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem ; non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* »

Q. 49. *Quandonam* urgeat praeceptum *affirmativum* eliciendae spei?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Obligat **per se** : — **1°**) cum fides nobis proponitur; — **2°**) in gravi tentatione contra spem non aliter superanda, eoque magis dum quis lapsus est in desperationem; — **3°**) saepius in vita, i. e. probabiliter saltem semel in anno. — Obligat **per accidens** : dum urget praeceptum quod sine actu spei impleri non potest, sicut non potest elici attritio. — Ceterum uti fidei, ita et spei praecepto satisfit actibus tum *explicitis* tum *implicitis*.

Q. 50. *Quaenam* peccata spei *opponantur?*

R. Praecipue sunt duo : *desperatio* per defectum, et *praesumptio* per excessum.

Q. 51. *Quid* 1°) sit DESPERATIO? — 2°) *quale peccatum?* — et 3°) *undenam* oriatur?

R. Ad 1um) *Est voluntaria abjectio omnis spei consequendi beatitudinem aut media necessaria ad illam.*

Explanatur. Dicitur 1° **voluntaria** : ut excludantur motus involuntarii ex nimio timore, ex complexione melancholica vel daemonis tentatione provenientes, ad quod advertere debet confessarius. — Dicitur 2°) **abjectio** : quia desperatio non est mera omissio actus spei, etiam dum praeceptum urget, sed est positiva nolitio et recessus a prosecutione beatitudinis utpote impossibilis vel nimis difficilis. — Dicitur 3°) **omnis spei** : qui enim aliquam adhuc, licet modicam spem et conatum obtinendae beatitudinis retinet, nondum desperat.

R. Ad 2um) Est peccatum mortale, primum *in Spiritum S.*, et quidem mortale *ex toto genere* : quia directe opponitur divinae omnipotentiae, fidelitati et misericordiae, quibus gravem irrogat injuriam; attamen secundum se est levius odio Dei et infidelitate, quia haec opponuntur Deo secundum se, desperatio vero in ordine ad nos. Est tamen ex S. THOM. 2. 2. q. 20, a. 3) *periculosior* : quia per spem revocamur a malis et inducimur ad bona prosequenda, et ideo spe exclusa, homines in quaevis crimina se praecipitant, et a bonis laboribus retrahuntur, donec tandem, conscientiae reatum ferre non valentes, sibi ipsis mortem inferant.

R. Ad 3um) Ex S. Thom. 2. 2. q. 20, a. 3) desperatio «*specialius oritur ex* ACEDIA» seu nimia dejectione animi, qua «*aliquis bonum arduum non aestimat ut possibile sibi adipisci vel per se vel per alium.*» Desperatio «*potest tamen oriri ex* LUXURIA;» «*nam ex affectu harum* (venerearum *delectationum continget quod homo fastidit bona spiritualia et non sperat ea quasi bona ardua.*»

Q. 52. An *desperatio* adjunctam habeat *infidelitatem?*

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 20, a. 2) *sub distinctione.*

Explanatur. Scilicet : **Affirmative**, si procedat ex judicio contra fidem, ut si quis in eam incidat, ratus, sicut olim Novatiani, quaedam peccata atrociora Deum aut non posse aut nolle dimittere, aut eis dimittendis Christi merita satis non esse. — Secus **Negative**, ut si quis desperet, quia putat Deum sibi non parciturum propter suam ingratitudinem vel inveteratam peccandi consuetudinem : non enim est revelatum quod Deus daturus sit veniam, sed quod dare possit, et quod velit, quantum est ex se. — Unde in confessione interrogandus est poenitens, ex quo judicio desperaverit, ut videatur, an *unum* sit vel *duplex* specie peccatum.

Q. 53. *Quid* 1°) sit *praesumptio*, — 2°) *quotuplex* — et 3°) *quale* peccatum?

R. Ad 1um) *Est inordinata exspectatio aeternae salutis vel mediorum ad illam.* Quod fit : — 1°) si quis speret consequi beatitudinem viribus naturae; — 2°) si speret consequi sine bonis operibus, sola fide fiduciali; utraque est haereticalis; — vel 3°) si facilitas veniae consequendae sit ipsi ratio multiplicandi peccata, aut differendi poenitentiam ad finem vitae.

R. Ad 2um) Hinc triplex distinguitur praesumptio : prima dicitur *Pelagiana*; secunda *Lutherana* et *Calvinistica*; tertia *catholicorum*.

R. Ad 3um) Praesumptio, etiam non haereticalis, est peccatum mortale *in Spiritum Sanctum*, quia bonitate Dei, quae Spiritui S. adscribitur, abutitur ad liberius peccandum. Est tamen minus grave quam desperatio : quia per hanc quis omnino recedit a Deo, per praesumptionem tendit in Deum, sed inordinate; interim maxime perniciosa, quia laxat habenas ad

multiplicanda peccata. Communius dicitur in ea non dari parvitatem materiae : videtur enim gravis irreverentia abuti divina misericordia ad peccandum, etiam venialiter tantum. Juxta nonnullos tamen levis esset praesumptio illius, qui ob spem veniae venialiter peccaret.

Q. 54. An sit *praesumptio*, dum *spes remissionis* obtinendae mere *concomitatur* peccatum?

R. *Negative.*

Explanatur. Nam etsi quis hic et nunc peccet, equidem bonum est etiam tunc sperare a Deo veniam, et proponere postea confiteri vel poenitere. Hinc docet S. Thom. 2. 2. q. 21, a. 2, ad. 3) : « *Dicendum, quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae, cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de ipso, hoc non est praesumptionis, sed hoc peccatum diminuit : quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* »

Q. 55. *Quandonam* habeatur *praesumptio* in eo qui *pergit* peccare?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si ideo pergat peccare, quia **confidit** misericordiam Dei aeque facile remissuram plura peccata, quam unum, *habetur* praesumptio. — *Secus* autem, si ideo, quia erubescentia eadem vel **labore** potest confiteri plura, sicut unum : quia non peccat ex confidentia in Dei misericordiam.

Q. 56. *Qualiter peccet* contra spem : 1°) *cupiens perpetuo in hoc mundo vivere*, — aut e contra 2°) *ex taedio mortem exoptans?*

R. Ad 1um) Cupiens perpetuo vivere, peccat contra spem : quia virtualiter contemnit objectum primarium spei seu coelestem gloriam, quam postponit amori temporalium ; si tamen quis optet perpetuo frui mundo sine comparatione ad coelestem beatitudinem ex amore vitae praesentis, vel ut sic effugiat periculum aeternae damnationis, probabiliter excusatur saltem a mortali.

R. Ad 2um. Non est *per se* contra spem : quia non est recedere a fine ultimo; nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit expressa rebellio contra ordinem divinae providentiae.

Q. 57. Quomodo *amittatur* habitus infusus spei?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°. Tollitur **directe** per peccatum mortale desperationis et omne aliud spei directe oppositum, ut sunt : positivum et efficax odium aeternae beatitudinis seu visionis beatificae; ejus contemptus, nolitio mediorum necessariorum, et similes actus. Non autem amittitur per omissionem actus spei graviter culpabilem, nec per praesumptionem, si non adsit formalis infidelitas : quia praesumptio relinquit motivum fidei, nec reddit hominem inhabilem ad sperandum. Nec per inefficacem displicentiam beatitudinis. — 2°. **Indirecte** tollitur quovis peccato infidelitatis fidem destruente: quia, sublata fide velut fundamento, consecutive pereunt ceterae virtutes per se infusae.

SECTIO 3ª. — DE CHARITATE.

CAP. I. — De charitatis natura, divisione, objecto et necessitate.

Q. 58. *Quid* sit *charitas?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Charitas,* qua HABITUS, *est virtus theologica a Deo infusa, qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum, ac nos et proximum propter Deum.* — Qua **actus,** *est amor benevolentiae,* (amour désintéressé) *quo Deo, nobis et proximo volumus bonum quia Deo bonum est;* — et in hoc distinguitur ab amore *concupiscentiae* (amour intéressé), qui vult Deo, nobis et proximo bonum, non quia hoc Deo vel proximo, sed quia ipsi volenti bonum est, ideoque ad spem pertinet.

Scholion. Utrum charitas **habitualis** sit aliquid *creatum,* inter DD. disputatur. Alii **negant** dicuntque cum PETRO LOMBARDO quod charitas *habitualis* sit ipse Spiritus Sanctus mentem inhabitans et voluntatem immediate movens ad actum dilectionis, et non

mediante habitu, ut fit in actibus aliarum virtutum, et hoc dicebant propter excellentiam charitatis. — Alii **affirmant** dicuntque cum S. Thom. 2. 2. q. 23, a. 2 quod charitas habitualis sit « *aliqua habitualis forma superaddita potentiae naturali, inclinans ipsam ad charitatis actum et faciens eam prompte et delectabiliter operari.* » —Et haec sententia simul docet, quod ipsa persona Spiritus Sancti justis interiori missione donetur eosque per quamdam substantialem sui conjunctionem faciat sanctos et filios Dei adoptivos, conformiter ad doctrinam S. Thom. P. I, q. 43, a. 3, ubi dicit : « *In ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus Sanctus habetur et inhabitat hominem.* » Quam inhabitationem substantialem Patres et latini et graeci professi sunt, quorum testimonia refert Petavius (l. VIII, c. 4 seqq.).

Q. 59. *Quotuplex* sit *charitas?*
R. *Multiplex.*

Explanatur. Alia est **habitualis**, alia **actualis**, juxta modo dicta. — Alia est **appretiativa**, alia **intensiva**, prout Deus omnibus creaturis praefertur, vel insuper diligitur amore vehementiori et intensiori ac quaelibet alia creatura. — Alia est **affectiva**, alia **effectiva**, prout sistit in affectu interno, quo Deo aut proximo bene volumus, vel ex affectu procedit in opus, bonum scilicet dilecti procurando et malum ab eo avertendo. Alia dicitur *charitas* **erga Deum**, alia **erga proximum**, prout Deum vel proximum respicit. Utraque tamen una est specie virtus ex S. Thoma (2. 2. q. 25. a. 1), cum unum semper sit motivum, nempe propter Deum.

Q. 60. *Quodnam* sit *charitatis* objectum *materiale?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Objectum materiale **primarium** est Deus juxta illud (Matth. XXII, 37 seq.) : *Diliges Dominum Deum tuum.... Hoc est maximum et primum mandatum.* — Objectum vero materiale **secundarium** sumus ipsi nos, et proximus noster, quo nomine intelliguntur quicumque sunt capaces aeternae beatitudinis, adeoque omnes homines viatores, etiam peccatores et inimici. Item Sancti et Angeli in coelo, necnon animae in purgatorio, non vero homines damnati et daemones. Est enim de ratione perfectae ami-

citiae amare non tantum eum quocum amicitia habetur, sed etiam illos qui cum amico relationem habent.

Resolvitur. Cum S. Thom. (2. 2. q. 25, a. 3) : « *Charitas fundatur super communicatione beatitudinis aeternae, cujus creatura* **irrationalis** *capax non est. Unde amicitia charitatis non potest haberi ad creaturam irrationalem. Possunt tamen ex charitate diligi creaturae* **irrationales,** *sicut bona quae aliis volumus, in quantum scilicet ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei et utilitatem proximi.* »

Q. 61. *Quodnam* sit *charitatis* objectum *formale?*

R. Objectum *formale* seu motivum proprium et specificativum charitatis est bonitas Dei *absoluta*, qua bonus est *in se*, seu divinae perfectiones, sive considerentur *collective*, sive *distributive*, cum perfectiones non distinguantur realiter in Deo. Ideo tamen non excluditur motivum *secundarium* et *subsidiarium* charitatis, quae est bonitas Dei *relativa*, qua scilicet est bonus *nobis* : beneficia enim quae a Deo accepimus vel speramus sunt ex S. Thom. (2. 2. q. 23, a. 5 ad 2), rationes secundariae « *ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes.* »

Resolvitur 1. Hinc merito damnatum fuit systema tum **Quietistarum** dicentium cum Molinos, amorem concupiscentiae esse abjiciendum; tum **Semiquietistarum** cum Fenelon tradentium, charitatem theologicam, ut sit pura et perfecta, ad eum gradum assurgere debere, ut nullum amplius involvat propriae salutis desiderium. — De utroque systemate scripsi in opere : *Principia et Errores* (pag. 249 seqq.). — **Resol. 2.** Amare proximum propter Deum nihil aliud est, quam proximo velle bonum propter bonitatem Dei; i. e. proximo velle, « ut in Deo sit, ut illi tanquam fini ultimo adhaereat, indeque Deus ametur, laudetur, glorificetur propter infinitam ejus bonitatem et perfectionem, sicque patet, quod **ratio formalis** diligendi proximum sit infinita Dei bonitas propter se amabilis. » Ita Bill. post Sass.

Q. 62. *Qualiter* charitas sit *necessaria?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Charitas **habitualis** est omnibus etiam parvulis necessaria necessitate medii : quia vel est eadem realiter cum gratia sanctificante vel saltem necessario connexa. — **2°)** Adultis ratione utentibus etiam aliquis **actus** charitatis est necessarius necessitate medii; dicitur enim (1 Joan. IV, 7 seq.) « *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum ; qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est.* » Debet autem hic actus esse *supernaturalis :* — a) ex parte principii, quatenus a gratia saltem actuali procedit ; — b) ex parte objecti materialis, quatenus respicit Deum ut auctorem et finem supernaturalem ; — c) ex parte objecti formalis, quatenus fertur in Deum ob ipsius bonitatem in ordine supernaturali per fidem supernaturalem propositam. — **3°)** Demum charitas **actualis** adultis est necessaria necessitate praecepti.

Q. 63. An omnis *actus humanus*, ne peccatum sit, fieri debet ex *motivo charitatis?*

R. *Negative.*

Explanatur. Secus enim sequeretur, inter charitatem et vitiosam concupiscentiam non dari medium, et actum a charitate non elicitum ex prava cupiditate necessario oriri, quod in Bajo fuit damnatum. Constat praeterea ex propositione damnata ab Alexandro VIII sub n. 8 : « *Necesse est, infidelem omni tempore peccare.* » — Sufficit ergo ut opera *virtualiter* referantur in Deum, relatione saltem naturali implicita, ut in tractatu de *Actibus humanis* (pag. 65 seq.) dictum fuit.

Q. 64. An saltem, ut actus sit meritorius *de condigno*, necesse sit illum fieri ex motivo *charitatis?*

R. *Controvertitur.* — Affirmant Thomistae juxta communiorem et probabiliorem sententiam. Quae obligatio juxta S. Thom. sufficienter impletur, quando debitis temporibus actus charitatis elicitur (Cfr. pag. 69).

CAP. II. — De charitate erga Deum.

Q. 65. *Quale* detur *praeceptum* diligendi *Deum?*

R. Datur praeceptum *speciale* diligendi Deum super omnia, — tum affectu interno, per veram cordis dilectionem ; — tum

affectu externo, per mandatorum observantiam. Constat ex verbis (MATTH. XXII, 37 seq.) : « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... Hoc est maximum et primum mandatum.* » Si primum, si maximum, ergo ab aliis distinctum.— Hoc autem praeceptum est : — tum *negativum*, prohibens unquam *odio* habere Deum; — tum *affirmativum*, et ut tale, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, ut patet ex lege naturali, ita ut mallemus omnia et nos ipsos perdere, quam Deum et ejus amicitiam per mortale amittere; — non autem necessario super omnia *intensive*, i. e. conatu intensiori, ut volunt quidam rigoristae; hoc enim esset nimis grave, et plurimorum occasio scrupulorum. Cum enim bona creata sint sensibilia et nobis praesentia, difficillimum foret in ea aliquando non ferri cum majori conatu, affectione et teneritudine, quam in bonitatem Dei a nobis solo intellectu apprehensam. — Neque obstat illud (MATTH. X, 37) : « *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus;* » nam ex communi et S. THOM. intelligitur de amore *appretiativo*, non *intensivo*. — Cfr. BILL.

Scholion. *Odium* **Dei** est peccatum mortale ex toto genere et quidem omnium peccatorum **maximum**. Nam, uti argumentatur S. THOM. (2. 2. q. 34, a. 1) : « *Ratio culpae consistit in voluntaria aversione a Deo. Haec autem voluntaria aversio a Deo* PER SE *quidem importatur in odio Dei, in aliis autem peccatis quasi* PARTICIPATIVE *et* SECUNDUM ALIUD,.. *puta cum aliquis fornicatur, non avertitur a Deo secundum se, sed secundum aliud, in quantum scilicet appetit inordinatam delectationem, quae habet annexam aversionem a Deo. Semper autem id quod est per se est potius eo quod est secundum aliud. Unde odium Dei inter alia peccata est gravius.* »

Q. 66. *Quandonam* obliget praeceptum *affirmativum* charitatis *in Deum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Obligat **per se** : — 1°) Sub initium usus rationis, si adsit sufficiens notitia Dei ut infinite propter se amabilis super omnia, ita ut peccaret graviter qui tunc differret ad longum tem-

pus, quale non sunt aliqui dies, forte nec hebdomadae. — 2°) Saepius in vita, singulis saltem quinquenniis, ob propositionem damnatam ab Inxoc. XI sub n. 6 : « *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum ;* » probabiliter saltem semel in anno. — Obligat **per accidens** : — 1°) Quoties tenemur justificari deficiente confessario : tunc enim tenemur ad contritionem perfectam, quae est saltem virtualiter actus charitatis. — 2°) Quando quis judicat id hic et nunc sibi esse necessarium ad vincendam gravem tentationem : qui enim tenetur ad aliquem finem, eo ipso tenetur ad media in eum finem necessaria. — Ceterum, non requiritur actus charitatis *explicite* elicitus, sed sufficit, si fiat *implicite*, v. g. optando ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant, orando devote ut sanctificetur nomen ejus, ut fiat voluntas ejus ; tentationi resistendo, a mortalibus abstinendo, quia graviter displicent Deo summe bono ; exercendo bona opera ut Deo placeat, etc. — 3°) In fine vitae, adveniente articulo aut probabili periculo mortis, utrum tunc obliget per se, etiamsi sibi homo mortalis culpae conscius non sit, ambigitur : *affirmantium* sententia S. Alph. (II, 23) *probabilissima* est ; congruum enim est, ut tunc homo per amorem perfectum ad illum se referat, cui aeterno amore in coelo conjungi desiderat ; deinde, ut ex amore sui et Dei, medio facili ac securissimo, saluti consulat, sicque defectus sacramentorum baptismi et poenitentiae, si qui forte intervenerint, suppleat.

CAP. III. — De charitate erga seipsum et proximum.

Q. 67. Dic : 1°) *An* — et 2°) *quale* detur praeceptum diligendi *seipsum* et *proximum?*

R. Ad 1um) Datur praeceptum *speciale* charitatis diligendi *seipsum* et *proximum*, juxta illud (Matth. XXII, 39) : « *Secundum autem simile est huic : diliges proximum tuum sicut teipsum.* »

R. Ad 2um) Est autem praeceptum : — tum *negativum*, prohibens unquam *odio* habere proximum ; — tum *affirmativum*, praecipiens diligere omnem proximum, amicum et inimicum, juxta illa Christi verba (Matth. V, 44) : « *Ego autem*

dico vobis : diligite inimicos vestros; »— idque non tantum actu *externo*, v. g. subveniendo in necessitate, sed etiam actu *interno*, quo ei bene velimus, optemus bonum, ut constat ex propositionibus ab INNOC. XI damnatis sub n. 10 et 11 : « *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.* »— « *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* » — Et quidem ad satisfaciendum praecepto de diligendo proximum, sufficit amor *generalis* qui neminem excludit ac omnes complecititur. Atque adeo ad id sufficit oratio, quae pro omnibus fit, recitando dominicam orationem, in qua et internum et externum actum habes. — Teneamur tamen semper esse in animo parati ad succurrendum proximo *in particulari*, ubi opus fuerit.

Resolvitur. Cum S. THOM. (2. 2. q. 25, a. 8) dilectio **inimicorum** tripliciter potest considerari : « *Uno quidem modo, ut inimici diligantur,* IN QUANTUM SUNT INIMICI [seu secundum culpam]; *et hoc est perversum et charitati repugnans quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum* QUANTUM AD NATURAM [seu quantum homines sunt], *sed* IN UNIVERSALI; *et sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat.— Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum* IN SPECIALI, *ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; et istud non est de necessitate charitatis* ABSOLUTE... *Est tamen de necessitate charitatis secundum* PRAEPARATIONEM ANIMI, *ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret.* »

Scholion. *Odium* **proximi**, de quo hic agitur, est odium **inimicitiae**, quo nimirum volumus malum proximo. Distinguitur ab odio **abominationis**, quo nimirum aversamur personam vel qualitatem proximi. Odium **inimicitiae** semper est malum atque peccatum mortale ex genere suo, quod tamen potest esse veniale ex parvitate materiae, si leve malum eidem optetur. Odium **abominationis** quo aversamur *personam* similiter peccatum est mortale ex genere suo; potest tamen esse veniale ex levitate materiae, ut est levis aversio; imo, juxta BILL., raro est mortale, quando est simplex aversio,

absque eo quod ei aliquod malum optetur. Si potius *qualitatem* personae aversamur, odium abominationis erit malum, si aversio sit de bonis qualitatibus; potest autem esse bonum, si sit de malis.

Q. 68. *Quare* in praecepto *proximum diligendi* dicatur *sicut te ipsum?*

R. Ad significandum quod dilectio *nostri* sit exemplar dilectionis *aliorum*. — Non praecipitur tamen, ut proximum diligamus *quantum nos*, sed *sicut nos*, ideoque *sicut* importat quidem *similitudinem*, non tamen *aequalitatem*; — quam *similitudinem* pulchre evolvit S. THOM. (2. 2. q. 44, a. 7).

Q. 69. *Quisnam* sit *ordo* servandus in *charitate?*

R. Servandus est ordo tam circa *res*, quam circa *personas*.

Explanatur. Circa **res** veniunt : — **1°**) bona spiritualia et supernaturalia; — **2°**) bona naturalia et corporalia intrinseca, ut vita, sanitas; — **3°**) bona naturalia extrinseca, ut fama, honor, divitiae. Fama tamen et honor respectu bonorum fortunae est altioris ordinis, quia fama est quidpiam spirituale ac morale. — Similiter *bonum commune* praeferendum est *bono privato*, quia totum praestat parti. — Circa **personas,** — post Deum, — veniunt : — **1°**) nos ipsi; — **2°**) proximus, et inter proximos — A) propinqui; B) extranei. — Porro inter propinquos, extra extremam necessitatem, succurrendum est : — a) uxori; — b) filiis; — c) parentibus et quidem patri prae matre; — d) fratribus, sororibus et deinceps reliquis consanguineis. — Dixi : *extra extremam necessitatem;* quia in hac, parentes, eo quod vitam dederint, praeferendi sunt etiam uxori et liberis

Q. 70. *Quotuplex* distingui possit *necessitas*, tum *temporalis*, tum *spiritualis?*

R. *Triplex.*

Explanatur. Distinguitur : — **1°**) **extrema,** cum periculum damnationis aut mortis alteriusve mali morti fere aequalis, ut amissio membri principalis, pedis, brachii, oculorum, durissima captivitas, morbus incurabilis, ita proximo imminet, ut, moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit; — **2°**) **gravis,** cum quis magnum patitur periculum salutis animae aut corporis, alteriusve mali temporalis valde gravis, quod sine magna difficultate

effugere nequit ; 3° **communis** seu **mediocris**, in qua aliquis sibi providere potest sine magna difficultate. — Id hac versantur, in ordine *spirituali*, vulgares peccatores qui, si vellent aliquem conatum adhibere, e pravo statu resurgerent ; in ordine vero *temporali*, generatim pauperes mendicantes quibus, attenta eorum conditione, vita non nimis molesta ac misera est.

Q. 71. An *licitum* sit in *pari necessitate* vitam *propriam* exponere pro conservanda *aliena?*

R. Probabilius *affirmative*, per se loquendo.

Explanatur. Sic v. g. potes defendere proximum contra latronem, quamvis praevideas te occidendum ; potes in naufragio alteri permittere tabulam, qua te salvares : quia tunc non amas plus proximum quam te, sed bonum heroicae virtutis plus, quam vitam tuam ; nec hanc tibi directe tollis, sed tantum non servas amore virtutis. Quod magis tenet, si concurrat aliud motivum, v. g. pietatis erga parentes, fidelitatis erga dominum.— Dixi : **per se** ; si enim habeas familiam vita tua indigentem, si reipublicae sis necessarius, si oneratus sis debitis alias non solvendis, etc., certum est non licere.

Q. 72. An *teneamur* cum *periculo vitae* succurrere proximo in necessitate *spirituali?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. — AFFIRMATIVE per se, si necessitas sit **extrema.** — Dicitur : *per se ;* excipi enim debet : — 1°) si non sit spes moraliter certa salvandi proximum ; unde non tenetur mater vitae periculum subire, ut proles baptizetur, cum incertum sit an ad baptismum perveniat ; — 2°) si alius sit, qui possit id praestare ; — 3°) si gravius malum inde immineat, v. g. si quopiam ea de causa moriente, plurium aliorum salus periclitetur, — NEGATIVE per se, si necessitas sit tantum **gravis.** — Dicitur : *per se ;* nam ad hoc tenentur ex justitia quibus ex officio incumbit cura animarum, ut est parochus ; nisi vita pastoris pluribus foret necessaria et ita communitas pateretur.

Q. 73. *Quaenam* dilectionis *signa* debeamus exhibere *inimico?*

R. *Per se loquendo* tenemur inimico exhibere signa cha-

ritatis *communia*, non vero *specialia*.—Ratio : quia omissio priorum est signum odii et vindictae, et parit scandalum, non ita omissio posteriorum.—Sunt autem signa *communia*, quae aliis ejusdem status solemus exhibere, ut quae civis civi, cognatus cognato, superior subdito et e contra, exhibere solent. — *Specialia* sunt, quae tantum amicis vel familiaribus exhibentur.

Resolvitur 1. *Per se* peccat, qui inimico alloquenti non respondet, salutantem non resalutat, postulanti merces non vendit, a communibus eleemosynis excludit, omnes in via obvios salutat, solo inimico excepto. — Dixi : **per se**; nam possunt signa etiam communia, seclusa aversione, ad tempus subtrahi, si adsit justa causa : ut — a) si inimicus inde speretur emendandus ; — b) correctionis vel punitionis gratia, si nempe offensus sit superior offensoris, ut fecit David respectu Absalon, cui, etiam remissa offensa, non concessit videre faciem suam ; — c) si inimicus signis communibus abusurus sit ad novam injuriam inferendam ; — d) si ex aspectu aut colloquio cum inimico timeas, ne injuriarum recordatio, major commotio aut novae rixae insurgant. — **Resol. 2.** E contra *per se* non peccat qui inimicum prius non salutat, moestum non consolatur, infirmum non invisit, hospitio non recipit, ei pecuniam non mutuat, ad familiare colloquium non admittit : quia sunt signa specialis amoris. — Dixi : **per se**; nam *per accidens* tenemur etiam signa specialia exhibere : — a) si inimicus veniam debito tempore et modo petat ; — b) quando est in extrema vel gravi necessitate corporali vel spirituali ; — c) si antea solitus sis ei talia signa exhibere, ideoque ea negando sis ipsi scandalo ; — d) quando sic speras inde reconciliationem et salutem spiritualem inimici proventuram ; — e) quando omissio signi specialis esset signum speciale odii, v. g. si omnes cognatos tuos invites ad convivium, solo omisso inimico, nisi forte aliquod grave malum ex illa invitatione sequeretur, et tunc bono modo insinuari deberet quod non ex odio fieret.

Q. 74. An *inimico* etiam *remittere* debeamus *reparationem* v. g. famae ablatae vel alterius damni illati ?

R. *Negative :* quia, salva charitate, possumus etiam juridice petere, quod nobis jure debetur. — Periculosum tamen est a judice poenam exposcere, si gravis ea sit, quamvis zelo justitiae : facile enim eo latet odium.

CAP. IV. — De operibus charitatis erga proximum.

ART. I. — De eleemosyna.

Q. 75 *Quid* 1°) sit *eleemosyna* — et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (2. 2. q. 32, a. 1) « *est opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* »

R. Ad 2um) Duplex est : *corporalis* et *spiritualis.*—Prima tendit ad sublevationem miseriae corporalis ; secunda ad sublevationem miseriae spiritualis.

Q. 76. *Quot* sint *actus* eleemosynae *corporalis* et *spiritualis?*

R. Ex S. Thom. 2. 2. q. 32, a. 2. actus eleemosynae *corporalis* sunt septem, et continentur sub hoc versiculo : *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo ;* — i. e. visitare *infirmum*, potare *sitientem*, pascere *esurientem*, redimere *captivum*, vestire *nudum*, recolligere *hospitem*, sepelire *mortuum.* — Actus eleemosynae *spiritualis* sunt etiam septem, et continentur sub hoc alio versu : *Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora ;* — i. e. consulere *dubitanti*, corrigere *peccantem*, docere *ignorantem*, consolari *tristem*, remittere *offendenti*, portare *onerosos* et *graves*, orare *pro omnibus.*

Q. 77. *An* detur *praeceptum* elargiendi eleemosynam *corporalem?*

R. *Affirmative* cum S. Thom. (2. 2. q. 32, a. 5).

Explanatur. Constat 1°) ex lege naturali seu lege generali charitatis, qua obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad illi succurrendum. Constat 2°) ex Scriptura (Eccli. IV, 1) : « *Eleemosynam pauperis ne defraudes :* » et (Matth. XXV, 41 seq.) : « *Discedite a me maledicti... Esurivi enim et non dedistis mihi manducare ; sitivi et non dedistis mihi potum.* » — Ut quis autem teneatur ad eleemosynam requiruntur *duae* conditiones : et ut ille qui dat, habeat bona *superflua*, et ut ille qui petit, versetur in *necessitate.*

Q. 78. *Quotuplicis* generis sint bona *superflua?*

R. *Duplicis generis.*

Explanatur. Alia sunt *superflua* **vitae** seu **naturae**, i. e. quae supersunt deductis his, quae omnino necessaria sunt ad vitam suam suorumque sustentandam; — alia dicuntur *superflua* **statui** seu **personae**, i. e. quae supersunt deductis his, quae sunt necessaria ad conditionem seu statum personae conservandam. — Porro necessaria *statui* censentur quae requiruntur ad famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes, ad convivia de more instauranda, ad moderatam pro conditione pompam, etc. Imo, in judicandis necessariis statui non est tantum habenda ratio temporis praesentis, sed etiam futuri, v. g. pro tempore morbi, senectutis, pro educandis et dotandis prolibus juxta conditionem suam, pro augendo decenter statu, cujus tamen spes sit *probabilis*. Cavendum tamen, ne ex ambitione aut avaritia fingantur necessitates futurae, ubi nulla est illarum probabilitas, ut si caecus fieres, si domus combureretur. Unde quoque ait S. Thom. (ibid. a. 5 ad 3) : « *Nec oportet quod consideret omnes casus qui possunt contingere in futurum ; hoc enim esset de crastino cogitare quod Dominus prohibet* (Matth. VI). *Sed debent dijudicari superfluum et necessarium secundum ea quae probabiliter et ut in pluribus occurrunt.* » Alioquin omnia semper forent necessaria et nulla unquam in divitibus essent *superflua*. — Dari tamen bona *superflua statui*, constat ex prop. ab Innoc. XI damnata sub n. 12 : « *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui ; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* » — Cfr. Bill.; Sass.

Q. 79. Ex *quibus bonis* et *quibus pauperibus* sit facienda eleemosyna?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Est obligatio gravis succurrendi proximo in **extrema** necessitate ex *superfluis vitae*, licet necessariis statui : quia ordinata charitas postulat, ut vitam proximi praeferamus decentiae status nostri, cum haec sit bonum longe inferius. — Attamen non tenetur quis in necessitate extrema *privati* se iis privare, quibus ablatis redigeretur ad mendicitatem, aut pro vita proximi exponere summam valde magnam, comparare medicinas valde pretiosas : quia haec sunt extraordinaria, ad quae nequidem charitas erga seipsum obligat. — Dixi : *privati ;* nam secus dicendum, si ageretur de

persona a qua salus boni communis dependeret, quod in praxi rarissimum. — **2°** In **gravi** necessitate tenetur quis succurrere ex *superfluis statui ;* sed an sub gravi, an sub levi, non convenit inter DD. — **3°** Denique in **communi** necessitate, utrum eleemosyna elargienda sit ex praecepto, an vero ex consilio, variant DD. — *Communiter* tamen sentiunt adesse *obligationem*, saltem sub levi, quia unusquisque tenetur succurrere proximo quando facile potest. Hanc obligationem Leo XIII Enc. « *Rerum novarum* » (15 Maii 1891) apud N. R. T. XXIII, 256, hisce verbis edocet : « *Ubi necessitati satis et decoro datum,* OFFICIUM *est de eo quod superat gratificari indigentibus.* Quod superest, date eleemosynam. *Non justitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed charitatis christianae, quam profecto lege agendo petere jus non est.* » — Dixi : *saltem sub levi ;* et hinc, ut habet Laymann, confessarius diviti, qui nullam eleemosynam dare velit in communibus necessitatibus, « *non facile absolutionem negare debet, tum quia de obligatione hac, an et qualis sit, DD. non consentiunt, tum quia moraliter vix accidit, divitem nullam saltem in specie causam afferre posse cur eleemosynas dare non soleat.* » Contrarium tamen sustinet Gousset (I, 373), qui judicat absolutione indignos divites qui ex superfluis statui *nihil* dant pauperibus et omnes mendicos inhumaniter a se repellunt ; non vero esse absolutionem negandam illis qui *aliquid* dant, quia difficile est statuere quantum sub mortali dandum sit. Quo casu, ait, inducendi sunt, ut plus dent et ipsis si prudentia suadeat, in poenitentiam imponatur eleemosyna aliqua singulis diebus, hebdomadibus aut mensibus facienda.

Resolvitur 1. In *gravi* necessitate proximo succurrendum esse **sub mortali,** ex superfluis statui, si quis probabiliter putet alium non subventurum, *communior* et *probabilior* sententia est. Ratio : quia, cum in Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae, haec non sunt restringenda ad extremam et raram necessitatem. Deinde charitas ordinata exigit, ut gravi miseriae proximi postponam proprium non ita grave damnum, adeoque ut ipsi subveniam cum modico detrimento proprii status : a fortiori ergo, si adsint statui superflua. Praeterea id satis clare videtur inferri ex damnatione propositionis supra allatae. — **Resol. 2.** Item *communior* et *probabilior* sententia est, quemlibet **sub gravi** teneri

aliquando pro loco et tempore facere eleemosynam de superfluo status, « ita ut, ait Bill., qui nunquam faceret eleemosynam aut proponeret nunquam facere de superfluo status in communibus necessitatibus, non videatur excusandus a peccato mortali. »

« Dicitur : *aliquando pro loco et tempore;* quia dives habens superflua non tenetur semper et omnibus pauperibus occurrentibus dare, neque huic determinate, sed aliquando, modo uni, modo alteri, prout prudens judicaverit. — Dicitur : *de superfluo*, et non superflua status ; quia non tenetur statim omnia superflua status dare in communi necessitate, sed potest reservare, vel in alios pios usus, vel ad augendum rationabiliter statum, aliasve possessiones acquirendas, vel etiam pro majori necessitate pauperum aut reipublicae. » — Censet autem S. Lig. (II, 32) cum *communiori :* « satisfacere probabiliter divites, erogando in pauperes communes *quinquagesimam partem suorum redituum,* sive duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedant. » — Excipe *beneficiatos* qui tenentur totum superfluum pauperibus aut locis piis distribuere, ut postea videbitur.

Q. 80. *Quinam* dare *possint* eleemosynam?

R. Quoniam per eleemosynam transfertur rei dominium, hinc *generatim* illi soli eam dare possunt, qui habent plenum dominium et administrationem suarum rerum.—Unde uxores, filii, famuli non possunt facere eleemosynam sine tacito saltem consensu mariti, patris aut domini, — nisi habeant bona propria et eorum administrationem, aut in modicis rationabiliter praesumant consensum domini.

Explanatur. Dixi : **generatim** ; nam in *extrema* necessitate proximi quivis potest et tenetur succurrere, si propria bona non habeat, etiam de bonis alienis, inscio quoque, si commode conveniri non possit, vel invito domino ; quia tunc omnia fiunt communia, et sicut ipse extremam necessitatem patiens tunc potest licite sibi necessaria ad illam sublevandam auferre sine onere restitutionis, ita etiam alius potest ipsi ad hoc licite cooperari.

ART. II. — De correctione fraterna.

Q. 81. *Quid* sit *correctio fraterna?*

R. Correctio fraterna seu *correptio*, ut mavult S. THOM. (in 4. dist. 19, q. 2, art. 1), ex eodem S. DOCTORE (ibid.) « *est admonitio fratris de emendatione delictorum, fraterna caritate procedens.* » — Unde proprie spectat emendationem lapsus *praeteriti*.

Q. 82. *Quaenam* sit *differentia* inter correctionem *judicialem* et *fraternam?*

R. Haec est : *prima* fit a potestate publica, *secunda* a privata ; — *prima* tendit ad bonum commune, *secunda* ad bonum particulare ; — *prima* est actus justitiae vindicativae, *secunda* est actus charitatis.

Q. 83. An detur *praeceptum* correctionis fraternae?

R. *Affirmative*, — tum *naturale* : si enim ex charitate tenemur sublevare miseriam proximi corporalem, quanto magis spiritualem? — tum *positivum divinum*, ut patet ex illo (MATTH. XVIII, 15 : « *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum ;* » ubi *in te* intelligendum est : *coram te* aut *te sciente*.

Q. 84. Quaenam *conditiones* requirantur ad strictam correctionis *obligationem?*

R. Requiruntur *quinque* sequentes conditiones.

Explanatur. Requiritur : **1°**) Ut **certo** *constet de peccato proximi ;* unde non sufficit suspicio, dubium aut rumor etiam publicus : haec enim saepe sunt infundata, et potius causabunt turbationem quam emendationem. — **2°**) Ut *adsit* **spes vera**, imo **major probabilitas** *emendationis ;* alias otiosa saltem erit correptio. — **3°**) Ut *judicetur* **necessaria** ad rei emendationem ; hinc excusaris, si prudenter credas proximum utpote alias timoratae conscientiae sponte se emendaturum vel emendandum per alium, v. g. confessarium. — **4°**) Ut *citra* **grave incommodum** corripientis fieri possit. — **5°**) Ut *fiat* **tempore opportuno** ; quare potest differri, quin imo debet, ut si corripiendus ita esset dispositus, ut non posset talem cibum digerere : correptio enim fraterna, docente S. SALESIO, est durae digestionis, nisi mansuetudinis oleo molliatur et condiatur.

Q. 85. An *sub gravi* obliget praeceptum correptionis fraternae?

R. *Affirmative*, per se loquendo, si adsint requisitae conditiones, et agatur de materia gravi.—Dixi : **per se** *loquendo;* si enim quis ob verecundiam, pusillanimitatem putet, se non ita stricte obligatum vel minus idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter.

Q. 86. Quaenam *materia* censeatur *gravis?*

R. *Per se* peccatum *mortale;* unde peccata *venialia* nemo privatus tenetur corrigere, nisi ad summum sub veniali, dum facillime potest.—Dicitur : *per se;* nam excipi debet :— 1°) si ex venialibus grave damnum sequeretur; et hinc in ordinibus religiosis, si per venialia peccata aut dissolvi aut etiam valde minui vigor disciplinae videatur, gravis esse poterit obligatio non solum in superioribus, sed etiam in privatis, cum utrique ad gravissimum hoc malum religionis avertendum ex charitate teneantur. — 2°) Si venialia proxime disponant ad mortale; et hinc si filius vel subditus saepe furetur modica, vel paulatim assuefacit se potationi, lusui periculoso, etsi adhuc peccetur leviter, sub gravi tamen corripiendi sunt.

Q. 87. An *facienda* sit correptio erga eos qui peccant *ex ignorantia?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative*, si ignorantia sit **vincibilis,** graviter culpabilis, et conditiones requisitae adsint. — **2°)** Si vero ignorantia sit **invincibilis,** non tam agitur de fraterna *correptione*, cum proximus non sit in culpa, quam de *monitione*, qua ipse de veritate docetur. Et hoc in casu, — vel monitio praevidetur profutura, — vel non. Si *primum*, fieri debet; si *secundum*, non debet fieri, nisi agatur de rebus necessariis necessitate medii ad salutem, vel de rebus quae publicum damnum vel scandalum praebent, ne scilicet alii putent id licere, quod non corrigitur.

Q. 88. *Quosnam* obliget *praeceptum* correptionis fraternae?

R. Obligat omnes, saltem rationis judicium habentes, — etiam peccatores, — imo et subditos, maxime si ex peccato superioris immineat periculum gravis damni vel scandali. Patet hoc ex facto Pauli corripientis Petrum —Inferiores tamen id facere debent humiliter et reverenter, dicente Apostolo

(I Tim. V, 1) : « *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* » — Et quidem strictius obligat superiores, cum isti teneantur subditorum bonum curare ex suo officio vel ex stipendio quod exigunt. Tales sunt qui curam gerunt aliorum in communitate vel familia.

Resolvitur. Cum S. Thom. (2. 2. q. 33, a. 3 ad 2) : « *Sicut ille qui habet unde corporaliter subvenire possit, quantum ad hoc* **dives** *est ; ita ille qui habet sanum rationis judicium, ex quo possit alterius delictum corrigere, quantum ad hoc est* **superior** *habendus.*

Q. 89. Qualis *ordo* servandus sit in correptione fraterna?

R. *Per se loquendo*, servandus est ordo a Christo praescriptus (Matth. XVIII, 15 seq.).

Explanatur. Itaque requiritur : ut **1°**) fiat correptio **secreto** : « *Corripe eum inter te et ipsum solum ;* » — **2°**) si haec non sufficit, fiat coram **uno** aut **duobus** testibus : « *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos ;* » — **3°**) si nec ex hoc sequatur emendatio, deferatur ad **superiorem** : « *dic Ecclesiae.* » — Ratio est : quia charitas, imo justitia obligat, ut proximus corrigatur cum minimo, quo fieri potest, famae ejus detrimento. — Dixi : **per se** *loquendo ;* quia aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet : — A) Si peccatum sit publicum vel mox publicandum, ut scandalum avertatur. — B) Si peccatum sit perniciosum communitati, ut conspiratio, haeresis, in religionibus peccata carnalia, aut cedat in grave damnum tertii innocentis : quia bonum commune aut innocentis praevalet. — C) Si secreta correptio non judicetur profutura. — D) Si magis praestet rem statim superiori manifestare ; « *et tunc*, ait S. Thom. *(Quodl.* XI, a. 3), *non dicit Ecclesiae, quia non dicitur ei sicut praelato, sed sicut personae proficienti ad correctionem proximi et emendam.* » Ideo male facit, si delictum statim promulget aut publice puniat. — E) Si proximus cessit juri suo, ut privatim corripiatur, sicuti in more est penes quosdam regulares.

CAP. V. — De peccatis charitati proximi oppositis.

Praenotandum. Inter *praecipua* peccata quae charitati proximi magis directe opponuntur, praeter **odium** et **invidiam**, de quibus

supra (p. 223 et 309 seq.) jam egimus, a S. Thom. (2.2.q.43) annumeratur **scandalum.** Cum autem hoc peccatum committi possit cum vel sine cooperatione ad peccatum alterius, hinc dicemus : 1°) *de simplici scandalo* sine cooperatione; 2°) *de scandalo cooperationis* seu de cooperatione ad peccatum alterius.

ART. I. — De scandalo.

Q. 90. *Quid* sit *scandalum?*

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 43, a. 1) : « *est dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.* »

Explanatur. Dicitur 1°) : **dictum vel factum,** i. e. actus externus vel externa actus omissio; nam cogitatio interna, utpote occulta, neminem in peccatum inducere potest. — Dicitur 2°) : **minus rectum,** ut significetur ad scandalum sufficere, quod saltem speciem mali habeat, etsi in se malum non sit, ut si quis coram aliis carnes prohibitas comedat, non explicando justam, quam habet, id faciendi causam.— Dicitur 3°) : **praebens occasionem** : requiritur enim et sufficit ut detur ruinae occasio, sive ruina sequatur, sive non. Hinc, si peccatum externum nullo modo sit aliis occasio peccandi, vel quia spectantes ita probi cognoscuntur, ut nullo modo ad peccatum induci actione illa existimentur, vel ita perditis moribus, ut ex inde certo non sint magis ad peccatum impellendi, non erit scandalum.—Dicitur 4°) : **ruinae spiritualis,** i. e. peccati.

Q. 91. *Quotuplex* sit *scandalum?*

R. Multiplex distinguitur.

Explanatur. 1°) Scandalum spectari potest : vel respective ad eum, qui praebet alteri occasionem ruinae spiritualis, — vel in ordine ad eum, cujus ruina causatur; — respectu primi, dicitur *scandalum* **datum,** jam definitum; — respectu secundi, dicitur *scandalum* **acceptum.** — 2°) Scandalum *datum,* quod et *activum* dicitur, aliud est — **directum,** dum quis ex proposito alterum intendit inducere in peccatum, — vel *formaliter* acceptum, quatenus ipsam Dei offensam intendit, et tunc vocatur *diabolicum* seu

directum formale; — vel saltem *materialiter* acceptum, quatenus intendit actum in se peccaminosum ut sibi utilem et delectabilem, ut facere solent homines, dum v. g. voluptatis causa mulierem inducunt in peccatum. Aliud est — **indirectum,** quando quis aliquid dicit vel facit ex quo praevidet proximum ad peccatum incitandum, etsi hoc non intendat. — Hinc bene scribit Suarez (*de char.* disp. 10, sect. 2. n. 1) : « Tribus *modis intelligi potest unum adducere aliquem ad peccandum.* Primo, *hac intentione directa, ut spiritualiter moriatur, sicut facit daemon.* Secundo, *directe etiam inducendo ad opus, non ut ruat, sed propter utilitatem vel oblectationem aliquam meam.* Tertio, *indirecte tantum, aliquid faciendo, unde ille excitatur ad peccandum.* » — 3°) Scandalum *acceptum,* quod et *passivum* dicitur, est ipsamet ruina spiritualis orta ex alterius dicto vel facto. — Quae si orta sit ex dicto vel facto minus recto, dicitur scandalum **acceptum datumque simul**; si autem orta fuerit occasione alterius dicti vel facti, quod neque ex se, neque ex intentione agentis inducit ad peccatum, dicitur scandalum **mere passivum,** i. e. acceptum, sed non datum ; — sive id proveniat ex ignorantia et infirmitate, et tunc dicitur scandalum **pusillorum,** ut si v. g. homo lubricus ex licito ornatu mulieris labatur in desiderium pravum ; — sive id proveniat ex mera malitia accipientis, et tunc dicitur scandalum **pharisaicum,** a Pharisaeis, qui ex sanctis Christi operibus scandalizabantur.

Q. 92. *Quantum* peccatum sit scandalum *activum?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Scandalum **directum** est peccatum *specie* distinctum ex genere suo *mortale* contra charitatem, qua tenemur saluti proximi providere. Constat ex verbis Christi (Matth. XVIII, 7) : « *Vae mundo a scandalis.* » — Potest esse veniale, non modo ob imperfectionem actus, sed etiam ob materiae parvitatem, si nempe alium inducas tantum ad culpam levem, v. g. ad mentiendum. — **2°**) Idem dicendum de scandalo **indirecto,** quoties **non adest** *ratio sufficiens* ponendi causam indirecte ad peccatum inducentem : ad contrahendam enim malitiam sufficit voluntarium indirectum. Secus vero, quoties **adest** illa *ratio sufficiens,* ut dictum est de *Actib. human.* pag. 16 seqq.

Q. 93. An in scandalo *activo* detur peccatum non tantum *contra charitatem*, sed etiam *contra virtutem*, ad quam violandam proximus *inducitur?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative* quoad scandalum **directum** : quaelibet enim virtus specialiter vetat, non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium directe inducat ad eam violandam. — 2°) *Controvertitur* vero quoad scandalum **indirectum**. — Alii *affirmant* cum S. Lig., Gousset ; — alii vero *negant* cum Cajetano, De Lugo : alioquin, qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem, quod communius rejicitur. — Sufficit ergo in confessione exprimere generatim peccatum scandali, neque necesse est speciem peccati innuere, ad quod inducti indirecte alii fuerint. — Multo minus opus est, ut exprimantur circumstantiae, quae aliorum peccatis forte speciem superaddant, v. g. num qui induci ad luxuriam turpi sermone aut pictura potuerunt, conjugati sint aut voto adstricti. — Adde, juxta probabilem sententiam, nec necessarium esse, ubi *eodem actu* plures scandalizati fuerint, horum numerum exprimere, secundum dicta *de Peccatis* (pag. 210). — Sed haec sententia mihi **minime placet.**

Q. 94. An semper *teneamur* omittere *opera nostra*, si ex illis proximus sit scandalum passurus?

R. *Distinctione* opus est. — Opera enim quae facere intendimus — vel sunt *indifferentia*, — vel *in se bona, sed nulla lege praescripta*, — vel insuper *praescripta lege naturali aut divina aut humana.*

Explanatur. Itaque 1°) ad vitandum scandalum sive *pusillorum* sive *pharisaicum*, opera **indifferentia** omittenda sunt, si possunt absque gravi incommodo, quia id charitas proximi postulat. Hinc mulier sciens se turpiter amari a quodam determinato quoties in ejus oculos incurrit, tenetur ejus consortium vitare, si commode possit. — 2°) Opera **per se bona**, etsi sint puri consilii, *regulariter* non tenemur omittere nec differre ob scandalum *pharisaicum :* alias quilibet posset sua malitia aliorum opera impedire. Patet ex verbis Christi, quando discipulis referentibus quod Pharisaei scan-

dalizarentur ex dictis ejus et factis, respondit (Matth. XV. 14) : « *Sinite illos ; caeci sunt et duces caecorum.* » — Dixi : *regulariter;* nam si non adsit rationabilis causa illa opera statim faciendi, differenda sunt. Item omitti debent, si malum, quod timetur, sit longe majus bono, quod obtinebitur ea opera faciendo, et sic punitio peccatoris erit omittenda, si inde schisma timeatur. — Imo neque ob scandalum *pusillorum* actus virtutis, etsi minime praescriptus, est omittendus, si publicam utilitatem respiciat : sic tempore Missionum etiam noctu protrahitur praedicatio, licet aliqui inde offensionem sumant. Item nec omittendus est, si notabilis sit utilitas privata, modo exponatur ratio sic agendi, et hinc quamvis quis debeat differre ingredi religionem ob scandalum propinquorum, si illorum consensus brevi speretur, si tamen moniti pergant resistere, poterit recte ingredi.—Denique 3°) opera **praescripta,** quae omitti non possunt sine peccato, nunquam praetermittenda sunt ob alterius scandalum, sive sit *pharisaicum*, sive sit *pusillorum*. Hujusmodi sunt praecepta fidei et sacramentorum, quae sunt necessaria ad salutem. Item omnia praecepta naturalia. — Praecepta vero juris positivi omitti nequeunt propter scandalum *pharisaicum*. Utrum autem omitti debeant propter scandalum *pusillorum,* controvertitur : alii negant, alii affirmant, secluso gravi incommodo, quia praeceptum vitandi scandalum proximi, cum sit naturale, praeferendum est praeceptis positivis; et sic mulier sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad missam de praecepto pergat, teneretur eam omittere semel aut iterum ; non tamen saepius, ob incommodum grave quod inde sequeretur.

Resolvitur. Patet confessarium in hac opinionum varietate consilia utique praebere, non autem obligationes posse urgere.

Q. 95. An tenearis dimittere bona *temporalia* ad scandalum vitandum ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negative* propter scandalum **pharisaicum**; alias occasio daretur malis bona illa rapiendi. — Propter scandalum vero **pusillorum,** S. Thomas (2. 2. q. 43, a. 8) *distinguit :* - - si bona sint aliorum, quorum sumus *administratores,* ea dimittere non possumus, cum nostra non sint ; — quod si bona *nostra* sint, tunc vel —

dimittenda sunt, quum melior sit anima quam divitiae multae, vel — per instructionem proximi scandalum tollendum est. — Alii tamen absolute negant, si sint magni momenti, quia charitas non obligat cum gravi incommodo.

Resolvitur. Hinc 1°) non teneris solvere plus aequo operario, licet praevideas illum secus blasphematurum. Incommodum enim illud etsi leve in se, saepius occurrere potest, et sic fit grave in complexu : imo id ad blasphemandum incitamentum esset. — Hinc 2°) nec parochus tenetur dimittere quae sibi debentur jure stolae ad praecavendas obtrectationes : grave enim non sibi modo, sed et successoribus et pauperibus quos eleemosynis adjuvat, incommodum inde contingeret.

Q. 96. An *liceat* alicui *determinato* ad *grave* malum suadere *minus*, si aliud medium non detur eum a majori avertendi?

R. *Triplex* datur sententia.

Explanatur. Prima **negat** : quia qui suadet minus malum, suadet vere malum. — Secunda **distinguit** : *concedit* id licere, si majus et minus sint in eodem genere, ut si suadeatur percussio loco occisionis ; *negat* vero, si sint in diverso genere, ut si determinato ad adulterium suadeam ebrietatem. — Tertia, quae juxta S. Lig. (II, 57) est probabilior, generatim **affirmat** : tunc enim qui suadet, non quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem mali minoris ; sic v. g. homini jam determinato ad occidendum potero suadere, ut potius furetur. — Dixi : *generatim ;* nam quidam cum S. Lig. (III, 565) excipiunt, si volenti majus damnum uni inferre, suadeas minus damnum inferendum alteri in particulari designato. Sed et hoc probabilius licere, affirmant alii, cum Sanch. (M. VII, 11, n. 24). — Cfr. q. 145 de *Just.* et *Jure*.

Q. 97. An *liceat* occasionem peccati *permittere*, ut reus corrigatur?

R. *Affirmative*.

Explanatur. Ratio est : quia permissio non est inductio, et adest ratio sufficiens peccatum permittendi. Ita licet domino aut parenti non auferre occasionem furandi servis aut filiis, qui jam parati sunt ad furandum, ut in delicto comprehensi, melius emendari

possint. — Similiter a peccato excusantur custodes agrorum, vinearum, etc., qui se abscondunt, ut damnificantes capiant et ab eis poenam exigant.

Q. 98. An ob bonum finem liceat etiam occasionem peccati *ponere?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Probabilius **affirmative** : occasio enim est actus ex se indifferens, et ideo, si ponatur ex ratione sufficienti, malum inde consequens est tantum permissum, nec imputatur ei qui occasionem ponit. Unde non peccat dominus, qui de industria relinquit appositam clavem arcae in qua pecunia reconditur, ut fidelitatem famuli dubiam experiatur. Ita DD. multi, duce S. Thoma, qui sic ait (2.2.q.78.a.4 : « *Inducere ad peccatum nullo modo licet ; uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est.* » — Quidam **negant**, quasi hoc esset positive concurrere ad peccatum, ejus periculum expresse creando et ad illud inducendo. — Cfr. S. Lig. (11, 58).

Q. 99. An peccans cum *complice* declarare debeat in confessione circumstantiam *sollicitationis?*

R. Probabilius *negative* : quia complex per consensum fit etiam ipse scandali reus, et proinde peccatum scandali sufficienter accusatur, quando complicitas cum alio exprimitur, v. g. peccatum fornicationis. — Cfr. S. Lig. (II, 46) et supra (p. 240).

ART. II. — De cooperatione.

Q. 100. *Quid* 1°) sit *cooperatio*, — et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1um) Cooperatio *in genere* est concursus cum alio principali agente. Prout autem *charitati adversatur*, definitur : *participatio quaedam ad actionem pravam alterius.*

R. Ad 2um) Dividitur in *formalem* et *materialem.*

Q. 101. Dic : 1°) *Quid* sit cooperatio *formalis* ; — 2°) *quid* vero *materialis?*

R. Ad 1um) *Formalis* habetur, cum directe cooperatur in actu criminoso, quo modo ad lapidationem Stephani (Act. V, 57) cooperatus est Saulus, ut reflectit Aug. (Serm. 14 de Sanctis). — Hoc autem *triplici* modo contingere potest : — aut 1°) per

modum concausae efficientis ponendo actum intrinsece malum, etiam ob bonum finem, ut est in eo qui alterum proxime adjuvat ad homicidium patrandum, arma in hunc finem ipsi subministrando; — aut 2°) concurrendo ad pravam voluntatem proximi volentis peccare, ut esset servare terga sicario, ut securius occidat; — aut 3°) malum ipsum quovis modo intendendo : qui enim malum intendit, sive directe sive indirecte, illud velle censetur.

R. Ad 2um) *Materialis* est, cum actio est indifferens et proximus potest ea uti sine peccato, sed ille sua malitia ea abutitur ad peccandum, ut esset mutuari pecuniam ab aliquo, qui eam non vult dare sine foenore; ministrare vinum ei, qui eo abutitur ad ebrietatem; dare claves illi, qui eis utitur ad furandum.

Resolvitur. Ex Cast. Palao (*de Char.* disp. VI, p. XI. n. 12), Mol. (tit, 2 *de just.*, disp. 115, concl. 4), Sass., *probabilius* non est cooperatio **formalis,** ex metu *mortis* adjuvare furem in effringendo aream, in excubias agendo, in res foras projiciendo, etc.; quia ad evitandum *extremum* vitae periculum posset quis se ipso auferre alteri rem temporalem sine peccato furti, cum dominus sic nequeat esse rationabiliter invitus; ergo et poterit adjuvare alterum. Nec actio tunc ex parte adjuvantis est mala, licet sit talis ex parte alterius, cum ex parte hujus dominus sit rationabiliter invitus. — Aliud est, si sicarius petat adjuvari ad mutilationem, occisionem innocentis : cum enim innocens non sit dominus membrorum et vitae, nequit consentire in sui mutilationem, ideoque cooperatio manet intrinsece mala.

Q. 102. An aliquando *liceat* cooperari peccato alterius?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Nunquam licet cooperari **formaliter** : alias daretur ansa proximo ad peccatum exsequendum, aut saltem istius prava voluntas foveretur. Aliunde nunquam licet malum quovis modo intendere. — Unde talis cooperatio nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari potest a mortali in re gravi. — **2°**) Aliquando licet cooperari **materialiter** : — A) si actio sit per se bona vel saltem

indifferens; — B) si non tenearis ex officio peccatum impedire; — C) si simul adsit causa justa et proportionata. — Nam tunc proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius, qui abutitur tuo opere ad peccandum. Itaque tunc non est actio tua, quae conjungitur pravae voluntati proximi, sed ille conjungit suam pravam voluntatem tuae actioni; unde fit, quod actio tua non est causa illius peccati, sed est tantum occasio, quam tu non teneris auferre, quando habes justam causam eam ponendi.

Q. 103. Quandonam censeatur *justa et proportionata* causa, ut quis possit cooperari *materialiter* peccato alterius?

R. Ante omnia pro regula sit : *observare quod dicunt* DD.; — quia cum totum hoc ferme pendeat a prudentium aestimatione, sententia illa erit probabilior, quae communior. — Est autem prudentium aestimatio, eo graviorem requiri causam ad cooperandum : — 1°) quo peccatum proximi est gravius, hoc enim exigit charitas; — 2°) quo magis peccatum cum justitia pugnat, quia sic simul laeditur jus tertii; — 3°) quo cooperatio est propinquior; — 4°) quo minus habes jus ad aliquam operationem, v. g. ad petendum sacramentum minus necessarium a ministro indigno; — 5°) quo probabilius est, te non cooperante alterum non peccaturum, i. e. si seclusa nostra actione non aeque facile supponantur alii idem acturi.

Q. 104. An possit esse causa rationabilis *famulis* seu *subditis*, — *operariis*, — *mercatoribus*, — *cauponibus* cooperandi *materialiter* peccatis alienis?

R. *Affirmative.*

Explanatur. **Primo** quod *famulos*, *ancillas*, *filiosfamilias*, uno verbo, **subditos** attinet, dicendum est : — 1°) Ipsa ratio famulatus aut servitii est causa sufficiens, ut excusentur a peccato, si jussu dominorum faciant opera ex se *indifferentia* et *remote* tantum ad peccatum se habentia, ut esset : — apponere vinum domino se inebriaturo; — parare cibos vetitos aut ministrare mensae eos edentium; — feminae, cum qua dominus peccaturus est, januam aperire, facem praeferre, lectum instruere; — jussu domini, quem sciunt ire ad adulterandum, sternere equum, ipsumque comitari puri obsequii causa, i. e. non ut custodiant, securum vel animosiorem ad

peccatum reddant; — imo, probabiliter, dona meretrici deferre : quia, ipsis quoque recedentibus, peccatum committeretur. — **2°**) Non sufficit sola ratio famulatus, sed requiritur causa *gravis*, v.g. metus ne a domino male tractentur, e domo expellantur, si opus *indifferens* secundum se *propius* ad peccatum accedat, ut esset : v.g. epistolas turpiter amatorias alteri scienter deferre; — imo requireretur *gravissima*, v. g. metus mortis vel ne expulsi cogantur vivere adeo miserrime, ut expediret potius mori, si opus injuriam quoque et damnum alterius continet, v. g. hero ascendenti per fenestram ad stuprandam virginem scalam deferre vel humeros supponere et ostium aperire, nempe vi adhibita. Constat ex propositione damnata ab Innoc. XI sub n. 51 : « *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* » — **Secundo** quod **operarios** attinet, licet ipsis sui officii causa theatra aedificare, ornare, si ornamenta in se sint honesta; judaeorum synagogas, haereticorum templa, permitente legitimo magistratu, restaurare aut aedificare, praesertim in iis regionibus, ubi haeretici permixtim vivunt cum catholicis : quia quamvis illa inserviant ad malum finem, tamen aedificatio ad illud se habet valde remote (Ex decl. S. Off. 17 Aug. 1615; — 14 Jan. 1818; — 7 Jul. 1864) (1). — Item ad eorum usum fabricare aut

(1) Prae oculis tamen habeatur quod legitur sub n. 6 in Decl. S. Off. (12 Jul. 1878) ap. N. R. T. (XX, 407) : « Nec a peccato gravi excusantur, qui in fanis haereticorum extruendis *architectos* operumve *redemptores* ac *praefectos* agunt: excusantur tamen *caementarii* eorumque *adjutores*, si absque ulla cooperandi haereticorum sacris intentione, secluso etiam scandalo, rem agant, et dummodo opus manifeste non fiat in contemptum catholicae religionis. At parochorum et confessariorum sollicita erit cura *minores ejusmodi artifices* monendi, ut ab ipso materiali opere locando omnino abstineant, quando vel opus communiter habeatur ut signum falsam religionem protestans, vel aliquid contineat quod unice et directe approbationem damnati haereticorum cultus portendat, vel si constet ad opus eos vocari aut cogi in contemptum catholicae religionis. » — Unde **architecti** operumve **redemptores** ac **praefecti** non sunt confundendi cum **operariis subalternis**, pro quibus insuper pensandae sunt omnes circumstantiae.

vendere organa, cathedram, mensam coenae, altaria, calicem, paramenta sacerdotalia. — Quod valet etiam de **sartoribus**, qui vestes conficiunt lacertis apertis et nudato pectore. — Non licet tamen **pravis libris edendis** immediate cooperari, v.g. typos ordinando, impressionem dirigendo, nisi juxta Lavm. (*de charit.* c. 13, n. 4)[1], ad breve tempus in casu gravissimi detrimenti : quia isti nati sunt multos subvertere [1]. — Notat interim Kenrick : « Qui prelo torquendo vacant, quin typos componant, non censentur nosse quae imprimuntur, ideoque in typographeo *communi*, ubi omnis generis libri eduntur, non tenentur ad discrimen faciendum. » — **Tertio** quod **mercatores** attinet, possunt vendere res indifferentes, quibus homines et bene et male uti possunt, v. g. aleas, gladios, fucos, etsi iis plurimi sint abusuri ; dummodo in ipsa emptione ejusque circumstantiis non appareat intentio mala peccandi. Tunc enim non sufficit amissio lucri, sed longe major eaque gravissima causa necessitatis ad talia licite vendenda requireretur, veluti si quis jam actu alteri necem minitanti vendat gladium. — Non licet tamen vendere res, quae ex institutione sua vel usu sint destinatae ad malum, v. g. venenum, medicamenta ad abortum, nisi moraliter constet, emptorem illis bene usurum, vel nisi gravissima causa necessitatis excuset. — **Quarto** quod **caupones** attinet, possunt apponere postulantibus carnes diebus esurialibus, quamvis ignorent an aliqua subsit justa excusationis causa, quam inquirere eos non oportet. — At si certo scirent nullam subesse, non sufficit sola jactura lucri, sed gravior causa requireretur, v. g. timor ne alias hospites hujusmodi ab ipsis recederent. — Similiter vinum ministrare volentibus se inebriare non licet, nisi ad praecavendas saevitias, rixas, blasphemias, aut ex denegatione notabile damnum paterentur, ut si hospitum numerus inde notabiliter decresceret. — At nunquam excusandi sunt, qui in suis officinis, tabernis, diversoriis, ea folia publica, quasi advenientium *illecebras* proponunt, quae *evidenter* et *ordinarie* sunt religioni et bonis moribus adversa.

(1) Imo, si agatur de libris **haereticorum**, legitur sub n. 8 in cit. Decl. S. Off. (12 Jul. 1878) : « Graviter item peccant typographi etiam gregales, qui libris haereticorum edendis dant operam, *licet id metu expulsionis agant*. Si autem res erit de impressione libri in quo propugnatur haeresis, nec secundarii ministri effugiunt *excommunicationem* speciali modo Summo Pontifici reservatam. »

Q. 105. An liceat *locare* domus : 1°) *usurariis* et *meretricibus?* — 2°) *Massonibus* aut aliis ejusdem generis sectariis ad suos conventus habendos?

R. Ad 1um) *Affirmative* in civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est usurarios et meretrices degere, nisi tamen meretrices graviter noceant vicinis honestis, vel ratione situs esset specialis ad peccandum commoditas (S. Lig. II,70) : tunc enim aliqua justa causa requireretur, quam tamen Sanchez censet esse, si nequeas aliis commode locare.

R. Ad 2um) *Negative;* idque sub poena excommunicationis Papae simpliciter reservatae prohibitum est, ut dicetur (tom. IV) in *Annotationibus* ad Bul. *Apost. Sedis.*

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

PRAEAMBULUM. Hujus tractatus **duplex** erit pars. In **prima** dicetur : de praeceptis *primae tabulae*, seu de officiis erga Deum; in **secunda** agetur de praeceptis *secundae tabulae*, seu de officiis erga proximum. — Ut autem hujus divisionis *ratio* clarius patescat ac dicendorum *intelligentia* melius percipiatur, juvat sequentia praenotare. — Imprimis cum **Decalogus**, ut notat Catech. Rom. ex S. Aug. (in *Exod.* q. 140) sit summa omnium legum, patet illum esse agendorum epitomem, sicut symbolum est epitome credendorum. Graece sonat *decem sermones*. Ex usu vero Judaeorum et Christianorum significat *decem praecepta* quae Deus tulit in monte Synaï et Moysi tradidit duabus tabulis insculpta populo Israelitico promulganda. Horum priorum tria, quibus homo recte disponitur in ordine ad Deum, vocantur praecepta **primae tabulae**; alia septem, quibus homo recte disponitur in ordine ad proximum, vocantur praecepta **secundae tabulae.** — Omnia haec praecepta sunt de **jure naturae**, si tamen exceperis *tertium*, in quantum est *caeremoniale*, i. e. quatenus praecipit ut dies *sabbati* sanctificetur; unde quoque quae fiunt contra aliquod horum praeceptorum sunt peccata mortalia, nisi *imperfectio* actus, et in aliquibus excuset *parvitas materiae*. — Porro **ordinem** decem praeceptorum et **convenientiam** hujus denarii numeri sic explicat S. Thomas (1.2.q.100,

a. 5) : - Sicut praecepta legis humanae ordinant hominem ad quamdam communitatem humanam, ita praecepta legis divinae ordinant hominem ad quamdam communitatem seu rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur, **duo** requiruntur : quorum primum est, ut bene se habeat ad eum qui praeest communitati; aliud autem est, ut homo bene se habeat ad alios communitatis consocios et comparticipes. Oportet igitur quod in lege divina primo ferantur quaedam praecepta ordinantia hominem ad Deum, et inde alia quaedam praecepta ordinantia hominem ad alios proximos simul conviventes suo Deo. **Principi** autem communitatis tria debet homo : primo fidelitatem, secundo reverentiam, tertio famulatum. Fidelitas quidem ad dominum in hoc consistit, ut honorem principatus ad alium non deferat, et quantum ad hoc accipitur primum praeceptum cum dicitur : *Non habebis Deos alienos*. Reverentia autem ad dominum requirit ut nihil injuriosum in eum committatur; et quantum ad hoc accipitur secundum praeceptum quod est : *Non assumes nomen Domini tui in vanum*. Famulatus autem debetur domino in recompensationem beneficiorum quae ab ipso recipiunt subditi; et ad hoc pertinet tertium praeceptum *de sanctificatione sabbati* in memoriam creationis rerum. Ad **proximos** autem aliquis bene sehabet et specialiter et generaliter. Specialiter qnidem quantum ad illos quorum est debitor, ut eis debitum reddat; et quantum ad hoc accipitur praeceptum *de honoratione parentum*. Generaliter autem quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo quandoque quidem in propriam personam, quantum ad consistentiam personae; et hoc prohibetur per hoc quod dicitur : *Non occides*. Quandoque autem in personam conjunctam, quantum ad propagationis prolis; et hoc prohibetur cum dicitur : *Non moechaberis*. Quandoque autem in rem possessam, quae ordinatur ad utrumque, et quantum ad hoc dicitur : *Non furtum facies*. Nocumentum autem oris prohibetur cum dicitur : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Nocumentum autem cordis prohibetur, cum dicitur : *Non concupisces*. Et secundum hanc etiam differentiam possent distingui tria praecepta ordinantia in Deum : quorum primum pertinet ad opus; unde ibi dicitur : *Non facies sculptile*. Secundum ad os; unde dicitur : *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Tertium pertinet ad cor : quia *in sanctificatione sabbati*, secundum quod est morale praeceptum, prae-

cipitur quies cordis in Deum. Vel secundum AUGUSTINUM per primum praeceptum reveremur *unitatem* primi principii; per secundum *veritatem* divinam; per tertium ejus *bonitatem*, qua sanctificamur et in qua quiescimus sicut in fine. » Hucusque S. THOMAS.

Resolvitur 1. Itaque, ut observat S. THOM. (l. c. ad 1), « *in praeceptis Decalogi ponuntur* **solum** *praecepta pertinentia ad* PROXIMUM *et ad* DEUM, » nulla vero quae hominem directe *ad seipsum* ordinant. Cujus praetermissionis rationem (*ibid*) indicat : tum, « *quia dilectio* SUI IPSIUS *includitur in dilectione* DEI *et* PROXIMI; *in hoc enim homo vere se diligit, quod se ordinat in Deum;* » tum, quia, quantum ad dilectionem sui ipsius, « *lex naturalis vigebat, nec erat obscurata, sicut praeceptum dilectionis Dei et proximi.* » — **Resol. 2.** Licet praecepta Decalogi ad illa **duo mandata** dilectionis Dei et proximi, in quibus, teste Christo (MATTH. XXII, 40), « *universa lex pendet et prophetae* » reduci valeant, tanquam ad prima principia practica moralia, cum praecepta Decalogi in ipsis contineantur tanquam conclusiones in praemissis; nihilominus vicissim illa duo mandata reducuntur ad praecepta Decalogi, atque in istis continentur tanquam praemissae in conclusionibus, in quibus per partes explicantur. — **Resol. 3.** Praecepta Decalogi, etsi secundum sonitum vocis omnia, praeter tertium et quartum, sint **negativa**; re ipsa tamen simul sunt **affirmativa** et **negativa**, prout patebit in decursu. Est autem inter praecepta affirmativa et negativa haec notabilis differentia, quod affirmativa obligent quidem *semper*, quatenus nunquam cessant obligare; non tamen obligant *pro semper*, sed solum stato tempore vel data occasione : non enim pro quovis tempore Deus positive colendus est, vel parentes honorandi, etc... At praecepta *negativa* obligant *semper* et *pro semper*, quia prohibent malum, quod nunquam licet operari. Cfr. dica pag. 116.

PARS PRIMA.

DE PRAECEPTIS PRIMAE TABULAE, SEU DE OFFICIIS ERGA DEUM.

DE PRIMO PRAECEPTO.

« *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem... Non adorabis ea neque coles* » (EXOD. XX, 2 seqq.).

CAP. I. — De primo praecepto, qua affirmativo; ubi speciatim de actibus virtutis religionis : adoratione et oratione.

Q. 1. *Quid* importet *primum* DECALOGI *praeceptum?*

R. Hoc praeceptum est partim *affirmativum* et partim *negativum*, estque illius sensus ex CATECH. ROM. : « *Me rerum Deum cole, et alienis diis cultum non adhibebis.* » Unde qua *affirmativum*, praecipit *actus* virtutis RELIGIONIS, quibus divinitati debitus cultus tribuitur; imo et praecipit ex CATECH. ROM. actus VIRTUTUM THEOLOGICARUM, juxta illud S. AUG. (ENCH. III) : « *Deus colitur Fide, Spe, Charitate.* » — Qua *negativum*, prohibet *vitia* RELIGIONI et VIRTUTIBUS THEOLOGICIS opposita. — De *virtutibus theologicis* deque *vitiis* ipsis oppositis egimus jam supra (pag. 174 seqq.). Superest agendum de virtute RELIGIONIS deque *vitiis* ei oppositis, quorum alia opponuntur — per *excessum*, alia — per *defectum*.

Resolvitur. Pars illa praecepti : « *Non facies tibi sculptile,* » idem prohibet quod immediate praecedentia : « *Non habebis Deos alienos.* » Nam, ut docet S. AUG. (in *Exod.* q. 71), est tantum explicatio partis praecedentis, prohibens fieri idola et imagines more gentilium, qui illa consecrabant et consecratione vim aliquam divinam illis includi autumabant. Ex quo patet, hinc nil deduci posse contra cultum **sacrarum imaginum** : nam et ipsa scriptura non simpliciter prohibet sculptilia et imagines, sed tantum hoc sensu, ne quis ea *adoret*, seu colat cultu latriae. Hoc autem modo Christiani non venerantur imagines, nec quamdam virtutem eis inesse credunt. Ceterum non fuisse prohibitum ipsas imagines facere, cum CATECH. ROM. probatur ex Scripturis, ubi legimus (EXOD. XXV, 18) a Moyse, jussu Dei, facta esse simulacra et imagines Cherubim juxta arcam; et (3 REG. VI, 23) a Salomone in Templo idem fuisse factum; item (NUM. XXI, 9) jussu Dei a Moyse erectum fuisse in deserto serpentem aeneum, ut illius aspectu sanarentur morsi a serpentibus ignitis. Deinde, etiamsi Hebraeis quodcumque imaginum genus fuisset vetitum, praeceptum illud eatenus fuisset *caeremoniale*, ut notat S. TH. (2. 2. q. 100, a. 7 ad 2), adeoque jam cessasset.

Q. 2. *Quid* 1°) sit virtus *religionis*, — et 2°) *quinam* praecipui ejus *actus?*

R. Ad 1um) Ex S.Th. (2. 2. q. 81, a. 5-6) est *virtus moralis, inferior* THEOLOGICIS, ast *praestantior* ceteris MORALIBUS, qua inclinamur ad *debitum cultum tribuendum Deo tanquam principio rerum omnium.*

Explanatur. Dicitur : 1°) **Virtus moralis**; quia immediate versatur circa cultum divinum et in eo dirigendo ac fovendo tota occupatur, ob specialem honestatem in tali cultu relucentem; unde patet eam mores perficere. — 2°) **Inferior theologicis**; quia non habet Deum pro immediato suo objecto sicut virtutes *theologicae*. — 3°) **Praestantior ceteris moralibus**; quia licet non immediate, attamen, docente S. Th. (l. c.) « *magis de propinquo accedit ad Deum quam aliae virtutes morales, in quantum operatur ea quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum.* — 4°) **Qua inclinamur ad debitum cultum tribuendum Deo**; quibus verbis indicatur *objectum materiale* religionis, i. e. actus omnes tam *interni* quam *externi* qui cultum Deo debitum constituunt. Nam materiale objectum alicujus virtutis est illud circa quod ipsa immediate versatur. — 5°) **Tanquam principio rerum omnium**; quibus verbis exprimitur *objectum formale* religionis, i. e. specialis honestas in eo, quod Deus tanquam supremum creationis et gubernationis principium colatur a creatura rationali. Nam *objectum formale* virtutis est specialis ea ratio sub qua virtus in objectum materiale tendit.

R. Ad 2um) Praecipui RELIGIONIS actus eliciti sunt : *adoratio, oratio* et *sacrificium*. His accedunt, pro cujusque voluntate, *juramentum, adjuratio* et *votum*. — De *ultimis tribus* agetur in 2° *praecepto*. De *sacrificio*, ubi de *Eucharistia*.

Explanatur. Dixi A) : **praecipui**; nam inter actus elicitos religionis a S. Thom. (l. c. q. 82 seqq.), praeter jam citatos, numerantur adhuc : *Devotio, Oblationes, Primitiae, Decimae* et *Laus Dei* quae fit ore et cantu. De singulis haec pauca ex S. Thom. : 1°) Nomine **Devotionis** hic stricte intelligitur « *actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei serviendum.* » Quod ejus *fontes*

seu *causas* attinet. « causa devotionis *extrinseca* et *principalis*, » est ipse Deus, qui auxilio gratiae suae voluntatem promptam excitat. « Causa autem *intrinseca* ex parte nostra » est contemplatio seu meditatio partim divinae bonitatis et beneficiorum ejus, partim nostrae infirmitatis. Denique ad *effectus* quod pertinet, effectus primarius et per se devotionis est *laetitia mentis* seu delectatio spiritualis ex consideratione divinae bonitatis, juxta illud (Ps. LXXVI, 4) : « *Memor fui Dei et delectatus sum.* » Effectus autem secundarius et per accidens est « *tristitia quae est secundum Deum* » scilicet ex consideratione propriorum defectuum. — 2°) **Oblationes** proprie, ut sunt actus religionis, intelliguntur res exteriores quae non immutandae offeruntur immediate Deo, deputandae tamen vel cultui divino vel usui ministrorum. Ad sciendum autem ad quemnam pertineant hujusmodi oblationes, attendendum est ad haec tria, nempe : ad intentionem offerentium, ad statuta episcopalia, et ad usum locorum. Ita ut ille qui contra has regulas sibi oblationem arrogaret, contra justitiam peccaret, et ad restitutionem teneretur. — 3°) **Primitiae** intelliguntur primi fructus terrae vel pecorum, qui olim Deo in signum debitae gratitudinis a Judaeis offerri debebant. Licet autem antiquitus ex praecepto ecclesiastico primitiae solvi debuerint, haec tamen obligatio hodie passim obsolevit. Hinc non sunt solvendae, nisi « *secundum consuetudinem patriae et indigentiam ministrorum ecclesiae,* » ut ait S. Thom. — 4°) **Decimae** sunt decima vel alia quota pars fructuum et proventuum juste acquisitorum, Deo in testimonium supremi ejus dominii debita et ministris Ecclesiae solvenda. De *Decimis* agetur ubi de *Suspensione* (tom. IV, q. 43). — 5°) Denique **Laus Dei** quae fit ore et cantu, licet non sit necessaria propter Deum quasi ipsi inde aliquid accresceret, cum sit infinitus, neque ut ipsi manifestemus conceptus nostros, cum sit inspector cordium ; est tamen ex S. Th. (*ibid.* q. 91, art. 1 seq.) utilis propter laudantem ipsum et audientes, quorum affectus excitatur in Deum ex laude vocali et cum cantu, et sic excitatus retrahitur ab his quae sunt contra Deum, juxta illud (Ps. XVII, 4) : « *Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero.* »

Dixi B) : **eliciti** ; quia actus praecitati a virtute religionis eliciuntur et ad nullam aliam speciem virtutis pertinent ; unde actus

religionis *imperati* sunt omnes actus qui ab alia virtute eliciuntur, at simul ex motivo religionis perficiuntur seu ad Dei cultum et honorem diriguntur; sic jejunia in honorem Dei vel Sanctorum suscepta sunt actus a temperantia eliciti, imperati autem a religione.

Resolvitur 1. *Deum* non esse objectum *materiale* religionis, sed *finem*, seu objectum, ut vocant, *cui*. Objectum enim *cui* est illud quod attingitur in aliqua virtute non quidem immediate, sed alio mediante, quod quidem virtus illa primario et directe considerat. Atqui talis est Deus in religionis virtute, quae nempe eum attingit quidem, sed mediantibus actibus, quibus idem colitur. — **Resol. 2.** Quamvis *primario* colamus Deum propter supremam ejus excellentiam, *secundario* tamen etiam colimus **Sanctos** ejus, qui, licet excellentiam participatam a Deo habeant, reipsa tamen in suo genere habent eamque sibi meruerunt, quum libere divinae gratiae cooperati sint, sicque juxta TRID. (sess. VI *de just.* c. 16), « *ipsius Dei dona facta sint eorum merita.* » — Quia tamen ipsa gratiae cooperatio a Christi virtute pendet, « *quae virtus*, ait idem TRID. (ibid.) *bona eorum opera semper antecedit, et concomitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt;* » patet cultum quo Sanctos prosequimur, licet in ipsos terminetur *absolute*, in Deum tamen, tanquam eorum excellentiae auctorem fontemque, *ultimatim* redundare. Cfr opus meum : *De Hyperdulia,* etc., pag. 8.

Q. 3. Dic : 1°) *Quid* — et 2°) *quotuplex* sit ADORATIO?

R. Ad 1um) ADORATIO, *latius* seu *generice* sumpta, est *cultus alicui exhibitus*, i. e. actus quo testamur alterius excellentiam nostramque ideo ad ipsum subjectionem.

Explanatur. Dixi : **latius** seu **generice** *sumpta;* quia adoratio *stricte* sumpta sumitur pro solo cultu Deo debito, ut patet ex omnibus Scripturae locis, quibus praecipitur Deus solus adorandus.

R. Ad 2um) Adoratio seu cultus generice sumptus *varie* distinguitur, tum ratione *objecti* quod colitur, tum ratione *modi* quo tribuitur, tum denique ratione *finis* intenti.

Explanatur. Ratione **objecti,** si fit ob excellentiam *naturalem,* dicitur adoratio seu cultus **civilis** sive **politicus,** qui ipse, docente Aristotele (Libr. IX *Ethic.* c. 2), varias in species subdi-

viditur, quum alius cultus debeatur patri, alius principi, alius magistro, et ita porro. Atque ad hoc cultus genus pertinet, quod toties in Apostolicis Litteris inculcatur, ut Christiani, cujuscumque sint gradus ac ordinis, mutuo sibi deferant ac honore invicem sese praeveniant, alios aliis superiores arbitrantes juxta illud Petri (Epist. I, II, 13 seqq.) : «*Subditi igitur estote omni humanae creaturae propter Deum... Omnes honorate : fraternitatem diligite.*»— Si vero fit ob excellentiam *supernaturalem*, dicitur cultus **religiosus** sive **sacer.** — Hic rursus modo *supremus*, modo *subordinatus* est. Supremus seu stricte religiosus, qui et **Latria** dicitur, exhibetur ob excellentiam *divinam* seu *increatam*.—Subordinatus vero tribuitur ob excellentiam supernaturalem *creatam*, a Deo participatam, quae si fuerit *communis*, cultus **Duliae** nomine *designatur*, qualis locum obtinet in invocatione et veneratione Sanctorum. Sin autem fuerit *singularis* prorsus suoque genere unica, qualis in Virgine Beatissima conspicitur, quae ob dignitatem Matris Dei ita praestat Angelis et Sanctis omnibus, ut dici possit Domina et Regina nostra, cultus **Hyperduliae** vocabulo insignitur. — Ratione **modi** quo tribuitur, cultus sive *civilis*, sive *religiosus*, alius est **internus,** qui intus consistit seu in interna animi affectione sensusque complectitur existimationis, admirationis, grati animi, amoris et obsequii ; — alius est **externus,** qui foras se prodit actibusque perficitur externis, veluti sunt capitis inclinatio, genuflexio, erectio statuarum atque imaginum, aliaque id genus sensibilia ; — alius est **publicus** qui fit nomine Reipublicae seu Ecclesiae vel tanquam ab ea institutus exhibetur ; — alius est **privatus,** qui vel ab Ecclesia institutus non est, vel non fit nomine ejus, sed ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fiat. Et hinc officium divinum est cultus *publicus*, si recitetur a subdiacono, licet privatim et in cubiculo : quia hic agit nomine Ecclesiae et in forma ab ea praescripta. Contra maneret *privatus*, si omnes laici alicujus parochiae illud conjunctim in aede sacra persolverent : quia non agunt nomine Ecclesiae. — Denique ratione **finis intenti**, adoratio seu cultus, sive civilis sive religiosus, — alius est **absolutus,** quo aliquid colitur propter excellentiam sibi inexsistentem, i. e. propriam atque intrinsecam, quomodo primario colimus Deum, secundario vero Sanctos ejus

juxta dicta superius (pag. 336), — alius **respectivus**, quo colitur propter excellentiam extrinsecam, i. e. alteri inexsistentem, ad quod respectum dicit vel conjunctionem, quemadmodum principis effigiem vel etiam legatos veneramur, non propter se, sed propter principem cujus similitudinem exprimunt vel vices gerunt. Eoque modo coluntur imagines et reliquiae Sanctorum, quum nullam ex sese excellentiam capiant, totusque cultus eisdem exhibitus, non in ipsis haereat, sed ad earum prototypa referatur (1).

Q. 4. *Quo cultu* colendi sint : 1°) CHRISTUS, — SS. COR JESU, — SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTUM, — SS. NOMEN JESU, — IMAGINES *Christi ejusque* RELIQUIAE? — 2°) B. M. VIRGO, — SANCTI, — eorumque IMAGINES atque RELIQUIAE?

R. Ad 1um) CHRISTUS adorandus est cultu *latriae absoluto*, uti et SS. COR ejus propter unionem hypostaticam cum persona Verbi, et SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTUM, cum in eo contineatur Christus ut Deus et homo. — SS. NOMEN JESU colitur cultu *latriae respectivo*, quatenus illud nobis Christum innuit, uti et IMAGINES *Christi ejusque* RELIQUIAE, veluti *crux*, *clavi*, *lancea*, *spinae*, *sudarium* et similia, quae corpus Christi vel affixerunt vel saltem tetigerunt. Cfr. S. TH. (p. 3, q. 25, a. I-IV).

Resolvitur 1. Inter Christi reliquias annumerandae sunt **particulae Christi sanguinis**, tempore passionis effusae, sed in resurrectione non reassumptae, quales in quibusdam locis v. g. Massiliae et Brugis asservantur, quas proinde veneramur cultu *latriae* non quidem *absoluto*, cum a Verbo fuerint dimissae, ut late evincit SUAR. (*De inc.* disp. 47 sect. 3), nec ullum fundamentum aut ratio cogat ad tantum asserendum miraculum, ut adhucdum extra Christum eas particulas Verbo unitas esse dicamus; sed tantum *relativo*, propterea quod aliquando Verbo fuerint unitae, sicut sanctam crucem, vestem et alia veneramur, ob longe licet minorem cum Verbo unionem. Nec obstat huic doctrinae dictum SS. Patrum : « *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit;* » cum axioma de minimis quibuscumque particulis nullatenus sit

(1) De variis cultus partitionibus egi in opere cui titulus : *De hyperdulia ejusque fundamento. Dissertatio historico-theologica.* Lovanii 1864, pag. 6 seqq.

intelligendum. — **Resol. 2.** De quaestione apud scholasticos ventilata : num *humanitas Christi,* si **seorsim** a Verbo spectetur, cultu *hyperduliae* possit coli nec ne? existimaverim quaestionem hanc tum videri otiosam, tum absque nonnullo periculo plerumque moveri non posse. Humanitas enim Christi praecisive a Verbo spectari nequit. Non enim esset amplius subsistens, cum tota ratio subsistentiae hujusce humanitatis in persona divini Verbi collocetur. Porro, sublata persona, tollitur subsistentia, sicque nequidem in rerum natura hujusmodi humanitas exsisteret. Nihil enim exsistit in concreto, nisi per subsistentiam. Praeterea humanitas Christi, seorsim a Verbo spectata, non esset amplius humanitas Christi, sed alterius cujuscumque, qui non esset Christus : Christi enim notio necessario importat notionem Verbi incarnati. Cfr. *Diss. de hyperdulia,* pag. 7. — Vide tamen Bill. in S. Th. (P. 3, q. 25, a. 2).

R. Ad 2um. B. Virgo colitur cultu *absoluto hyperduliae* propter maternitatem Dei : quia est radix et origo omnium aliorum donorum supernaturalium, quae merae creaturae competere possunt, hacque dignitate super omnes omnino creaturas post Deum principatum obtinet. Cfr. S. Th. (p. 3, q. 25, a. 5). Alii Sancti cultu *duliae absoluto* coluntur propter excellentiam supernaturalem gratiae et gloriae. Imagines porro atque reliquiae eodem cultu coluntur, quo earum prototypa, sed *respective*, per ordinem ad personam repraesentatam, vel in quantum ei conjunctae sunt vel fuerunt.

Explanatur. Non licet tamen cultu *publico* colere nisi illos Sanctos qui **canonizatione, beatificatione** vel **communi Ecclesiae approbatione** sunt tales. — Hinc si tales non sint, non licet in eorum honorem erigere ecclesias, altaria, lampades ad eorum sepulchra appendere, eos publice invocare in litaniis, eorum reliquias vel imagines publice venerandas exponere vel in processionibus circumferre : quia haec et similia ritus sunt ab Ecclesia instituti, qui proinde ad cultum publicum pertinent. — Defunctum tamen, quem, consideratis miraculis, vitae sanctitate, fama martyrii vel aliis indiciis, agnosco ut sanctum, quamvis ab Ecclesia nondum sit declaratus, possum honorare cultu *privato,* etiam videntibus aliis, v. g. deosculari ejus reliquias, imaginem ejus domi

habere, preces ad eum fundere, jejunium et votum ei nuncupare : quia haec non fiunt nomine Ecclesiae nec reputantur pro cultu publico. — Non liceret tamen ejus imaginem in oratorio etiam privato, ubi sacra fieri solent, exponere : hoc enim prohibuit S. Cong. Rit. sub Alexandro VII. Similiter peccaret contra prohibitionem Urbani VIII (Const. *Coelestis Jerus.*), qui imaginem talis defuncti pingeret cum radiis vel aureolis aut ita pictam habet etiam privatim in occulto. — Cfr. Bened. XIV (Const. 141 *Sollicitudini*).

Resolvitur 1. Merito damnata fuit ab Alex. VIII sequens propositio sub n. 26 : « *Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.* » Quasi non nisi cultus relativus Sanctis exhiberi possit, cum tamen cultu *absoluto* digni sint, sed *secundario*, juxta dicta (p. 336). — **Resol. 2.** Etiam illos, qui apicem perfectionis adepti sunt, non esse liberos a cultu B. M. V. et SS., rite intelligitur et constat ex 35 et 36 inter LXVIII propositiones Mich. de Molinos, quae *in globo*, ut dicunt, damnatae fuerunt ab Innoc. XI. — Dicebat autem 35ª : « *Non convenit animabus hujus viae internae, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione et activitate : alias non essent mortuae. Nec debent elicere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos aut humanitatem Christi : quia, cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.* » Sonabat vero 36ª : « *Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde : quia solus Deus vult illud occupare et possidere.* » — **Resol. 3.** « *Imagines Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam,* » merito definivit C. Trid. (sess. 25 *de invoc.* SS.) et jam pridem declaratum fuerat in C. Const. IV et Nic. II. — **Resol. 4.** Quoniam, ut docet S. Thom. (in 3. dist. 9, q. 1, a. 2, q. 2) : « *idem motus est in imaginem, in quantum est imago, et in imaginatum,* » hinc juxta communiorem sententiam, SS. Imagines eodem cultu prosequimur, quo earum prototypa, sed *relative* tantum, ita ut veneratio absolute et ratione sui feratur ad exemplar et solum respective ad imaginem. — « Propterea, ait Viva (tom. 1, pag. 480) imago Sanctorum adoratur adoratione *Duliae* propria servorum Dei : imago B. V. adoratione *Hyperduliae*, quia B. V. servis Dei longissime praestat ; imago Christi adoratione *Latriae* debita divinitati, cum in Christo idem sit utriusque naturae divinae et humanae suppositum, ad quod indivi-

sibiliter dirigitur adoratio. » — Interim cum Leibnitzio profitemur : « Ex usu esse videtur atque interesse pietatis, ut offendiculi causa locutionibus illis scholasticorum hodie abstineatur, quibus imaginem divino honore *latriae* afficiendam aiunt, quas sane phrases C. Trid. prudenter vitavit parumque probari sibi satis ostendit. » — **Resol. 5.** Cur, a remotissimis etiam temporibus, Catholici unam imaginem prae alia colere consueverint, id factum est, non quidem propter causas *intrinsecas*, i. e. propter virtutem eidem insitam seu propter se, quippe imagines in se spectatae nihil habeant, quare una prae alia coli mereatur ; — sed propter causas *extrinsecas* et *accidentales*, scilicet : — sive quia ad excitandam pietatem est accommodatior ; — sive quia per aliquam Deus miracula operatur ; — sive quia in hoc potius quam in alio loco ad Sanctorum invocationem Deus mirabilia operari solet. — Sic Deus olim per virgam Moysis et Aaron, potius quam per alia ejusdem generis ligna, operatus est miracula, et aspicientibus serpentem aeneum a Moyse erectum sanitatem restituebat, non ita iis qui alium aspicerent. Similiter Christus visum restituit caeco nato qui se in natatoria Siloe abluerat, et Naaman Syrus a lepra mundatus est in Jordane, potius quam alibi. — Atque exinde ratio petitur illarum **peregrinationum**, quas interdum Catholici instituunt ad longinqua sanctuaria, quo purioribus etiam poenitentiae laboribus quandoque se exerceant. Quare nec vituperandi sunt ii, qui exhibent cultum specialem alicui imagini ob gratias extraordinarias et frequentes ibi concessas, uti constat ex 70ª inter LXXXV damnatas propositiones Synodi Pistoriensis a Pio VI.

Scholion. Quoniam Christifideles cultum **SS. Cordis Jesu**, ut par erat, in deliciis habent, placeat in illo paulisper immorari. — Itaque in hoc cultu : — 1°) Objectum *materiale*, seu id circa quod immediate versatur, est *Cor Jesu amantissimum*, juxta illa Christi apparentis verba : « *Voici ce* coeur *qui a tant* aimé *les hommes ;* » adeoque, per modum unius, — tum *cor* physicum Jesu, i. e. non figuratum, non ab humanitate aut divinitate separatum, sed cor verum, animatum et realiter spectatum ut cor divinae personae incarnatae, — tum simul *amor* Jesu divinus et humanus. Et quid m objectum materiale *primarium* : — A) in *intentione* colentium seu in terminatione cultus, est *amor Jesu ;* — B) in *attentione* colentium, est *cor Jesu physicum*, utpote quod magis direte obsequia nostra

recipit. — 2°) Objectum *formale*, seu ratio specialis sub qua cultus in objectum materiale tendit : — A) quatenus cultus est *latreuticus*, est infinita dignitas personae Verbi incarnati, a qua nullatenus cor separari potest ; — B) quatenus est *specialiter cultus Cordis Jesu*, est amor Jesu, tum divinus tum humanus, per cor et in corde manifestatus. — Ex quibus patet, hunc cultum specialem qui SS. Cordi Jesu defertur, tum ratione objecti materialis, tum ratione objecti formalis, nedum esse pium omnique prorsus superstitionis labe immunem ; sed et apprime esse congruum, ut cor nostrum redamet illum, cujus cor tantopere nos adamavit. Quapropter canit Ecclesia :

Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat,
Et corde in isto seligat,
Aeterna tabernacula?

Nota. Contra **nova emblemata** SS. Cordis Jesu in Eucharistia, aliaque id generis argumenta quae **novitatem** sapiunt, prodiit ex S. Off. (5 Junii 1891) Decretum circa cultum SS. Cordis Jesu in Eucharistia. Apud N. R. T. (XXIII, 382).

Q. 5. *Quid* 1°) — et 2°) *quotuplex* sit oratio ?

R. Ad 1um) Oratio *generatim* sumpta, prout comprehendit etiam meditationem, laudem, gratiarum actionem, etc., definitur : *ascensus mentis in Deum*. — At *stricte* et *proprie* accepta, communiter definitur cum S. Th. (2. 2. q. 83, a. 1) post S. Joan. Damasc. : « *petitio decentium a Deo.* »

R. Ad 2um) Alia est *mentalis*, quae in corde absolvitur, — alia *vocalis* quae corde et voce exprimitur, et haec dividitur — in *privatam* et *publicam*, quarum *prima* motu et nomine proprio funditur ad Deum pro te vel pro aliis ; *posterior* vero auctoritate publica Ecclesiae est instituta, ut ipsius nomine a ministris ad id deputatis offeratur, ut sunt Missae, Horae canonicae, Litaniae aliaeque preces publicae, quae nimirum recitari possunt in liturgiis et publicis functionibus.

Scholion 1. Tres dantur **Litaniae** approbatae tanquam preces publicae, scilicet : Litaniae *SS. Nominis Jesu*, Litaniae B. M. V. dictae *Lauretanae*, et Litaniae *Omnium Sanctorum*. Et quidem S. Rit. Congregatio (16 Jun. 1880) ap. N. R. T. (XII, 475) mo-

nitum edidit Episcopis : « *ne sinant alias Litanias publice recitari nisi praedictas vel alias, si quae a S. Rom. Univ. Inquisitione recognitae et approbatae fuerint ; ac simul caveant suam approbationem pro impressione subnectere iis libris in quibus Litaniae inveniuntur Apostolica Sanctione carentes.* » — Exortis autem diversis circa praefatum monitum interpretationibus, eadem S. Rit. Congregatio (29 Oct. 1882) ap. N. R. T. (XIV, 485 seq.) authentice declaravit : « *Monitum, de quo agitur, respicere Litanias in liturgiis et publicis functionibus recitandas ; posse vero, imo teneri Ordinarios alias seu novas Litanias examinare ; et, quatenus expedire putent, approbare, at nonnisi pro privata atque extraliturgica recitatione.* » — **Scholion 2.** Inter orationes vocales, ex. S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 12 « **Oratio dominica** *perfectissima est.. ; quia in oratione dominica non solum petuntur omnia quae recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt, ut sic haec oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus,* » quod dein pulchre evolvit. — Constat autem praefatiuncula, qua fiducia in nobis excitatur et septem petitionibus. In quatuor prioribus postulamus *bona*, scilicet Deo gloriam extrinsecam, nobis bona spiritualia, gloriae et gratiae, et temporalia. In tribus sequentibus deprecamur *mala*, scilicet peccata praeterita et eorum poenas, peccata futura et poenalitates. Cfr. Catech. Rom.

Q. 6. *Qualiter* ORATIO sit *necessaria?*

R. Est omnibus adultis ratione utentibus necessaria *necessitate*—nedum *praecepti*, nempe divini, de quo nemo dubitat ; sed et — *medii*, quod est verius ; non quidem ex natura rei, quia non desunt alia media quibus potuisset procurari salus ; sed quia et rationi congruit et divina providentia ita comparatum est, ut nemini quidquam detur nisi petenti.— Cfr. Bill.

Resolvitur. Merito, ut notat *Catech. Rom.*, **oratio,** ex S. Aug. (*Serm.* 226 *de temp.*) sententia, « **Clavis coeli** » nuncupatur : « *Nam ascendit,* inquit, *precatio et descendit Dei miseratio ; licet alta sit terra, altum coelum, audit tamen Deus hominis linguam.* » —Neque orando agitur contra fidem **immutabilitatis** Dei : « *Non enim,* ut ait S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 2) *propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus*

disposuit per orationes esse implendum; ut scilicet homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare, *ut Gregorius dicit.* »

Q. 7. *Quandonam* obliget ORATIONIS praeceptum?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Obligat **per se** : — **1°**) sub initium usus rationis, quando quis orandi obligationem noverit; — **2°**) tempore mortis, cum tunc maxime necessaria sit perseverantia finalis, quae absque oratione obtineri nequit; — **3°**) saepius in vita, i. e. saltem semel in anno aut, juxta alios, adhuc frequentius. — Sed cum de tempore frequentiae non constet, aliis aliter opinantibus, hinc confessarius magis sollicitus sit in declaranda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda omissae orationis gravitate. — Obligat vero **per accidens** : — **1°**) urgente gravi tentatione, quae alio modo facile repelli non potest; — **2°**) dum peccator tenetur se reponere in statum gratiae; — **3°**) quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur necessarium tum nobis tum bono publico, v. g. in calamitatibus publicis.

Q. 8. *Quosnam* ORARE liceat?
R. Eos solum orare licet aut expedit qui et nobis opitulari et preces nostras audire possunt, nempe: —Deum ut *det*,—beatos et justos ut *impetrent*. — Privatim etiam invocari possunt infantes baptizati et ante usum rationis defuncti.—Utrum vero et *purgantium* animae, non satis convenit.—Alii *negant* cum S. THOM. (2. 2. q. 83, a. 11 ad 3); alii *affirmant* cum SYLVIO (in *Sup.* q. 71, a. 6 ad 1) qui et citat EST., MED. et BELLARM.—Cfr. BILL. Item MASTRIUS *de purgatorio* ap. N. R. T. (VI, 281 seq.).

Resolvitur. Sicut alio modo Deum colimus, alio modo Sanctos; sic etiam alia Dei, alia Sanctorum **invocatio** est. Quo spectant verba S. THOM. (2. 2 q. 83, a. 4) : *Oratio porrigitur alicui* dupliciter : *uno modo, quasi per ipsum* implenda; *alio modo sicut per ipsum* impetranda. *Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quae solus Deus* dat... *Sed secundo modo orationem porrigimus Sanctis Angelis et hominibus : non ut per eos Deus nostras*

petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis orationes nostrae sortiantur effectum... Et hoc etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia utitur in orando : nam a S. Trinitate petimus ut **nostri misereatur** ; *ab aliis autem Sanctis quibuscumque petimus* **ut orent** *pro nobis.*»—Quod si in antiphona quadam ad B. Virginem Ecclesia inclamet : *peccatorum miserere,* hoc eatenus tantum facit, quia mater misericordiae propter Christi partum est, nec misereri eo sensu dicitur quo Trinitas, quasi per se auctoritatem habens.

Q. 9. *Quaenam* in ORATIONE *petere* liceat?

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 83, a. 6) post S. AUG. : «*hoc licet orare, quod licet desiderare;*» i. e. regnum Dei et justitiam ejus, quaeque his adipiscendis necessaria sunt. — Deinde *temporalia bona,* eo modo quo docet S. THOM. (ibid.) : «*non quidem* PRINCIPALITER, *ut in eis finem constituamus, sed sicut quaedam* ADMINICULA, *quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur et in quantum nobis organice deserviunt ad actus vitutum.*»—Imo et *mala temporalia,* quae scilicet non sint peccata sed poenae, v. g. infirmitas, paupertas, etc., sibi vel aliis peti licite possunt, modo debitus charitatis ordo servetur, i. e. ob majus bonum vel ad minus malum. Hinc illud AUGUSTINI : «*Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas.*»

Q. 10. Pro *quibusnam* sit ORANDUM?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) In oratione **privata** orandum est : — tum pro nobismetipsis, — tum pro aliis omnibus, infidelibus quoque et excommunicatis, — exceptis : — beatis in coelo cum Deo regnantibus, et — damnatis, cum in inferno nulla sit redemptio. — Interim muneri *pro omnibus* orandi satisfacit, qui in precibus quae non pro se tantum funduntur, cujusmodi sunt oratio dominica, salutatio angelica, etc., neminem positive excludit, licet in particulari memoriam aliorum nullam adhibeat. — **2°)** Quoad orationem **publicam**, — certum est : A) non licere ullius excommunicati vitandi, haeretici aut schismatici nomen in sacrificio vel aliis publicis Ecclesiae orationibus exprimere, nisi legitime dispensatum fuerit, ut aliquando

fit quoad reges haereticos in concordatis cum ipsis initis. — Certum est : B) non licere publica Ecclesiae suffragia offerre pro haereticis et schismaticis, nisi *indirecte*, i. e. ad impetrandam eorum conversionem ad veram fidem, ut constat ex decisione S. Officii (19 Aprilis 1837), — neque pro acatholicis defunctis, ut constat ex Brevi Greg. XVI (9 Julii 1842).

Q. 11. *Quinam* sint *effectus* ORATIONIS?

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 15 et *suppl.* q. 15. a. 3) oratio, — 1°) praeter effectum *spiritualis consolationis* quam praesentialiter affert animae, habet — 2°) virtutem *merendi*, cum sit opus bonum, et quidem *de condigno*, si orans sit justus, *de congruo*, si sit peccator; — 3°) virtutem *satisfaciendi*, quia omne opus bonum in praesenti naturae lapsae statu poenam ac laborem importat; — 4°) virtutem *impetrandi*, quippe est petitio. — Et quidem effectus *impetratorius*, saltem in oratione *publica*, triplex distinguitur : — *generalis*, de quo participant omnes; — *specialis*, qui ab orante alicui in particulari applicatur; — *specialissimus*, qui ipsi soli oranti prodest. — Cfr. Bill.

Resolvitur. Omnes hi fructus ex omni oratione etiam bona non percipiuntur. Nam **1°**) *spiritualis delectatio* animi saepe deficit in ariditate spirituali. **2°**) Datur oratio *impetratoria*, quae simul non est *meritoria*, nec *satisfactoria*, qualis est *oratio* Beatorum in coelis. **3°**) Datur oratio *impetratoria*, quae non est *satisfactoria*, qualis est oratio peccatoris poenitentis. **4°**) Datur oratio *meritoria*, non autem *impetratoria*, ut si justus petat aliquid quod non expediat ad ejus salutem.

Q. 12. *An* et *quatenus* ORATIONIS effectus *impetratorius* sit *infallibilis?*

R. *Affirmative*, quatenus debitis sit fulta conditionibus, quae quatuor ex S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 15 ad 2) numerantur : « *Ut scilicet pro se petat, — necessaria ad salutem, — pie, et — perseveranter.* » — Et hoc verum est, quamvis orans sit extra statum gratiae : quia promissio Christi est illimitata, et vis orationis fundatur in misericordia Dei et meritis Christi, non in orantis dignitate.

Explanatur. Dicitur 1°) : **pro se petat.** quia alter, pro quo oramus, non est saepe dispositus ut accipiat. « *Contingit enim quandoque,* ait S. Thom. (*ibid.* a. 7. ad 2), *quod oratio pro alio facta non impetrat, etiamsi fiat pie et perseveranter et de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum quod est ex parte ejus pro quo oratur, secundum illud* Jerem. (XV, 1) : *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* » — Dicitur 2°) **necessaria ad salutem,** vel ad salutem certo utilia. Hinc, ut notat S. Thom. 2. 2. q. 83, a. 15 ad 2) : *Paulus non fuit exauditus petens amoveri stimulum carnis, quia* non expediebat. *Si vero id quod petitur sit utile ad beatitudinem hominis quasi pertinens ad ejus salutem, meretur illud non solum orando, sed etiam alia bona opera faciendo ; et ideo indubitanter accipit quod petit, sed* quando *debet accipere. Quaedam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur.* »—Dicitur 3°) : **pie** ; sub *pietate* intelliguntur : —1°) *attentio*, ita ut excludatur voluntaria distractio ; nam, ut scribit S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 13 ad 3) : « *Si quis ex* proposito *in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, et impedit orationis fructum... Evagatio vero mentis, quae fit* praeter propositum, *orationis fructum non tollit.* » — 2°) *devotio*, ita ut fiat : — A) cum *fiducia* seu spe firma obtinendi quod petimus ; — B) cum *humilitate*, recognoscendo nostram indigentiam. — Dicitur 4°) : **perseveranter** ; quae conditio valde commendatur in Scripturis et duabus parabolis a Christo explicatur ; altera (Luc. XI, 5), de homine tres panes petente ab amico ; altera (ibid. XVIII, 3 seqq.), de vidua, quae a judice vindictam per importunas preces impetravit ; quapropter Christus (eodem cap. v. 1) praemiserat : « *Oportet semper orare et non deficere*, i. e. non desistere a petitione, etiamsi non statim concedatur, sed *instanter* petere. Ratio hujus conditionis sumi potest ex ordine divinae Providentiae. Nam saepe expedit, ut non statim concedatur id quod petitur, juxta illud S. Aug. apud S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 15 ad 2) : « *Quaedam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur.* » Ceterum, ut notat S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 14) : « *ipsa oratio* secundum *se considerata non potest esse assidua, quia oportet aliis operibus occupari,* » sed debet esse continua (virtute) seu « *secundum causam suam,* » i. e. secundum desiderium charitatis, quod fit dum omnia in gloriam Dei facimus. Addit (*ibid.* ad 4) :

quod aliquis continuo orat « *vel quia non intermittit quin temporibus statutis oret, vel propter effectum sive in ipso orante qui etiam post orationem remanet magis devotus, sive in alio, puta cum aliquis suis beneficiis provocat illum ut pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat et quiescit.* »

Resolvitur. Quoad orationem **peccatorum**, ex S. Th. (2. 2. q. 83, a. 16) dicendum est :—**1°**) Peccator orans *nomine Ecclesiae*, ut si pravus sacerdos orat in sacrificio missae, in administratione sacramentorum, in officiis publicis, non potest non exaudiri : non quatenus est oratio illius, sed quatenus est alterius in cujus nomine orat et agit tanquam instrumentum vi et motione causae principalis. — **2°**) Peccator in oratione privata petens aliquid in *quantum peccator*, i. e. secundum desiderium peccati, vel etiam volens perseverare in peccato, non auditur a Deo ex misericordia sed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus concedit ea ex quibus peccator amplius ruit in peccata, quo modo S. Aug. (tract. 73 in Joan.) dicit : « Deus negat quaedam propitius, quae concedit iratus, » juxta illud (Ps. CVIII, 7) : « *Oratio ejus fiat in peccatum.* » Sic exauditi sunt Israelitae dum peterent carnes. — **3°**) Oratio peccatoris ex bono desiderio naturae gratia praeventae procedens auditur a Deo, non quasi ex justitia : quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia servatis tamen quatuor praemissis conditionibus. Sic exauditi sunt mulier peccatrix, publicanus et latro. — Cfr. Bill.

CAP. II. — De vitiis religioni oppositis per excessum : de superstitione ejusque variis speciebus.

Praenotandum. Cum religio sit virtus moralis et omnis virtus moralis consistat in medio, duplex vitium religioni opponitur : unum *secundum excessum*, aliud *secundum defectum*. — Primum est **superstitio** ; alterum est **irreligiositas**. — Utrumque dividitur in diversas species, ut in sequentibus dicetur. — Primo loco agetur de *superstitione* ejusque variis speciebus, quae opponuntur virtuti religionis *secundum excessum :* — non quidem quoad *formalem* cultum Dei, seu quatenus cultus divinus consideratur *secundum se*, vel, ut loquitur S. Th. (2. 2. q. 92, a. 1 ad 3) : « *secundum quantitatem absolutam ;* » cum Deus nequeat nimis coli, juxta illud (Ecc. XLIII, 33) :

« *Major enim est omni laude;* » — sed quoad cultum *materialem*, seu quatenus cultus divinus consideratur *secundum nos* seu ex *parte actus*, vel, ut ait S. Th. (ibid.) : « *secundum quantitatem proportionis, prout scilicet in cultu divino fit aliquid quod fieri non debet*, » ut si alius ut Deus colatur qui Deus non est, vel verus Deus colatur indebito modo.

Q. 13. *Quid* 1°) — et 2°) *quotuplex* sit SUPERSTITIO, — et 3°) *quantum peccatum?*

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 92, a. 1 in corp.) : « *Est vitium religioni oppositum secundum* EXCESSUM, *non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel* CUI *non debet; vel* EO MODO *quo non debet.* »

R. Ad 2um) et 3um) Hinc est *duplex* : — superstitio REI CULTAE, et — superstitio CULTUS INDEBITI. — *Prima* seu superstitio REI CULTAE continet sub se plures species : si enim colatur creatura cultu divino dicitur *idololatria*; — si colatur creatura ut aliquid occultum revelet, dicitur *divinatio;* — si ut dirigat operationes nostras, dicitur *vana observantia;* — si ut operetur mira, dicitur *magia*, ad quam reducitur *maleficium;* — et haec sunt peccata ex toto genere mortalia, propter gravem irreverentiam Deo illatam. — *Secunda* seu superstitio CULTUS INDEBITI — alia fit *per cultum falsum*, qui etiam ex toto genere mortale est, ut esset falsas venditare SS. reliquias, falsas prophetias, revelationes, miracula in vulgus spargere, etc.; — alia *per cultum superfluum* qui in re levi leve peccatum est, nisi quid fiat intentione novum in Ecclesia ritum introducendi; ut est orare sub solis ortum, missam ejus sacerdotis, qui tali nomine nuncupatur, pluris facere, non nere sabbato, nudis pedibus ab extrema unctione non incedere, in missa vel officio canonico aliquid addere non praescriptum in rubricis, etc.

Q. 14. *Quid* 1°) — et 2°) *quotuplex* sit IDOLOLATRIA?

R. Ad 1um) IDOLOLATRIA *in genere* ex S. THOM. (2.2.q.94,a.1) definiri potest : *cultus divinus alteri quam Deo exhibitus.*

R. Ad 2um) *Triplex* distinguitur.

Explanatur. Distinguitur : 1°) **perfecta**, quando qui falso existimans creaturam esse Deum vel dignam honore Dei, ei cultum divinum exhibet, opponiturque religioni simul et fidei ; — 2°) **imperfecta**, quae non ex errore, sed ex perverso affectu, v. g. ex odio et formali contemptu Dei vel ex cupiditate aliquid obtinendi daemoni aut alteri creaturae cultum divinum tribuit, estque peccatum gravissimum, imo priori deterius, quia cum majori cognitione et malitia committitur ; — 3°) **simulata** seu *mere externa*, quando quis non ex errore aut mala voluntate, sed mere ex timore, v. g. tyranni, cultum divinum creaturae exhibet, ut olim quidam Christiani qui ex metu tormentorum idolis sacrificabant, estque mendacium in cultu religionis Deo valde injuriosum et hominibus scandalosum.

Q. 15. *Quid* 1°) — et 2°) *quotuplex* sit DIVINATIO?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 95, a. 3) DIVINATIO in genere definiri potest : *inquisitio occultorum ope daemonis.*

R. Ad 2um) Alia est *expressa*, quae fit per invocationem et pactum expressum cum daemone, ut doceat occulta, dum v. g. quis expressis verbis daemonem invocat, vel saltem signo aliquo expressa intentione utitur, per quod putat daemonem cooperari. — Alia est *tacita*, quae fit per invocationem et pactum tacitum, dum quis notitiam rei occultae procurat aut procurare nititur per medium improportionatum, i. e. nullam habens naturalem vim indicandi rem desideratam.

Explanatur. Utriusque divinationis variae species solent assignari, praesertim : — **1 Praestigium**, ex fictis imaginibus ; — 2°) **Astrologia judiciaria**, ex astris ; — 3°) **Augurium**, ex garritu avium ; — 4°) **Auspicium**, ex eorum volitu ; — 5°) **Aruspicium**, ex visceribus animalium ; — 6°) **Chiromantia**, ex lineis manus, seu **Phisionomia**, ex lineis alterius partis corporis ; — 7°) **Geomantia**, ex signis terrae, seu **Hydromantia**, ex signis aquae ; — 8°) **Necromantia**, ex invocatione mortui ; — 9°) **Omen**, ex fortuito casu ; — 10°) **Oneiromantia**, ex somniis ; — 11°) **Oraculum**, ex idolis ; — 12°) **Sortilegium**, ex sortibus ; — 13°) **Vaticinium**, ex vatibus aut chartis. — Interim communiter docent TT. has divinationis varias species *materialiter* tantum inter se distingui, nec proinde in confessione esse exprimendas. — Saepe tamen

aperienda erit *expressa* daemonis invocatio, quia regulariter adjuncta habet alia peccata, v. g. idololatriam, haeresim, apostasiam a fide, etc. — Cfr. Bill.; — Sass.

Q. 16. *Quantum* peccatum sit DIVINATIO?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Divinatio **expressa** semper est peccatum *mortale*, nec datur parvitas materiae, quia includit formalem Dei contemptum et commercium cum hoste Dei infensissimo; neque, saltem apud fideles, potest esse veniale ob ignorantiam, quia nimis evidens est talis actus malitia. — Divinatio **tacita** pariter est peccatum *mortale* in illo qui novit media illa esse vana et inutilia, nec admittit parvitatem materiae, cum redundet in gravem Dei injuriam. Nec juvat quod quis protestetur se nullum cum daemone commercium intendere aut velle : nam similis protestatio, cum sit contraria facto, est inefficax et se habet, ac si non adesset. — *Aliquando* tamen a mortali excusari potest : — tum ob ignorantiam non graviter culpabilem, qualis datur in simplicibus; — tum quia non adhibetur certa fides, sed solum concipitur quaedam suspicio eventus forte ita venturi.

Q. 17. *Quid* speciatim dicendum de SORTILEGIO?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Ex S. Thom. (2. 2. q. 65. a. 8) sunt sortes : — vel **divisoriae**, — vel **divinatoriae**, — vel **consultoriae**; illis utimur ad quaestiones dirimendas; istis ad occultum aliquod (seu praesens seu praeteritum seu futurum) detegendum; his demum quasi ad Deum consulendum, cum ignoramus quid agere debeamus. — **Divisoriae** per se licitae sunt, sed vetantur in officiis et beneficiis ecclesiasticis; — **divinatoriae** superstitiosae sunt, ideoque semper illicitae; — **consultoriae** tentationem Dei continent, ideo regulariter non licent, praeterquam in rebus gravioribus, quae aliter expediri non possunt, et precibus antea ad Deum fusis.

Q. 18. *Quid* liceat conjicere ex SOMNIIS?

Praenotandum. Ex S. Thom. (2. 2. q. 95, a. 6) *quatuor* assignantur somniorum **causae** : **1°**) affectiones *corporis*, i. e. interni humores seu corporis dispositiones; **2°**) affectiones *animi*, i. e. co-

gitationes et phantasiae praecedentes; 3°) quaedam *externa corporalia*, ut frigus, calor, impressio corporis coelestis; 4°) bonus vel malus spiritus, Deus vel daemon.

R. Ex S. Thom. (*l. c.*) *licitum* est ex iis conjicere quae ad eorum causas naturales pertinent, id est : indolem, valetudinem, studia et cetera hujusmodi : causae enim naturales sunt affectiones *animi* vel *corporis*.— Ast *superstitiosum* est ex iis conjicere futura contingentia libera vel effectus mere fortuitos, nisi moralis certitudo habeatur quod talia somnia sint a *Deo*. Unde eisdem certam fidem adhibere, aut se in suis actionibus ordinarie ex illis dirigere non licet, quamvis una vel altera vice ex sola suspicione vel formidine se suamque actionem juxta tale somnium dirigere non excedat peccatum veniale, ut si, ait Sass., quis omitteret deambulationem, quia somniavit se fore in ea proditorie hoc vel altero die interficiendum.

Resolvitur 1. Ex affectione **animi** fit, ut inter dormiendum ea volvantur in phantasia hominis, « *circa quae*, ait S. Th. (ibid.), *ejus cogitatio et affectio fuit immorata in vigilando.* » Unde illud S. Aug. (1. *de spir. et anim.* c. 25) : «*Secundum studia quae quisque exercuit, somniat, et solitarum artium simulacra in praesentia mentis impressa apparent in somnis.* » Et sic, ut vulgo dicitur, poetae in somno carmina pangunt. — **Resol. 2.** Ex affectione **corporis** fit, ut : — A) *Phlegmatici*, seu in quibus abundant frigidi humores, somnient aquas, submersiones, natationes, etc,; — B) *Cholerici*, seu qui abundant flava bili, somnient incendia, lites, rixas, bella, homicidia, etc.; — C) *Melancholici*, seu qui abundant atra bili, somnient tenebras, funera, mortuos, sepulcra, etc.; —D) Qui abundant *spermate*, somnient venerea; — E) *Debiles* seu levem et temperatam complexionem habentes, somnient se volare aut velociter currere; — F) Qui gravantur multitudine *humorum*, somnient gravia onera ferre, vel in angustis locis versari.— Cfr. Giribaldi; Galen. (*de praes. somn.*).— **Resol. 3.** Si constet somnium esse a **Deo**, patet illud esse servandum : ad hoc enim immittitur a Deo, ut suam nobis manifestet voluntatem, cujusmodi fuit somnium in Jacob, in Joseph, in Mardochaeo, in Joseph viro Mariae, in tribus Magis, etc.

Sed Deus, immittens somnium, dat signa quibus illud a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possit.

Q. 19. *Quid* speciatim dicendum de ASTROLOGIA?

R. *Distinguendum* est inter astologiam *naturalem* et *judiciariam*.

Explanatur. Ex S. THOM. (2. 2. q. 95, a. 5) ASTROLOGIA **naturalis**, quae ex dispositione astrorum, ratione eorum virtutis et influentiae naturalis, divinat certos effectus naturales, — aut necessario eventuros, ut eclypses, — aut contingenter tantum, utpote per alias causas naturales facile impedibiles, uti tempestates, sterilitates, etc., per se licita est; et quamvis in ejus certitudine aliquando excedatur, proptera non committitur peccatum superstitionis, sed mendacii et levitatis aut imprudentiae levis culpa. — ASTROLOGIA vero **judiciaria**, quae ex illa siderum dispositione praedicit eventus omnino fortuitos et liberos, ab hominum libero arbitrio dependentes, est prorsus illicita et haereticalis : quia libertatem humanam adimit aut labefactat. — Si quis tamen aliquid harioletur *generaliter* et *probabiliter* tantum, v. g. fore hoc anno bella, seditiones etc., superstitione caret, quippe astra in corpus nonnihil, corpus vero in animum influit, — Cfr. BILL.

Resolvitur. Ex doctrina S. THOM. **corpora coelestia** possunt *indirecte* et *dispositive* inclinare homines ad actus liberos, in quantum agunt in corpus humanum, et per consequens in vires sensitivas, quae inclinant ad actus humanos. — Quia tamen vires sensitivae obediunt rationi, ideo nulla necessitas ex hoc imponitur libero arbitrio, sed contra inclinationem corporum coelestium homo potest per rationem operari, et consequenter nequeunt ex astrorum consideratione cum certitudine praecognosci futura opera hominum. — Nihilominus, propter praefatam inclinationem dispositivam possunt astrologi, sine labe superstitionis, probabiliter et indefinite quaedam conjecturare in communibus eventibus qui dependent a multitudine, quia plerique hominum passiones corporales sequuntur, et pauci sunt sapientes, qui eas per rationem moderantur. — Cfr. (1. 2. q. 9, a. 4 — et 2. 2. q. 95, a. 5 in corp. et ad 2.)

Scholion. De **virga divinatoria**, quae ex corylo est et bifurcata, et cujus conversione aliqui utuntur ad inveniendos thesauros

in terra abditos, aquarum aut metallorum venas, transpositos agrorum limites, fures ac homicidas, non una est Theologorum sententia. De hac virga, cujus prima mentio facta est, ut aiunt, Saec. XIV, haec scribit Bailly (tom. VII, pag. 529) : « Quamvis nonnulli existiment illam detegendis aquis ac fontibus prodesse posse, ipsiusque motum ac conversionem, quantum ad illos aut *similes* effectus, naturaliter ac legibus physicis explicari posse, illius tamen usus certe vitiosus ac superstitiosus est : **1°**) cum agitur de detegendis agrorum limitibus; ratio est : quia evidens est lapidem ex hominum instituto ad constituendum limitem designatum nihil habere physici quod non habet alter lapis, ideoque virga quae non movetur circa secundum non potest naturaliter moveri circa primum; **2°**) quando virgae motus et conversio pendent ex agentis intentione, adeo ut non moveatur illa nisi circa ea quae inquiruntur. Ratio est : quia intentio non potest virgae motum producere ut causa physica; unde motus in eo casu non potest esse nisi ab agente superiore, quod quidem alius a diabolo esse non potest. »

Q. 20 *Quid* 1°) — et 2°) *quotuplex* sit VANA OBSERVANTIA?

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (2. 2. q. 96, a. 1 et 2) definiri potest : *superstitio qua quis nititur efficere aliquid ope daemonis.* — Differt a *divinatione*, quod haec ordinetur primario ad *speculativam* alicujus occulti cognitionem; illa vero ad cognitionem *practicam*, aliquid agendo vel omittendo.

R. Ad 2um) Alia fit cum *expressa*, alia cum *tacita* daemonis invocatione.

Explanatur. *Prior* seu **expressa** contingit, cum quis procurare aliquid per media inordinata volens, daemonis opem expresse invocat aut desiderat, sive id fiat cum pacto, sive sine pacto. — *Posterior* vero seu **tacita**, cum quis media adhibet inordinata, quae neque per se, neque ex Dei institutione virtutem efficiendi illud habent, quod quaeritur. — Utriusque VANAE OBSERVANTIAE *triplex* est species : — **1°**) **Ars notoria**, qua quis ad scientiam aliquam repente et sine studio acquirendam adhibet media improportionata, ut ignota verba, certas preces, aliquam potionem, etc.; — **2°**) **Observantia sanitatum**, qua ad morbos curandos, ad se reddendum immunem contra ictus vel similes effectus similiter usurpantur media

vana; — 3°) **Observantia eventuum**, dum quis ex observatione rerum impertinentium mala vel bona sibi vel aliis eventura conjicit, ideoque aliquid facit vel omittit, puta ex inversione salinae super mensam, ex offensione pedis in egressu, ex tredecim mensae recumbentibus, etc.

Q. 21. *Quantum* peccatum sit VANA OBSERVANTIA?

R. Sicut DIVINATIO, est peccatum *mortale*, et quidem ex toto genere suo. — Potest tamen esse *veniale*, si fiat cum *tacita* tantum daemonis invocatione : — 1°) ratione ignorantiae; — 2°) si non adhibeatur certa fides, licet timeatur ita esse vel futurum.

Q. 22. Ex *quibusnam* VANA OBSERVANTIA dignosci possit?

R. Ex *tribus* sequentibus.

Explanatur. 1°, Ex **insufficientia** causae adhibitae ad effectum, puta si nec habeat naturalem virtutem, nec de supernaturali legitime constet. — **2°**) Ex **adjunctione** vanae vel falsae circumstantiae ut necessario requisitae, ut si quis ad sanandos morbos requireret herbas tali die vel hora collectas, aut a tali persona praeparatas. — **3°** Ex **infallibilitate**, quae tribuitur mediis nullo modo infallibilibus, ut si quis adhiberet certum numerum crucium, orationum, vel similia perageret, quibus existimetur inesse vis infallibilis, quum tamen Ecclesia infallibilitatem eis non annexuerit. — Quod si omnibus prudenter perpensis **dubitetur**, utrum medium aliquod ex sua natura non habeat virtutem sufficientem ad effectum naturaliter possibilem, licite adhibetur; consulto tamen praemittitur protestatio contra quemlibet daemonis interventum. — Si vero **constet** effectum esse supra vires causarum naturalium, et tantum dubitetur an sit a Deo vel daemone, habendus est pro superstitioso et daemoni tribuendus, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium suadeant, quia temerarium est putare fieri semper miracula.

Q. 23. *Quid* 1°) — et 2°) *quotuplex* sit MAGIA?

R. Ad 1um) MAGIA est *ars operandi mira.*

R. Ad 2um) Est *duplex.*

Explanatur. Alia est **naturalis**, seu *late* sumpta, quae etiam

artificialis seu magia *alba* nuncupatur, estque facultas mira faciendi, saltem apparenter, per causas naturales aut hominis industriam, absque ope daemonis; haec de se mala non est. — Alia est **superstitiosa** seu *stricte* dicta, estque facultas mira faciendi ope daemonis per signa ab illo instituta. — Si hoc fiat ad inferendum alteri damnum, dicitur *maleficium* seu *sortilegium*, et hoc si ordinetur ad amorem carnalem vel odium excitandum, daemone humores vel phantasiam commovente, dicitur *amatorium* vel *philtrum*; — si vero ad inferendum damnum aliud, dicitur *veneficium*.

Q. 24. An sit *illicitum* maleficia a malefico dissolvi, quae *medicamentis* dissolvi nequeunt, neque *precibus*, neque *exorcismis?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Videndum : — num **alio tantum maleficio** adhibito dissolvi possint; — an **sine eo**; — an hoc sit **incertum.** — Si *primum*, non licet, quamvis maleficus paratus sit tollere : quia nunquam licet peti directe, quod est intrinsece malum. — Si *secundum*, licet, tametsi maleficus alio maleficio sit illud dissoluturus, sicuti ex causa licet ab usurario petere mutuum ad usuram. — Si *tertium*, licet, sed conditione adjecta, si hoc sine novo maleficio fieri possit. — At vero dirimere signa maleficii, v. g. imagines, nexus, ligaturas, etc., licet vel ipsi malefico, qui illa posuit, quippe ea removendo magis recedit a societate daemonis. — Cfr. S. Lic. (III, 25).

Q. 25. Quid sentiendum de potioribus aevi nostri superstitionibus, nempe : 1°) Magnetismo animali seu Mesmerismo; —2°) Tabulis semet moventibus; —3°) Spiritismo, uti vocant, *Americano;* — et 4°) Hypnotismo?

R. Ad 1um) Quod magnetismum attinet, quem vocant *animalem*, ut discernatur a *physica* illa magnetismi vi, cujus summa utilitas in arte physica et applicatione pro humanis usibus a nemine non commendatur, — etsi, *praeclusis abusibus*, adeoque *in abstracto* consideratus, haud sit illicitus, ut constat ex responsis S. Sedis (S. Off. 28 Jul. 1847—4 Aug. 1856), — *in praxi* tamen, seu si consideretur *in concreto*, negari nequit, quod plerumque sit damnandus, cum *fere sem-*

per interveniat illusio, deceptio et scandalum contra morum honestatem.

Resolvitur. Hinc patet, quomodo se gerere debeat **confessarius** cum iis qui magnetizant vel magnetizari sinunt : seclusis scilicet abusibus id toleret ; at usum MAGNETISMI nec suadeat, nec approbet. Certissime hanc professionem sine aliorum scandalo, modestiae lacsione ac maximo sui periculo **ecclesiastici** exercere nequeunt ; imo nec ita facile atque innocue possunt experimentis interesse.

R. Ad 2um et 3um) Quoad TABULAS ROTANTES et — SPIRITISMUM, his nunquam omnino uti licet, nec eis interesse, cum nullam heic liceat praetexere curandae valetudinis causam. Eos tantum lethali vacare dixerim, qui, ut utar verbis cl. PERRONII de virt. rel. § 750. *quadam animi levitate aut curiositate, jocandique causa, mensis manus apponunt, ut in gyrum moveant, aut ejusmodi experimentis assistunt.* Ita, quoad TABULAS ROTANTES, DD. communiter.

Explanatur. Dixi : **communiter** ; non desunt enim DD., qui, motum tabularum fluido electrico tribuentes, consequenter docent, simplicem tabularum motum, si nulla interveniat divinatio nullumque voluntatis imperium, haud esse illicitum. — In hoc omnes convenire debent : sicut illicitum est consulere **spiritus** per personas, quae *mediums* vocantur, vel hujusmodi consultationibus cooperari vel assistere ; ita pariter illicitum esse **tabulas** aliasve res inertes interrogare, vel talibus interrogationibus cooperari vel assistere, etiamsi fieret experimenti aut joci gratia, vel apponeretur protestatio contra daemonis interventum, vel fieret ad procurandam doemonis confusionem.

R. Ad 4um) Quod demum HYPNOTISMUM attinet, eo nomine artem intelligunt, fixo et continuato rei intuitu ac mentis ad unum recollectione, inducendi statum animi *somnambulismo* similem, quo homo, qui *praevie* se subjecit voluntati hypnotizantis, non amplius est sui juris, sed omnia ad nutum hujus peragit ac pro graviori, quo opprimitur sopore, etiam magis insolita agit ac patitur. Imo, nedum in hypnosi peragit quidquid hypnotizanti libuerit, sed etiam si ipsi aliquid suggestum

fuerit postea tantum exsequendum, tempore determinato ab hypnotizante redibit status hypnotismi, et fiet quod suggestum fuit. — De HYPNOTISMO nullum hucusque S. Sedis expressum decretum prodiit. Existimaverim de illo non aliter ac de MAGNETISMO judicium esse ferendum.

Resolvitur 1. Quamvis **hypnotismus** *per se* seu *praeclusis abusibus* haud sit illicitus, si nempe *adhibitis cautelis, justa de causa, honesto modo et in finem naturalem*, v. g. medicationis causa, investigationis scientificae aut juridicae gratia, adhibeatur; **in praxi** tamen *plerumque est damnandus*, quippe qui periculis sit plenus, cum hypnotizatus plane dependeat a mutu hypnotizantis; quapropter usus ejus publicus jure merito ab auctoritate publica prohibetur. Imo *plane damnandus* foret, utpote interventioni daemonis adscribendus, si illius effectus, attenta eorum intrinseca natura, modo quo producuntur aliisque circumstantiis, naturalium causarum vires exsuperent; — item si turpibus et immoralibus actibus hypnotismus exerceatur.—**Resol. 2.** Si quod crimen in hypnosi committeretur, reus *principalis* est qui illud suggessit, *secundarius* tantum suggesti criminis executor.

CAP. III.—De vitiis religioni oppositis per defectum: irreligiositate ejusque variis speciebus.

Q. 26. *Quid* 1°) sit IRRELIGIOSITAS, — et 2°) *quaenam* ejus *species?*

R. Ad 1um) Est vitium quod religionis virtuti adversatur per defectum, quodque tendit ad irreverentiam Deo *directe* inferendam, vel *indirecte*, in rebus aut personis sacris.

R. Ad 2um) Si *directe*, i. e. si inhonoratur Deus *in se*, ejus species sunt: TENTATIO DEI, PERJURIUM et BLASPHEMIA. — Si *indirecte*, i. e. si inhonoratur Deus *in rebus* seu *personis sacris*, species sunt: SACRILEGIUM et SIMONIA. — De *perjurio* et *blasphemia* dicetur in 2° praecepto.

Q. 27. *Quid* 1°) sit TENTATIO DEI, — 2°) *quotuplex* — et 3°) *quantum* peccatum?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 97, a. 1) *est dictum vel factum aut omissio ad capiendum experimentum potentiae,*

sapientiae alteriusve divini attributi, per extraordinarium effectum a Deo temere exspectatum.

R. Ad 2um) *Duplex* distinguitur.

Explanatur. Alia est **expressa** seu **formalis,** quando quis expresse dubitat de aliqua divina perfectione aut expresse de ea vult periculum facere; — alia est **implicita** seu **interpretativa,** cum quis, etsi actu non dubitet de perfectione divina, neque expresse intendat de Deo experimentum, reipsa tamen id agit vel petit, quod suapte natura refertur ad experiendam perfectionem divinam. — Quod fit : — A) Si quis, praetermissis mediis ordinariis, a Deo et natura ordinatis, effectum a solo Deo exspectat, ut si negligat remedia ad sanitatem recuperandam, cibos ad vitae sustentationem, studium ad concionem digne habendam; — B) Cum quis se absque justa causa necessitatis vel utilitatis exponit periculo, a quo liberari non possit nisi a solo Deo.

R. Ad 3um) TENTATIO *formalis* semper est peccatum mortale, et quando accedit dubitatio positiva, est etiam haeresis. — *Interpretativa* per se etiam est mortale, nisi quis excusetur : — aut quia ex inconsideratione aut ab ignorantia ductus illud faceret, — aut ob materiae levitatem, puta si neglectis remediis a levi infirmitate sanitatem a Deo exspectaret.

Q. 28. *Quid* 1°) sit SACRILEGIUM, — 2°) *quotuplex* — et 3°) *quantum* peccatum?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 99, a. 1 — et 3 ad 3) SACRILEGIUM definiri potest : *violatio rei sacrae qua talis;* — i. e. indigna tractatio, — sive sit actus, — sive omissio, contra reverentiam debitam rei ad cultum Dei deputatae.

Explanatur. Additur : **qua talis,** hoc est, in eo sensu in quo est sacra; sic religiosus per votum solemne castitatis est sanctificatus ad munditiem carnis, et ideo est sacrilegus, si contra hoc agat, — non si detrahat, mentiatur, etc.

R. Ad 2um) *Triplex* distinguitur : — *personale,* — *locale,* et — *reale,* prout indigne tractatur persona, locus vel res sacra.

R. Ad 3um) Est autem peccatum mortale *ex genere suo,* adeoque *grave* in re gravi, in re levi *leve.* — Cfr. BILL.; — SASS.

Scholion. Ex S. Thom. (2. 2. q. 99, a. 3) : « *gravius peccatum est sacrilegium quo peccatur contra* **personam sacram**, *quam quo peccatur contra* **locum sacrum.** *Sunt tamen in utraque specie diversi gradus secundum differentiam personarum et locorum sacrorum. Similiter etiam et tertia species sacrilegii, quae circa* **alias res** *committitur, diversos habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent ipsa* SACRAMENTA, *quibus homo sanctificatur, quorum praecipuum est* EUCHARISTIAE *sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium, quod contra hoc sacramentum committitur,* GRAVISSIMUM *est inter omnia. Post sacramenta autem secundum locum tenent* VASA CONSECRATA *ad sacramentorum susceptionem; et ipsae* IMAGINES SACRAE *et* RELIQUIAE *Sanctorum, in quibus quodam modo ipsae personae Sanctorum venerantur et dehonorantur.* »

Q. 29. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM *personale?*
R. Committitur *tribus* sequentibus modis.

Explanatur 1°) Si quis, suadente diabolo, **violentas manus** injiciat in clericos vel in utriusque sexus monachos.—**2°)** Personas ecclesiasticas subjiciendo judicio **fori laicalis,** aut ab eis exigendo **tributa** extra casum publicae necessitatis, in locis ubi viget privilegium fori seu exemptionis.—**3°) Luxuriose** violando personas Deo dicatas per votum solemne castitatis in professione religiosa vel in susceptione sacri ordinis emissum. — Cfr. pag. 245 seqq.

Q. 30. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM *locale?*
R. Committitur *quatuor* sequentibus modis.

Explanatur 1°) *Per quolibet peccatum quo ecclesia* **polluitur,** *vel coemeterium,* nempe : — A) per *homicidium culpabile* aut *injuriosam sanguinis effusionem,* quae sit mortalis et copiosa; effusio enim dicit plus quam unam aut alteram guttulam; sufficit tamen vulnus infligi homini exsistenti in loco sacro, licet ab homine exsistente extra, aut sanguis extra effundatur aut vulneratus extra moriatur; — B) per *voluntariam seminis humani effusionem,* non tamen per copulam conjugalem in casu urgentis necessitatis, juxta dicta superius (pag. 247); — C) per *sepulturam* infidelis vel excommunicati non tolerati. Per *infidelem* autem non intelliguntur

catechumeni, ut habet communior sententia; an vero intelligantur *infantes ex christianis parentibus mortui sine baptismo*, disputant DD., ut latius dicetur postea (q. 126 de *Euch.*). — Ut tamen locus sacer propter hos actus *polluatur*, ita ut reconciliatione indigeat, debent esse notorii, notorietate facti vel juris, non tamen ut sacrilegii reatus incurratur. — 2° *Per actus, qui licet locum sacrum non polluant, tamen* **specialiter prohibentur,** quales sunt mercatus, concilia saecularia, strepitus judiciorum, convivia, confabulationes, etc., sine necessitate. — 3° *Per actus qui sunt contra* **immunitatem** *loci*, ut si ecclesiae fores effringantur, si templa bonis suis spolientur, aut jus asyli violetur. — 4° Ex probabiliori sententia cum Sylv., Cajet., Sylvest., Bill., per **furtum** *rei etiam profanae in loco sacro*, ut crumenae occulta abscissio, sive res furtiva sit illic deposita *custodiae* causa, sive non. Hoc enim ipso quo locus est sacer, tanta ei debetur reverentia, ut sit asylum omnibus rebus quae in eo sunt, etiamsi eo animo non fuerint illic depositae. Praeterea in jure (caus. 17, q. 4. cap. *Quisquis*) habetur : « *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* » Ubi cum jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. — Quae tamen circumstantia cum levis sit, non erit necessario exprimenda in confessione. — Cfr. Bilb.; — Sass.

Q. 31. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM *reale?*
R. *Duobus* modis : *positive* scilicet, vel *negative.*

Explanatur. Committitur : 1° **Positive,** indigne tractando rem sacram, quod fit : — per indignam administrationem vel susceptionem sacramentorum; — per profanationem reliquiarum, imaginum et vasorum sacrorum; — per abusionem verborum Scripturae non solum ad confirmandos errores, sed etiam ad res pure profanas; — per invasionem bonorum et jurium Ecclesiae et suppressionem piorum legatorum; — demum per adhibitionem sacrae supellectilis in usus profanos, nedum quamdiu consecrationem retinent, sed cum postea eam amiserint; nihilominus, quia « *mutata forma prope interimit rei substantia,* » quae formam ita perdiderint, ut ad communem materiam redierint, sicut si calix igne vel ferro ad communem massam argenti reducatur, in usus profanos converti posse recepta sententia est (S. Lig. III, 41). — 2° **Negative,** cum

res sacra non custoditur ea cura qua decet, ut : — si vasa sacra, pallae, corporalia, non teneantur satis munda; —si permittatur sacras species in pixide corrumpi; —si eucharistia sub clavi non asservetur.

Q. 32. *Quid* 1°) sit SIMONIA, — et 2°) *undenam* illud nomen?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 100, a. 1) : « *est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.* » — Quod addi solet : *pretio temporali*, redundat : quia essentiale hoc est emptioni et venditioni, ut fiant mediante pretio temporali.

Explanatur. Dicitur : 1°) **Studiosa voluntas,** i. e. deliberata intentio, quia simonia magna ex parte pendet ex intentione operantis, quae exercite tanti aestimat rem spiritualem, quanti temporalem. — 2°) **Emendi vel vendendi,** per quae verba intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis, etc., vi cujus unus intendit alterum obligare ad dandum spirituale pro temporali vel e contra. — 3°) **Aliquid spirituale,** per quod intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, — sive sit *formaliter* talis, ut v. g. gratia, dona Spiritus S.; — sive *causaliter*, ut sacramenta, preces; — sive *effective*, in quantum est effectus vel usus potestatis spiritualis, ut collatio beneficii, dispensatio in voto, etc. — 4°) **Vel spirituali annexum,** ad comprehendenda illa quae spiritualia non sunt, sed ad ea ordinantur iisque adnectuntur. — *Tripliciter* autem potest esse aliquid annexum : —A) *antecedenter*, quando temporale antecedit spirituali, ut jus patronatus respectu beneficii, vasa et vestes sacrae respectu sacramentorum; —B) *concomitanter*, idque *dupliciter* locum habere potest : sive *intrinsece*, i. e. necessario et inseparabiliter, ita ut temporale coalescat cum spirituali in unum opus morale, ut labor intrinsecus actioni sacrae, i. e. sine quo actio sacra fieri nequit, ut stare ad altare, insumere tempus pro legenda missa, etc.; sive *extrinsece*, i. e. non necessario, et separabiliter, qualis est v. g. in missae celebratione labor extraordinarius ex cantu, ex dilatione horae celebrationis, ex itinere ad hoc suscepto, etc.; — C) *consequenter*, quando temporale praesupponit spirituale, ex quo tanquam ex causa resultat, ut jus ad reditus beneficii qui dantur propter officium spirituale. — Demum 5°) communiter sed per redundan-

tiam additur : **pretio temporali**, quod in jure vocatur *munus*, estque triplex : — *munus a manu*, i. e. pecunia ac quodvis aliud pecunia aestimabile, ut remissio debiti, cessio jurium ; — *munus a lingua*, i. e. commendatio apud alium ; — *munus ab obsequio*, i. e. servitium vel obsequium in rebus temporalibus praestitum.

Resolvitur. Ad SIMONIAM proprie dictam essentialiter requiritur, quod *temporale* intendatur explicite vel implicite ut **pretium** rei spiritualis : alias non erit venditio aut emptio, neque quivis alius contractus onerosus, qui nomine venditionis vel emptionis possit intelligi. Et haec est communis sententia TT. et CC. et maxime S. THOMAE, non solum in definitione tradita, sed etiam in sequentibus articulis, ubi probat non esse SIMONIAM aliquid temporale accipere pro missis, pro concionibus, pro orationibus et aliis similibus spiritualibus, modo non recipiatur ut *pretium*, sed ut **stipendium** vel aliquo alio honesto titulo. — Est autem haec differentia inter *pretium* et *stipendium*, quod **pretium** dicatur per respectum ad rem cum qua commutatur et cui appretiatur et aequiparatur : **stipendium** vero dicitur per respectum ad personam, quam aequum est sustentari ab iis quorum utilitati deservit. — Cfr. BILL.

R. Ad 2um) Simonia dicitur a *Simone Mago*, de quo legitur (ACT. APOST. VIII, 18 seq.) : Quod obtulit apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, dicens : « *Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* »

Q. 33. *Quotuplex* sit SIMONIA ?

R. *Multiplex* distinguitur : tum ex parte *materiae*, tum ex parte *pacti*.

Explanatur. 1°) Ex parte *materiae*, alia est **juris divini**, quae a Deo ob intrinsecam malitiam prohibita est, estque sola in rigore simonia proprie talis, hancque modo definivimus ; alia est **juris ecclesiastici** tantum, estque contractus circa spiritualia per se licitus, sed lege ecclesiastica ex motivo religionis vetitus, propter periculum et speciem simoniae, ut est v. g. permutatio beneficiorum ecclesiasticorum inter se, in quibus non habetur nisi prohibitio Ecclesiae, cum aliunde servetur in illis aequalitas rerum, commutando spirituale cum spirituali. — **2°**) Ex parte *pacti*, SIMONIA potest

esse *mentalis, conventionalis, realis* et *confidentialis*. — A) Est **mentalis**, quando intra mentem sistit, nullo externo signo manifestata ; ut si quis collatori vacantis beneficii filium commendet, et interim specie doni liberalis argentea vasa ipsi mittat ea interna intentione, ut eum moveat et obliget ad filium suum praesentandum. Huc spectat propositio damnata ab Inxoc. XI sub n. 45 : « *Dare temporale pro spirituali non est simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale.* » Huc etiam pertinet, si quis pro re temporali accepta rem spiritualem aut vice versa, tanquam compensationem ex justitia debitam alteri conferat.— B) **Conventionalis** est, quando habetur pactum expressum vel tacitum, sed neutra parte *completum*. Pactum explicitum est, in quod partes expresse consentiunt, v. g. do beneficium, ut des pecuniam ; tacitum seu implicitum est, cum partes quidem expresse non conveniunt, ex circumstantiis tamen satis intelligitur, quod dans spirituale velit obligare ad retribuendum temporale vel e contra, ut si dicas : da beneficium, ero tibi gratus, subintelligendo, per temporale, ut plerumque subintelligitur : nam si non retribuas, communiter haberis ingratus. — C) **Realis** dicitur, quando ex utraque parte pactum adimpletum est, saltem quoad aliquid, si non quoad totum, ut si collatum sit beneficium et saltem pars pretii soluta. Si ab una parte tantum completum est pactum, nempe per traditionem solius pretii temporalis, vel solius rei spiritualis, tunc simonia dicitur *mixte conventionalis* vel *semirealis*. — D) **Confidentialis** tandem fieri potest solum in beneficiis, idque — vel per *accessum*, — vel per *ingressum*, — vel per *regressum*, — vel per *pensionem*. Et quidem simonia committitur per *accessum*, quando quis volens conferre beneficium alicui inhabili per aetatem, illud confert alteri cum pacto, ut beneficium dimittat statim ac inhabilis fiat habilis. Per *ingressum* committitur, quando quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignat, servato sibi jure beneficii possessionem ingrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per *regressum* committitur, quando quis post captam beneficii possessionem illud alteri resignat, servato sibi jure in eamdem possessionem regrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per *pensionem* denique committitur, quando quis suum beneficium alteri resignat reservans sibi vel alteri ex privata auctoritate aliquam pensionem.

Scholion. Ex Scavini simonia **juris humani** committitur « vendendo oleum benedictum vel sacrum Chrisma etiam secundum suam *speciem physicam;* usus tamen in aliquibus cathedralibus invaluit, ut aliquid ab ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda. » Porro hanc *consuetudinem tolerari posse,* scilicet exigendi annuum et modicum canonem pro sanctorum oleorum materia, pro dioecesi Anniciensi respondit S. C. Conc. 20 Dec. 1879, ap. N. R. T. (XII, 117 seqq.).

Q. 34. *Quantum* peccatum sit simonia?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Simonia **juris divini** est peccatum *mortale*, et quidem, juxta communem DD. sententiam, *ex toto genere suo,* non admittens parvitatem materiae, — sive ex parte rei spiritualis : quia gravis irreverentia est rei spirituali, etiam minimae, quae supra omne pretium est, temporalem acquiparare ; — sive ex parte pretii : quo enim minus datur pro re spirituali, eo magis res spiritualis vilipenditur, unde vilitas pretii pro ea oblati magis auget malitiam. — Simonia vero **juris humani** admittit parvitatem materiae, quia per hanc non fit proprie injuria rei sacrae, sed tantum Ecclesiae praeceptum violatur, in quo dari potest materiae parvitas.

Q. 35. *An* semper sit simonia emere vel vendere aliquid *temporale* spirituali *annexum?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Quando temporale spirituali **antecedenter** annexum est et illud independenter a spirituali pretio temporali juste aestimari potest, ut vasa sacra, non committitur simonia illud emendo vel vendendo juxta valorem materiae, ita ut pretium ratione spiritualis annexi non augeatur ; — quamvis tamen varia sint objecta benedicta, scilicet rosaria, cruces, numismata, quae pluribus S. Congr. Indulg. decretis vendere vetitum sit : alias indulgentias amittunt. — Secus dicendum, si independenter a spirituali pretium non habeat, ut jus patronatus, praesentatio ad beneficium. — 2°) Ast simonia semper committitur, dum temporale spirituali **consequenter** aut **concomitanter intrinsece** annexum est, quotiescumque objectum illud fit emptionis aut venditionis.

Q. 36. *An* sit SIMONIA aliquid exigere *pro admissione* ad statum *religiosum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Ex S. THOM. (2. 2. q. 100, a. 3 ad 4) *affirmative*, si hoc exigatur tanquam **pretium** *ingressus* in religionem vel *professionis.* — **Secus**, *subdistinguendum est ;* — 1°) Certum est, licitum esse pro novitiorum *sustentatione* aliquid exigere in monasteriis **monialium**, uti declaravit S. CONC. CONC. (18 Sept. 1863). — 2°) Quoad monasteria **virorum**, si sint *egena*, unanimiter docent AA. cum S. THOM. (*ibid.*) aliquid titulo sustentationis exigi posse, exceptis tamen monasteriis FF. MINORUM S. FRANC. OBSERVANTIUM, uti declaravit S. C. *Episc. et Reg.* (30 Mart. 1858), idque non obstante contraria consuetudine. Quod pariter dicendum videtur de FF. MM. S. FRANC. CAPUCCINIS. — Secus, si sint *opulenta* et *sufficienter dotata*, uti docet S. THOM. (in 4 dist. 25, q. 3, a. 2, q. 2 ad 7), quem secuti sunt S. ANTON., SYLV., S. LIG. (III, 92), qui advertit ex CABASS., «ad exigendum aliquid a recipientibus non requiri arctam necessitatem, sed sufficere illam, qua monasterium non posset alias commode eis alimenta subministrare.» — Ex quo patet hodie, ob temporum difficultatem, fere ubique omne evanescere dubium, quum vix ullum reperiatur monasterium adeo opulenter fundatum, ut auxilio alieno pro praesenti et futuro nullatenus indigeat.

Q. 37. Quaenam *poenae* ecclesiasticae in SIMONIAE reos infligantur?

R. Vi Const. «*Apostolicae Sedis*» an. 1869 a PIO IX editae, incurrunt excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici *simpliciter* reservatam, illi omnes qui SIMONIAE rei sunt in uno e quinque casibus sub nn. VIII, IX, X, XI et XII ibidem expressis. Praeterea incurrunt censuras eousque vigentes in simoniaca Papae electione. — Cfr. *Adnot in Const.* «APOST. SEDIS» (tom. IV).

Q. 38. *An*, *quae*, et *cuinam* restituenda sint SIMONIACE accepta?

R. 1°) Nihil spirituale simoniace acceptum est restituendum, — exceptis solis beneficiis ecclesiasticis, quae etiam ante omnem judicis sententiam dimittenda sunt una cum fructibus

perceptis, eo quod acceptio simoniaca beneficiorum sit ipso facto irrita ex juris positivi constitutione. — Ratio est : quia talis simoniacus non peccavit contra justitiam dando aliquod temporale pro spirituali, sed solum contra religionem. Hinc si quis simoniace comparavit reliquias Sanctorum, jus patronatus, etc., non tenetur talia dimittere. — 2° Pretium acceptum pro beneficio vel alia re spirituali, nondum secuta collatione rei spiritualis, est ipso jure naturali restituendum, cum desit titulus retinendi; et quidem ipsi danti, cum nullibi aliter sit cautum. At post collationem beneficii et simoniam utrimque completam, pretium acceptum pro collatione, praesentatione vel resignatione beneficii jure ecclesiastico ante omnem judicis sententiam est restituendum non ipsi danti, quia Ecclesia utrumque intendit punire, sed illi ecclesiae in qua est beneficium ; quod ultimum tamen probabiliter non obligat ante judicis sententiam. Pretium acceptum vero pro alia re spirituali non tenetur quis restituere ante sententiam judicis, cum de hoc nullum exstet jus positivum. — Nihilominus 3°) quantum est de *jure naturali*, qui simoniace vendit rem spiritualem, cui commodum aliquod temporale est annexum, nec quam alteri gratis conferre tenetur, pretium acceptum non tenetur restituere : quia recipiendo illud non peccavit contra justitiam, sed tantum contra religionem. Quod si vero vendat rem spiritualem, cui nullum jus temporale est annexum, tenetur quis tale pretium in conscientia restituere ante omnem judicis sententiam : quia res mere spiritualis non est ulla ratione vendibilis et ideo vendens peccat contra justitiam. Et quidem ex communi sententia tenetur pretium illud simoniacum restituere ecclesiae vel pauperibus vel alias ad pias causas impendere; tuta tamen est sententia contraria, ante sententiam judicis esse restituendum ipsi, nisi sponte remittat vel condonet : quia ex una parte justitia commutativa laesa exigit restitutionem fieri ipsi parti laesae, quantum est de jure naturali; ex altera vero, nulla lex ecclesiastica afferri potest, quae ante omnem judicis sententiam statuat talis pretii simoniaci conversionem in pios usus, licet hoc a judice justissime decernatur. — Cfr. Spor. — S. Lig. (III, 113 seqq. — et H. A. IV, 53).

DE SECUNDO PRAECEPTO.

« *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* » (Exod. XX, 7).

CAP. I. — De vana usurpatione nominis Dei et de blasphemia.

Q. 39. *Quid* prohibeat *secundum* Decalogi *praeceptum?*

R. Quamlibet irreverentiam erga SS. Nomen Dei, quae fieri potest : — 1°) per *vanam ejus usurpationem ;* — 2°) per *blasphemiam ;* — 3°) per *juramentum temerarium* et *indiscretam adjurationem ;* — 4°) per *votum illicitum* vel *violatum.*

Q. 40. *Quandonam* habeatur vana SS. Nominis Dei usurpatio?

R. Quando *absque causa* seu *sine debita reverentia* assumitur nomen Dei vel Sanctorum, — sive id fiat : — 1°) ex *impatientia* contra creaturas, v. g. *Mon Dieu, laissez-moi donc tranquille!* — sive 2°) ex *admiratione*, per modum ordinariae exclamationis, v. g. *Grand Dieu, que c'est beau!* — sive 3°) *superflue*, per modum interjectionis, tanquam ex mera formula aut consuetudine, v. g. *Mon Dieu, oui! mon Dieu, non!*

Resolvitur. Si cum **debita reverentia** et per modum **invocationis,** etiam in rebus indifferentibus, Dei nomen usurpetur, est actus bonus et potest esse meritorius. Quapropter non vituperio sed laude digni sunt qui cum S. Franc. Ass. saepius de die erumpunt in illa verba : « *Deus meus et omnia!* » — Aut cum S. Franc. Xav. in haec altera : « *O Sanctissima Trinitas!* »

Q. 41. *An* et *quantum* peccatum sit haec vana usurpatio?

R. Est quidem peccatum, sed *de se* veniale.

Explanatur. Ratio **1**^{mi} est : quia in hujusmodi usurpatione si fiat cum advertentia, SS. Nomen Dei ad instar rei profanae habetur, sicque veneratio Deo debita non servatur. Unde quoque praecipitur (Exod. XX, 7) : « *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.* » — Ratio **2**^{di} est : quia illa irreverentia, cum non sit erga

ipsam personam Dei, non apprehenditur ut quid grave, ut constat ex communi TT. interpretatione et sensu fidelium.— Dixi : **de se**; quia potest evadere mortale ratione contemptus formalis vel irae contra Deum. Quo casu de malitia blasphemiae participare censetur.

Resolvitur 1. Quod dictum est de SS. Nomine Dei, idem, servata proportione, dicendum est de inutili usurpatione nominum **Sanctorum** et **verborum S. Scripturae.** Unde quoque dicitur Eccli. XXIII, 19) : « *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis : quoniam non eris immunis ab eis,* » i. e. a peccato irreverentiae in eos.—**Resol. 2.** Ex S. Lig. III, 151 « in ira usurpare **daemonem** sine imprecatione, non est per se peccatum; assidua tamen ejus nominatio non decet christianum, et ratione scandali potest esse gravis, » praesertim in sacerdotibus. — Interim, ut bene notat Ballerini, « sicubi vitium invaluit maledicendi Deo aut Sanctis, et cum iis hominibus agitur, qui in aestu irae vix et ne vix quidem a vehementi emphasi temperare norunt, expedit sane, ut sacris Dei Sanctorumque nominibus exsecrabile diaboli nomen substituant. »

Q. 42. *Quid* sit BLASPHEMIA?

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 13, a. 1) definiri potest : *locutio contumeliosa in Deum.*— Potest fieri *tribus* modis : — *indicative*, affirmando aliquid de Deo quod ei repugnat, vel negando quod ei competit, vel adscribendo aliquid creaturis quod soli Deo proprium est; — *imprecative*, malum Deo imprecando;—*facto modo*, absque affirmatione, vel negatione, vel imprecatione, ut cum per despectum ac indignationem probrose nominentur attributa Dei, membra Christi, sacramenta, etc., juxta illud (Matth. XXVII, 40) : « *Vah! qui destruis templum Dei.* »

Explanatur. Dicitur : 1°) **locutio,** quia ordinarie fit *verbis;* licet etiam fieri possit : — sive *scripto*, — sive *factis* quibusdam externis in Deum contumeliosis, v. g. dentibus in Deum stridendo, crucifixum conculcando, sagittam in coelum immittendo, ut fecisse narratur Julianus apostata.— Imo fieri potest *sola cogitatione*, juxta illud (Psal. XIII, 1) : « *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* » Et daemones, qui nonnisi mente loquuntur, blasphemare dicuntur,

juxta illud (Jac. II, 19) : « *Daemones credunt et contremiscunt.* » — Dicitur : 2°) **contumeliosa,** i. e. per modum convicii detrahens excellentiae divinae Bonitatis, quod *triplici* modo fieri potest, ut dictum fuit. — Interim, ut recte notat Bill., ad blasphemiam « non requiritur *explicita* et *expressa* intentio Deum conviciandi et inhonorandi ; sed sufficit *virtualis* et *implicita*, quatenus per verba aut modum ea pronuntiandi, juxta communem apprehensionem Deus dehonoratur et contemnitur. » — Dicitur 3°) **in Deum,** — sive fiat *immediate*, — sive *mediate*, prout nempe dirigitur vel in Deum ipsum, vel in aliquid aliud, sed cum habitudine saltem virtuali ad Deum.

Resolvitur 1. Quocumque modo locutio fiat, — sive *corde*, vel *ore*, — sive *verbo*, *scripto* aut *facto*, si in Deum sit contumeliosa, totam blasphemiae malitiam in se continet. Si tamen agatur de reservatione aut aliis poenis blasphemiae inflictis, sola *oralis* proprie intelligitur. — **Resol. 2.** Blasphemat qui affirmat Deum esse *injustum*, *tyrannum*, *auctorem peccati*, — aut negat esse *omnipotentem*, — aut aliquid creaturis tribuit quod soli Deo competit, quo modo peccant lascivi amatores, si serio suas meretrices vocant *Deas* et *omne suum bonum*. — Item qui Deo malum imprecatur. dicendo : *pereat Deus, sit maledictus*, etc., — aut qui de Deo vera quidem dicit, sed irreverenter, per contemptum, ex ira vel odio, qualem blasphemiam cum vita evomisse legitur Julianus apostata dicendo : « *vicisti, Galilaee, vicisti !* » Huc quoque spectat illud irrisorum Christi (Matth. XXVII, 29) : « *Ave, Rex judaeorum.* » — **Resol. 3.** Blasphematur, non solum quando contra Deum aliquid contumeliose dicitur, sed etiam cum ita dicitur contra Sanctos et res sacras, tamen cum aliqua habitudine saltem virtuali ad Deum. Nam, ut ait S. Thom. (l. c. ad 2) : « *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctis efficit ; ita et blasphemia, quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* » Si autem aliquis contra res sacras et Sanctos *secundum se* contumeliose loqueretur, non esset proprie blasphemia, sed vitium irreligiositatis *Duliae* oppositum.

Q. 43. *Quotuplex* sit BLASPHEMIA ?

R. Multiplex distinguitur : — tum ex parte *voluntarii*, — tum ex parte *objecti*.

Explanatur. 1°, Blasphemia ex parte **voluntarii** dividitur : in — **formalem** et — **materialem** ; formalis : in — **directam** et — **indirectam**. — Blasphemia formalis *directa* est, cum fit cum directa intentione inhonorandi Deum, quae iterum triplex est : *simplex*, *haereticalis* et *haeretica*. — *Simplex*, est locutio contumeliosa in Deum, nullam significans haeresim, v. g. *pereat Deus, si non ita sit*. — *Haereticalis*, quae significat haeresim, sed sine assensu interno erroneo contra fidem, ex pravo solum voluntatis affectu. — *Haeretica*, est verbum contumeliosum contra Deum haeresim significans, et cum assensu interno erroneo. Exemplum utriusque : *Deus est injustus*. — Blasphemia formalis *indirecta* est, quae fit cum indirecta solum intentione inhonorandi Deum, quum quis nimirum scienter talia verba loquitur, quae scit contumeliam in Deum continere. — Blasphemia *materialis* est, qua verba de se contumeliosa in Deum proferuntur absque omni directa vel indirecta intentione Deum inhonorandi, v. g. solum recitative vel omnino inadvertenter. — **2°,** Blasphemia ex parte **objecti** dividitur : — in **immediatam** et — **mediatam**. — Prior immediate fit in Deum ipsum vel aliquid ipsius Dei. — Posterior tendit in aliquid Deo sacrum, vel ad Deum peculiariter relatum, ut sunt : a) Maledicta in Sanctos quatenus Sancti sunt, adeoque cum habitudine ad Deum formali vel virtuali ; — b) Maledicta in Sacramenta et res quascumque Deo sacras, quatenus Deo sacrae sunt ; — c) Maledicta in homines, vel quascunque creaturas, quatenus Dei creaturae vel aliquid Dei sunt, non item quatenus absolute et secundum se considerantur.

Resolvitur 1. Quo excellentior et cum Deo magis cohaerens est creatura, eo facilius in Deum exsurgit relatio, et consequenter eo facilius habetur blasphemia *mediata*. — **Resol. 2.** Convicium prolatum in *Sanctos* in coelis vel *res sacras* censetur *regulariter* ferri in Deum, nisi circumstantiae vel modus dicendi denotent a tali ratione praescindi. At convicia seu maledicta prolata adversus *homines* in terris exsistentes vel adversus *creaturas irrationales non sacras* plerumque ab hoc respectu praescindunt, et consequenter non blasphemiae, sed alterius peccati rationem habere possunt, v. g. odii, vindictae, iracundiae, irreverentiae erga parentes, etc.

Q. 44. *Quantum* peccatum sit BLASPHEMIA?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Dicendum cum S. THOM. (2.2.q. 13, a. 2-3) : — 1°) BLASPHEMIA quaecunque **formalis directa** est peccatum mortale gravissimum, excludens non solum omnem parvitatem materiae, sed etiam imperfectionem actus, hoc ipso, quod supponatur facta ex directa intentione ac deliberata inhonorandi Deum. Et si fuerit *haereticalis*, ad minus est *duplex* peccatum, scilicet BLASPHEMIAE contra religionem, et INFIDELITATIS *externae* vel *internae* contra fidem ; et si etiam procedat ex maligno affectu contra Deum vel hominem, est simul etiam contra CHARITATEM, adeoque *triplex* peccatum. — 2°) BLASPHEMIA etiam **formalis indirecta**, serio et advertenter prolata, est peccatum mortale, etsi minus grave priori, ob minus voluntarium ; ubi tamen omnino admittenda est imperfectio actus a mortali excusans, ut si fiat ex subito impetu passionis. Quod si facta sit plene advertenter, etsi ex joco, adhuc ordinarie est peccatum mortale, cum etiam sic vergat in diminutionem divini honoris ; nisi in raro casu talis esset jocus, ut nulla appareret divini honoris diminutio. — 3°) BLASPHEMIA mere **materialis**, cum ei desit essentia BLASPHEMIAE, quantum ex hoc capite caret omni culpa.

Q. 15. *An* omnes BLASPHEMIAE sint *ejusdem speciei* peccata ?

R. Probabiliter *affirmative* ; unde nulla adest obligatio declarandi in confessione, num in Deum, an in Deiparam, aut in Sanctos, aut Angelos prolatae fuerint BLASPHEMIAE, sed sufficit dicere : *Blasphemavi graviter toties.* — Debent tamen declarari circumstantiae *speciem mutantes*, ut — si BLASPHEMIA fuerit *haereticalis*, aut — si procedat ex actuali *odio* Dei, *desperatione*, ex gravi *odio* proximi.

Resolvitur. Juxta plures cum SASS., « duplex specie peccatum committit, qui in **Sanctos** blasphemat : unum contra *duliam*, in quantum contumelia afficit personam honore dignam ; alterum contra *latriam*, in quantum ejus blasphemia redundat in Deum. » — Verum, ex S. LIG. (III, 132), « cum ii qui blasphemant Sanctos, verius communiter loquendo, eos injuria afficere intendunt, non ob praecisam propriamque ipsorum excellentiam, sed quatenus ad Deum mediate referuntur, ideo... non contra *duliam*, sed tantum contra *latriam* peccant, et propterea non tenentur explicare an Deum vel Sanctos blasphemaverint. »

Q. 46. Quaenam *generatim* verba ut BLASPHEMATORIA habenda sint?

R. Per se ut BLASPHEMATORIA habenda sunt verba quae ex communi apprehensione vel usu patriae aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo aliisve circumstantiis, Dei inhonorationem continent et ex communi apprehensione uti BLASPHEMATORIA reputantur, quamvis per se BLASPHEMIAM proprie non sonent. — Ratio est : quia *verba* et *formulae* loquendi efficaciam habent non mere ex vi grammaticali, sed etiam ex sensu ipsis affixo a communi usu et aestimatione. — Notat autem S. LIG. III, 130) cum aliis : quod « *in dubio, an aliqua sit vel ne* BLASPHEMIA, *minime ut* BLASPHEMIA *sit sumenda.* »

Resolvitur. 1. Formula gallica « *Nom de Dieu,* » quae hodie profertur ad iram seu indignationem, nec juramentum est, nec de se blasphemia, — nisi quis per illam Deum conviciari intendat ; sed est tantum vana nominis Dei usurpatio, quae de se peccatum veniale non excedit. — Secus vero dicendum, quidquid opinentur alii cum SCAVINI et GOUSSET, si praefatae formulae praemittatur vox « *Sacré* » : quia juxta sententiam communem, imo universalem populi acceptionem, vox illa « *Sacré* » per antiphrasim significat *maledictum*, juxta illud VIRGILII : « *Auri sacra fames,* » ac rudia illa convicia : « *Sacrée bête, sacré coquin,* » ita ut sensus sit : *Maledictum sit nomen Dei.* — Idem dicendum existimo de formula « *Sacré D.* ». Quia tamen in quibusdam locis ex ignorantia aut errore minorem inspirat horrorem, ratio subinde esse potest, cur quis a peccato gravi excusetur. — **Resol. 2.** Formulae « *Sacré mille D., — Sacré milliard de noms de D.* » continent blasphemiam haereticalem. Qui tamen eas adhibent, ordinarie hanc haereticalem circumstantiam non advertunt, easque tantum proferunt ad blasphemiae vim et expressionem augendam eamque intentionaliter quasi numero multiplicandam. — Idem dic de formulis « *Mille noms de D., — Quatre vingt mille D.,* » per quas quis Deum conviciari intendit. — **Resol. 3.** De sensu formulae flandricae « *G... verdoeme* » (ad litteram : *Deus damnet,* ut anglice *God dam*) disputatur. — Juxta alios continet imprecationem in seipsum vel juramentum exsecratorium, ita

ut sensus sit : *Deus me damnet*, et proin, seclusis conscientia erronea vel scandalo, illa non excedit culpam venialem in omnibus casibus in quibus imprecatio aut illicitum juramentum a peccato gravi excusatur. — Alii *communiter* et *verius* docent hanc formulam, quum vix unquam adhibeatur nisi ad iram manifestandam, continere blasphemiam : — sive *immediatam*, ita ut sensus sit : *Deus sit maledictus* seu *damnatus ;* — sive *mediatam*, quatenus maledictum immediate prolatum in animam, mediate fertur in Deum, propter specialem habitudinem quam habet anima cum ipso Deo. — Idem dicendum existimo de formula « *G... doeme.* » Quia tamen in aliquibus locis minorem inspirat horrorem, ratio adesse potest, cur quis a peccato gravi excusetur, nisi indignatio directa sit contra Deum.— **Resol. 4.** Ex S. Lig. (III, 124) locutiones — sive *dimidiatae*, i. e. quae non habent sensum completum, veluti sunt : « *Sacré nom*, — *Nom de domme*, — *Verdoemd ;* » — sive *corruptae*, ut sunt : « *Jarnidié, mordié, ventredié,* et flandricae *G... vernon de domme, Begod* et *Sacredien* » de se non sunt blasphemiae, nisi indignatio in ipsum Deum feratur aut adsit intentio blasphemandi. — **Resol. 5.** Locutiones : « *Videtur Deus mei planc oblitus*, — *Immerito tam multa patior*, » si deliberate proferantur, de se sunt blasphemiae et quidem haereticales. Sensus enim est : *Deo inscio haec mihi mala obveniunt, Deus injuste me punit.* Communiter tamen, juxta modum loquendi humanum, non sunt nisi querelae ex inconsideratione, ex pusillanimitate, ex gravitate doloris prolatae, quaeque proinde raro ad culpam gravem pertingunt (Voit).

Q. 47. *An* et *qualia* sint peccata BLASPHEMIAE ex *consuetudine* prolatae?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Videndum an consuetudo illa efficaciter fuerit **retractata** vel **non.** — 1°) Si **non fuerit retractata**, consuetudinarius ille — vel A) BLASPHEMIAS profert *advertenter*, et tunc singula BLASPHEMIA constituit peccatum formale in confessione exprimendum ; — vel B) BLASPHEMIAS profert *inadvertenter* ex mera consuetudine, et tunc non sunt voluntariae de praesenti, sed voluntariae in causa seu in consuetudine non retractata in qua harum malitia contrahitur, et cum adeoque non constituant nova peccata, inutile

est a poenitente exquirere earum numerum. — **2°) Si efficaciter fuerit retractata,** BLASPHEMIAE ex mera consuetudine seu involuntarie prolatae, omni culpa carent, cum nec in se, nec in causa dici queant voluntariae.

Q. 48. *Quid* sentiendum de MALEDICTIS *in homines* vel *alias creaturas,* sine ordine ad Deum?

R. 1°) MALEDICERE diabolo, — vel rebus insensibilibus, ex honesto fine vel affectu bono, nullum est peccatum. Sic sancte malediceres illi diei in qua mortaliter peccasti; item diabolo, in quantum v. g. est hostis Dei infensissimus. Sic quoque, ut notat S. TH. 2.2. q. 76, a. 2) maledixit JOB diei nativitatis suae, propter culpam originalem et sequentes poenalitates; sic DAVID maledixit montibus Gelboe, propter caedem SAULIS et JONATHAE quae ibi contigerat. — 2°) MALEDICERE hominibus eisque mala imprecari ordinarie solum veniale est : quia non fit animo deliberato et serio, ut talia eveniant; aliter enim per se est peccatum mortale ex genere suo seu juxta gravitatem mali imprecati, et simpliciter mortale, si fiat ex odio. — 3°) MALEDICERE jumentis aliisque rebus irrationabilibus, nisi fiat ex odio in proximum cujus sunt, non est nisi veniale. Idem dic de maledictis in ventos, tempestates, etc., praecisa relatione ad Deum. Quod addo, docente S. TH. (ibid.) : « *Maledicere autem rebus irrationalibus in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum* BLASPHEMIAE; *maledicere autem eis secundum se consideratis est otiosum et vanum et per consequens illicitum.* »

CAP. II. — De juramento (ubi de perjurio) et adjuratione.

Q. 49. *Quid* 1°) sit JURAMENTUM, — et 2°) in quo *discrepet* ab ADJURATIONE?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2.2. q. 89, a. 1) definiri potest : *invocatio divini nominis in testimonium alicujus rei;* i. e. contestatio divini testimonii in eo sita, quod aliquis asseveret se adeo veritatem tueri, aut aliquid tam firmiter polliceri, ut etiam Deum, qui nec falli potest nec fallere, in testem invocet, — non quidem ut ipse hic et nunc veritatem miraculo testetur,

hoc enim esset Deum tentare; — sed quando voluerit, saltem dum manifestabit consilia cordium.

R. Ad 2um) In hoc differt ab ADJURATIONE, quod in JURAMENTO Deus invocetur *ut testis;* — in ADJURATIONE, *ut objectum amoris vel timoris,* sicut est illud (I THES. V, 27) : « *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec.* »

Resolvitur 1. Cum BILL., SOTO et aliis contra SYLV., non est verum juramentum quod fit per *falsos Deos :* quia ita jurans, v. g. per Jovem, — vel novit Jovem nihil esse, et tunc non magis jurat, quam si juraret per chymeram, quae nihil testari potest, et ideo si falsum jurat, non est perjurus, sed mendax; vel putat Jovem esse Deum, et tunc neque revera jurat, quia Deus ille putatitius non est testis infallibilis qualis invocatur in juramento, neque si juret falsum, nulla fit vero Deo injuria. Tamen erit perjurus *affectu* et *reatu*, eo modo quo quis foret homicida quoad culpam et voluntatem qui occideret feram intendens occidere inimicum, et ex conscientia erronea tenebitur servare juramentum, si sit promissorium. — **Resol. 2.** Non est juramentum dicere : « *Novit Deus; — Coram Deo loquor; — Per Deum,* » etc., si haec *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative*, quod dignoscitur ex circumstantiis vel intentione loquentis. Sic juravit Paulus (GAL. 1,20) : « *Ecce coram Deo, quia non mentior.* » — **Resol. 3.** Non est juramentum dicere : « *Per fidem meam; per fidem viri probi, in conscientia mea (ma foi, op mijne trouw, op mijn woord),* » nisi addatur aliquid Dei, ut si diceretur : « *In veritate Dei, per fidem divinam, christianam.* » — Imo, nec juramentum est dicere : « *Tam verum est, quam exsisto, — quam Deus est, — quam Christus est in Eucharistia,* » etc. Ratio : quia hae formulae non sunt invocatoriae divini testimonii, sed tantum comparationem instituunt inter veritatem et veritatem ; non comparationem *aequalitatis*, quod blasphemum foret; sed comparationem *similitudinis*, ita ut sint locutiones *hyperbolicae*, quibus exaggeratur veritas assertionis. — Idem dicendum videtur de formula : « *Quod dico, est Evangelium, est instar fidei, est de fide (het is waarachtig Gods waar).* — **Resol. 4.** Non jurat qui ait : « *Juro ita esse, juro me id esse facturum,* » quia tunc nec explicite nec implicite divinum testimonium imploratur; nisi praecessisset

interrogatio de jurejurando : quia tunc per interrogationem illud *juro* satis determinatur ad verum juramentum. — Cfr. S. Lig. (III, 134 seqq.).

Q. 50. *Quotuplex* sit JURAMENTUM?

R. *Multiplex* distinguitur : 1°) ratione *jurantis;* — 2°) ratione *formae;* — 3°) ratione *materiae.*

Explanatur. 1° Ratione JURANTIS, distinguitur : **explicitum** vel **implicitum**, — prout Deus expresse in testem invocatur, — aut adhibentur in testimonium creaturae in quibus specialiter relucet veritas divina aut aliud praedicatum, ut si juretur per Evangelia, coelum, terram, sanctos, templum, crucem, altare; — secus, si jures per tuam barbam, annulum, etc. — **2°)** Ratione FORMAE, est **solemne** vel **simplex**, — prout fit forma aliqua et ritu solemni ex praescripto juris, v. g. coram testibus, cum tactu Evangeliorum, vel in forma communi et ad placitum jurantis. — **3°)** Ratione MATERIAE, est **assertorium, promissorium, exsecratorium** et **comminatorium**, prout adnectitur assertioni, promissioni, imprecationi et minis; v. g. *testor Deum, me sacro interfuisse;* — aut *me daturum centum florenos pauperibus;* — aut *Deus me puniat, si mentior;* - - aut *testor Deum, quod te sim puniturus.* — Ceterum, in JURAMENTO *promissorio* semper includitur *assertorium*, scilicet de praesenti voluntate, tale opus faciendi quod promissum est. Insuper omne JURAMENTUM implicite saltem est etiam *exsecratorium*, ex eo nempe, quod Deus invocetur simul ut vindex : mendacii quidem in JURAMENTO pure *assertorio*, infidelitatis quoque in *promissorio*.

Resolvitur 1. Ex Cajet., Sylv., Bill., S. Lig. (III, 142), quamvis varia distinguantur juramenta, omnia tamen sunt *ejusdem speciei* in ratione juramenti. Ratio : quia, cum jurare sit Deum in testem producere, omnes allatae differentiae materialiter et per accidens se habent ad testificationem Dei. — Dixi : *in ratione juramenti;* quia in uno perjurio possunt reperiri diversae species peccatorum, ut blasphemiae, injustitiae, scandali, etc. — **Resol. 2.** Formula : « *Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia* » est juramentum *exsecratorium*. Sensus est enim per antiphrasim : Si falsum juro, Deus id testetur me non adjuvando, sed derelinquendo et perdendo secundum animam, corpus et temporalia bona.

— **Resol. 3.** Ex S. Lig. (III, 143) formulae exsecratoriae, ut v. g. « *Occidar, si hoc non est, — Subito moriar, — Diabolus me auferat, — 'k wil verzinken, 'k wil verdoemd zijn,* » etc., communiter non censentur verum juramentum exsecratorium, nisi Deus expresse nominetur, v. g. « *Deus me perdat, si mentior.* » Secus, non continent nisi quamdam sponsionem seu poenae obligationem.

Q. 51. *Quaenam* sint *conditiones*, ut *validum* sit JURAMENTUM?

R. Requiruntur *tres* sequentes conditiones.

Explanatur. Requiritur : **1°)** *ut si* **liberum**, tali scilicet libertate quae sufficiat ad peccatum mortale, sub quo obligat ; — **2°)** *ut fiat* **cum intentione Deum invocandi,** *saltem virtuali,* qualis praesumitur dum quis utitur verbis juratoriis in sensu usitato, licet expresse non cogitet de invocando divino testimonio ; — **3°)** si sit *promissorium juramentum, ut fiat* **cum intentione se obligandi,** et *ut promissio a persona cui fit* **acceptetur,** quia in omni promissione homini facta includitur haec tacita conditio : *si alter promissionem acceptet.* Hinc tale juramentum ante acceptationem nec obligat ex virtute justitiae, nec ex virtute religionis, nisi promissio jurata simul etiam esset Deo facta, sicque esset *votum juratum.* Non autem requiritur ad valorem JURAMENTI *promissorii* intentio adimplendi promissum : quia de essentia juramenti solum est obligatio implendi, non autem actu implere, sicut de essentia matrimonii solum est obligatio reddendi debitum, non autem actu reddere.

Resolvitur. Quoniam ad rationem juramenti necessario requiritur *intentio jurandi* seu vocandi Deum in testem, et ut docet S. Thom. (2. 2. q. 98. a. 1 ad 3) post S. Aug. : « *Interest quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens) :* — hinc : **1°)** Qui intendit Deum vocare in testem, vere jurat, quaecumque verba proferat etiam non juratoria, aut si tantum nutus edat ; et si falsum sit, est perjurium. — **2°)** E contra si non intendat Deum vocare in testem, vel nesciat quid sit jurare, reipsa non jurat, quaecumque verba etiam juratoria proferat. — **3°)** Si de intentione jurandi dubitetur, recurrendum est ad communem usum et modum loquendi : quia merito quis praesumitur verba menti conformasse, nisi constet de opposito. — Si autem formula ambigua usus sit, ita

ut neque ex illa neque ex aliis circumstantiis possit haberi veritatis praesumptio, censetur non jurasse, si sit vir bonae conscientiae nec jurare solitus; jurasse vero, si sit jurandi consuetudini addictus.

Q. 52. *Quid* igitur dicendum de *valore* JURAMENTI praestiti ex *errore*, — *dolo*, — *metu*, et — *ob injuriam* alterius?

R. 1°) Si *error* vel *dolus*, — sive antecedens, — sive concomitans, versetur circa *substantiam* rei juramento promissae, *invalidum* est JURAMENTUM; si autem versetur circa *accidentalem* circumstantiam vel qualitatem illius rei, *valet* et obligat, nisi vel auctoritate episcopi relaxetur vel ab eo, cui juratum est, remittatur. Ratio : quia error vel dolus circa substantiam tollit consensum voluntarium circa talem rem, non item error vel dolus circa accidentia, nisi illud ipsum accidens esset a jurante per se principaliter intentum. — 2°) JURAMENTUM *ex metu* etiam gravi et injusto extortum *validum* est et obligat : quia metus etiam gravis relinquit simpliciter voluntarium et alias JURAMENTUM debet servari, quando non vergit in interitum salutis. Potest tamen talis metum injustum passus vel petere relaxationem sui JURAMENTI a superiore, vel solutum in judicio iterum repetere. — 3°) Etiam *valet* et obligat JURAMENTUM praestitum *ob injuriam alterius*, v. g. usurario de solvendis usuris, propter eamdem rationem : quippe turpitudo non se tenet ex parte solventis, sed tantum exigentis et recipientis usuras.

Q. 53. *Quaenam* sint *conditiones* JURAMENTI *liciti?*

R. Ut JURAMENTUM sit *licitum* et *actus religionis*, tres conditiones requiruntur : nempe *veritas*, *judicium* et *justitia*, secundum illud (JEREM. IV, 2) : «*Jurabis : vivit Dominus in veritate, et in judicio et in justitia.*»

Explanatur. Porro JURAMENTI **veritas** in eo consistit : ne divinum testimonium adducatur in confirmationem falsi aut mendacii, et hinc cum veritate juras, quando certo cognoscis vel saltem omnino prudenter judicas rem esse veram. — **Judicium** : ne adducatur temere et irreverenter, sine justa causa utilitatis vel necessitatis et reverentia; justa esset causa v. g. pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus. — **Justitia** : ne adducatur

in confirmationem dicti vel facti injusti seu iniqui. — Hujusmodi *conditiones* vocantur a S. Thom. (2. 2. q. 89, a. 3) : « *tres* **comites** *juramenti,* » quia in omni juramento requiruntur. Et quidem ex eodem S. Doct. juramentum carens *veritate* dicitur juramentum *mendax* seu stricte et proprie **perjurium** ; — carens *judicio,* juramentum **incautum** ; — carens *justitia,* juramentum **iniquum.**

Resolvitur 1. **Veritas** requisita ad juramentum est conformitas dictionis non tam ad rem juratam, quae dicitur veritas *objectiva* seu *materialis,* quam ad mentem jurantis quae dicitur veritas *subjectiva* seu *formalis,* excludens mendacium. Contingit enim saepe, ut observat S. Th. (2. 2. q. 98, a. 1 ad 3) : rem juratam esse falsam, et tamen, quia reputatur vera a jurante, non est perjurium, sed juramentum licitum ; et e contra, contingit rem juratam esse veram et tamen jurantem pejerare, quatenus reputat eam falsam : moralitas enim in actibus humanis petitur ex intentione agentis. — Similiter per **justitiam** comitem juramenti intelligitur non solum *justitia virtus specialis,* sed etiam *justitia generaliter accepta,* notans honestatem omnium virtutum ; et ita deest in juramento de committendo homicidium, sicut de committendo mendacium jocosum. — **Resol. 2.** Quoniam juramentum, suis comitibus stipatum, secundum se bonum est, merito damnata fuit a Mart. V haec Wicleff propositio sub n. 45 : « *Juramenta illicita sunt quae fiunt ad roborandum humanos contractus et commercia civilia.* » — Quia tamen, ut docet S. Th. (2. 2. q. 89, a. 5), juramentum « *non quaeritur nisi ad subveniendum infirmitati et defectui.... quo unus homo alteri discredit* ; » patet illud **non esse per se appetendum,** nec frequentandum citra necessitatem, quemadmodum medecina quae quaeritur ad subveniendum infirmitati, per se non est appetenda, nec habitualiter sed raro et caute adhibenda. Quo sensu intelligendum est illud Christi (Matth. V, 34) : « *Ego autem dico vobis : non jurare omnino.* » Item illud (Jac. V, 12) : « *Nolite jurare neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester : Est, est ; non, non.* » — **Resol. 3.** Ex S. Th. (2. 2. q. 98, a. 1 ad 1) omne juramentum, cui deest unus ex tribus comitibus, **perjurium** est, « *non tamen eodem modo* ». Nam *primo* et *principaliter* naturam perjurii participat juramentum cui deest *veritas ; secundario* et *imperfecte,* tum juramentum cui

deest *justitia*, cum jurans illicitum hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatur non praestare quod juravit; tum juramentum cui deest *judicium*, quia cum quis indiscrete jurat, ex hoc ipso se committit periculo falsitatem incurrendi. Unde **perjurium** *stricte dictum* est juramentum cui deest comes *veritatis;* propter suam malitiam passim constituit *casum reservatum*, et ex art. 226 novi codicis poenalis Belgici punitur incarceratione et multa, imo interdictione. — **Perjurium** autem *late dictum* est juramentum cui deest comes *justitiae* vel *judicii*, ut dictum fuit.

Q. 54. *Quantum peccatum* sit JURARE : — 1°) sine *veritate;* — 2°) sine *judicio;* — 3°) sine *justitia?*

R. Ad 1um *Falsum* jurans, adeoque stricte **perjurium** committens, semper peccat mortaliter : quia infallibilem veracitatem Dei advocat in confirmationem mendacii. Constat ex prop. damn. ab INNOC. XI sub n. 24 : « *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* » — Attamen in JURAMENTO *promissorio*, dum jurans intentionem habet implendi id de quo jurat, si postea illud non implet, et res est levis, probabilius non peccat mortaliter, tum quia etiam voti violatio admittit parvitatem materiae; tum quia JURAMENTUM *promissorium* tanquam accessorium sequitur naturam obligationis cui additur; cum ergo obligatio ad materiam levem sit levis, etiam JURAMENTUM ei additum solum obligat sub levi.

R. Ad 2um) Jurans deficiente solo *judicio* per se venialiter tantum peccat, quia est tantum vana usurpatio nominis Dei. Per accidens potest peccare mortaliter, vel ratione indiscretionis, ut dum quis non attendit num verum, num falsum juret; vel ratione periculi indiscriminatim jurandi, sive verum sit, sive falsum; vel si quis advertat per hoc sibi ingenerari habitum vitiose jurandi.

R. Ad 3um) Quoad defectum *justitiae*, distinguendum est.

Explanatur. A) Si desit justitia in JURAMENTO **assertorio,** illudque praecise fiat ad veritatem confirmandam, ut si quis juret se furtum vel aliam rem malam commisisse, est solum peccatum veniale, quia JURAMENTUM per se non cadit in illam assertionem ut

malam, sed ut *veram*. Ast si assumatur tanquam medium seu instrumentum ad peccandum, v. g. in confirmationem detractionis ad majorem fidem ei conciliandum, aut in attestationem amoris ad puellam seducendum, est peccatum mortale, — sive peccatum JURAMENTO firmatum sit *grave*, — sive, juxta probabiliorem sententiam, sit tantum *leve*, quia jurans, quantum est in se, facit Deum peccati sui coadjutorem, quod etiam in peccato veniali est graviter injuriosum infinitae ejus sanctitati. — B) Si desit justitia in JURAMENTO **promissorio**, *subdistinguendum* est : — a) JURAMENTUM *promissorium* de re **mortaliter** *mala* est certo mortale, quia taliter jurans Deum constituit velut complicem suae iniquitatis, cum gravissima ipsius injuria. — b) De re **venialiter** *mala* idem probabilius dicendum, ob eamdem rationem ; secundum alios esset solum veniale, quia tanto minor Deo censetur irrogari irreverentia, quanto minus est peccatum quod quis JURAMENTO proponit committere. — c) De re **indifferenti** vel opposita consiliis evangelicis est tantum veniale, quia saltem aliqua est irreverentia rem obligationis JURAMENTI incapacem, JURAMENTO firmare. — d) Denique jurare rem **physice** vel **moraliter** *impossibilem* est mortale contra veritatem JURAMENTI *assertorii*, quia respectu talis rei nequit esse voluntas adimplendi ; si tamen addatur conditio : « *Si tamen possible sit*, » probabiliter est solum veniale, quia tunc non contra *veritatem* aut *justitiam*, sed contra *judicium* JURAMENTI tantum delinquitur.

Q. 55. Sitne *licitum* JURARE *sine animo jurandi?*

R. Minime, et constat ex propositione damnata ab INNOC. XI sub n. 25 : « *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis momenti, sive gravis.* »—Taliter jurans, si jurat *falsum*, peccat mortaliter, quia Deus saltem exterius adducitur in testem falsi, quod ipsi est graviter injuriosum, sicut si quis exterius offerat thus idolo absque animo venerandi ; si vero jurat *verum*, probabilius peccat tantum venialiter, quia esset solum inanis divini Nominis usurpatio, dummodo tamen : — 1°) juretur cum animo promissionem adimplendi, et — 2°) non fiat in contractibus, vel coram judice aut superiore juste praecipiente.

Q. 56. Sitne *licitum* JURARE cum *restrictione mentali?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Cum restrictione **pure mentali** nunquam licet : quia est merum mendacium et consequenter tali juramento deest comes *veritatis ;* constat ex prop. 26, 27 et 28 damnatis ab Inn. XI. — Secus vero, si **late mentalis** sit, et adsit justa causa necessitatis vel utilitatis, puta ad se liberandum ab importuna et injusta interrogatione alterius; item, juxta quosdam non ignobiles, quos inter Spor., Lugo, Sanch., Less., Fill., Card., si quis manifestando proprium delictum judici saeculari gravissimum malum timeret. — Tunc autem habetur restrictio **pure mentalis,** si verba non habeant verum sensum, nisi quid mente retentum subintelligatur, quod tamen nullo signo externo significatur, nec ex circumstantiis colligi potest; non pure seu **late mentalis** est, si illud mente retentum vel ex ipsis verbis ob aequivocationem, vel ex modo loquendi, vel ex circumstantiis aut consuetudine prudens auditor cognoscere potest. — Cfr. Q. 152. — S. Lig (III, 151-156).

Q. 57. An *liceat* praestare JURAMENTUM quod exigitur in *perturbationibus politicis?*

R. Hoc plerumque pendet a circumstantiis. Potissimum expedit consulere superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet definire, quid pro variis circumstantiis sit agendum.

Explanatur. Sic S. Poen. die 10 dec. 1860, **dubio** : an poterat fieri JURAMENTUM a gubernio Ecclesiae Romanae hostili propositum hisce verbis : « *Giuro fedeltà ed ubbidienza a Vittorio Emmanuele re d'Italia e suoi successori, — Giuro di osservare lo Statuto ed ogni altra legge dello stato pel bene inseparabile del re e della patria Italia?* » **respondit** : « *Juramentum, prout exponitur, non licere : tolerari autem posse juramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur juxta formam a S. M. Pii VII approbatam.* » — Haec autem JURAMENTI formula quam Pius VII (an. 1808), cum Napoleo I ausu sacrilego S. Sedis status usurpasset et retineret, permisit praestari ab iis qui sine gravi sui incommodo aut praejudicio abstinere non poterant, erat haec : « *Je promets et je jure de ne prendre part à aucune conjuration ou complot, ni sédition contre le gouvernement actuel : de me soumettre et de lui obéir en tout ce qui n'est pas contraire aux lois de Dieu et de l'Église.* »

Q. 58. An obligatio JURAMENTI *promissorii* transeat ad *haeredes?*

R. Si promissio sit licita et acceptata, transit ad haeredes, qui in omnia jura et onera realia defuncti succedunt.—Vinculum autem *religionis* ex JURAMENTO ortum, cum sit *personale*, non obligat haeredes, qui ideo non sunt *perjuri*, si illud non servent, quamvis sint *injusti*.

Q. 59. *Quandonam* non obliget JURAMENT. *promissorium?*

R. In *sex* sequentibus casibus.

Explanatur. 1°) Cum est de **re illicita** : « *Juramentum enim non est vinculum iniquitatis.* » — 2°) Cum est de **re impossibili** : « *Impossibilium nulla est obligatio.* » — 3°) Cum est de **re indifferenti** ex se et ex fine et circumstantiis, quia JURAMENTUM esse non potest vinculum rei otiosae et inutilis. Hinc non obligat JURAMENTUM de non incedendo per talem viam, — nisi factum sit ex aliquo motivo honesto aut utili, puta ad vitandam peccati occasionem. — 4°) Cum est de **re, cujus oppositum est melius,** nisi sit factum in favorem tertii. Hinc non obligaris implere, si jurasti *non intrare in religionem, non dare eleemosynam, inire matrimonium.* Si tamen JURAMENTUM sit factum in favorem alterius et ab eo acceptatum, v. g. si jurasti *Annae* matrimonium et haec acceptaverit, teneris (nisi velis ingredi religionem) eam ducere : quia tunc JURAMENTUM *promissorium* etiam transit in contractum qui parit obligationem. — 5°) Cum est factum **per errorem vel dolum circa substantiam** rei promissae, vel circa **causam finalem et motivam.** — 6°) Cum materia jurata **notabiliter est mutata.** Hinc si jurasti non revelare secretum commissum, non teneris JURAMENTO, si deprehendas illud cedere in grave tuum vel alterius damnum.

Q. 60. Quomodo *cesset* obligatio JURAMENTI?

R. Cessat *quinque* sequentibus modis.

Explanatur. Cessat : 1°) **Cessatione causae finalis.** Hinc non teneris JURAMENTO, si jurasti te puniturum discolos, et isti emendentur. — 2°) **Mutatione notabili,** quia ad objectum notabiliter mutatum jurantis intentio se non extendisse praesumitur; et hinc non teneris JURAMENTO, si juratas promissisti nuptias puellae diviti, sanae, virgini, et has dotes amittat. — 3°) **Irritatione,** quae fit

a quolibet potestatem dominativam habente in jurantem, licet agatur de contractibus, si ab eodem possint irritari. Sic JURAMENTA *impuberum* a patre vel tutore possunt irritari. — 4°) **Condonatione** obtenta ab eo in cujus favorem JURAMENTUM fuit praestitum. — 5°) **Commutatione** vel **dispensatione** obtenta ab habente potestatem jurisdictionis in foro externo. — JURAMENTUM tamen factum in favorem tertii et ab eodem acceptatum, non potest dispensari a superiore, nisi ob bonum commune, vel in poenam promissarii ob aliquod crimen ab eo commissum, vel ratione injuriae juranti illatae, puta si JURAMENTUM sit vi, metu, dolo vel fraude extortum.

Q. 61. Quomodo JURAMENTUM *interpretandum* sit?

R. 1°) Juxta usum receptum : sic enim creditur esse mens jurantis. — 2°) In favorem illius, qui illud emisit, cum sit vinculum propriae voluntatis.

Resolvitur. Hinc in JURAMENTO **promissorio** sequentes conditiones semper tacite intelliguntur : — A *si potero*, quia nemo censetur se obligare ad illicitum vel moraliter impossibile; — B *salvo jure tertii*, praesertim *superioris*, quia in horum praejudicium se nemo obligare potest; — C) *si res in eodem statu manserint*, neque adveniat mutatio, qua praevisa, non fuisset quis juraturus; hinc si quis juraverit se tali die jejunaturum, excusatur si ea die aegrotet; — D) *si is, cui promissio fit, eam acceptet vel non remittat;* — E *si et altera pars fidem servaverit*, casu quo agatur de promissione reciproca : quia ex jure « *frangenti fidem fides frangatur eidem.* »

Q. 62. *Quid* sit *proprie* ADJURATIO?

R. Est actus religionis, quo quis alterum rogat vel ei praecipit per Deum, ut scilicet Dei timore vel amore moveatur, ad aliquid faciendum aut ab aliquo desistendum. — Cfr. S. THOM. (2. 2. q. 90, a. 1-13).

Explanatur. Dicitur : 1°) actus **religionis**; i. e. *latriae :* quia interponitur nomen Dei, ut per illius reverentiam alter moveatur. — Dicitur : 2°) per **Deum**; sive *explicite*, per explicitam interpositionem nominis Dei, sive *implicite*, per interpositionem rei sacrae, in qua specialiter relucet divinitas.

Resolvitur. Cum Bill. : « Patet : 1°) quod sit actus religionis seu **latriae**, quando nempe fit per interpositionem Dei vel etiam rei sacrae, ut Passionis, Mortis, Sanguinis Christi, B. Virginis, Sanctorum, quatenus in eis relucet specialiter divinitas, ut diximus de juramento. Nam si fiat per B. Virginem seu Sanctos praecise secundum se consideratos, non erit actus *Latriae*, sed *Hyperduliae* vel *Duliae*. Et si fiat per mortem, vitam, amorem patris aut matris, vel quid simile, non erit proprie adjuratio de qua hic loquimur. Patet : 2°) quod adjuratio **differat** a juramento : quia in adjuratione non assumitur divinum nomen *ad faciendam fidem*, ut in juramento, sed ut dixi ad movendum alterum hujus nominis reverentia, timore vel amore, ad aliquid faciendum vel omittendum. »

Q. 63. *Quotuplex* sit ADJURATIO?
R. Est *quadruplex*.

Explanatur. Alia est **solemnis**, quae fit ab Ecclesiae ministris, modis constitutis, ut in exorcismis pro obsessis a daemonio, juxta formam Rit. Rom.; — alia **privata**, quae a quocumque sine solemnitatibus; — alia **deprecativa**, si precibus, — alia **imperativa** seu **compulsiva**, si imperio fiat.

Resolvitur. Adjuratione **imperativa** seu **compulsiva** utimur erga *subditos* et *daemones*. Hac usus est Caiphas (Mat. XXVI, 63) erga Christum, quem sibi subdi existimabat; et Paulus (I Thess. V, 27). — Adjuratione **deprecativa** uti possumus erga *quemlibet*, excepto *daemone*. — Unde licitum est adjurare deprecative etiam *Deum*, quod facit quotidie Ecclesia terminando orationes suas : *Per Dominum N. Jesum Christum*. Interim ex S. Th. (2. 2. q. 90, a. 1 ad 3) : « *Aliter tamen adjuratione utimur* AD HOMINEM, *et aliter* AD DEUM. » Nam adjurando hominem, ejus voluntatem per reverentiam rei sacrae immutare intendimus, quod quidem non intendimus circa Deum, cujus voluntas est immutabilis; sed intendimus ab eo obtinere quod ab aeterno voluit nos consequi, non ex meritis, sed ex sua bonitate nosque inde excitare ad ferventius orandum et petendum. — Contra illicitum est adjurare ullo modo deprecative *daemones*, neque etiam imperative ad obtinendum ab eis aliquod obsequium seu ad aliquid discendum quod non conducat ad eorum expulsionem, quia utrumque pertinet ad quamdam amicitiam aut

societatem, quod graviter nobis prohibetur cum daemone Dei et nostri hoste infensissimo; « *nisi forte*, ait S. Thom. (l. c. art. 2) *ex speciali instinctu vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus daemonum operatione utantur, sicut legitur de Beato Jacobo quod per daemones fecit Hermogenem ad se adduci*, »

Q. 64. *Quinam* possint ADJURARI?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Solae *intellectuales* creaturae, homines scilicet et daemones, **directe** adjurari possunt, cum sint capaces obsecrationis vel imperii; **indirecte** etiam creaturae *irrationales*, ut sol, aqua, nubes, grandines, etc., exorando nempe Deum aut Sanctos ut earum rerum usu nos adjuvent, vel imperando daemonibus, ut per eas nobis nocere desinant spiritualiter vel corporaliter.

Q. 65. An *licita* sit ADJURATIO?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Adjuratio **solemnis** licita est solis Ecclesiae ministris, quibus ab episcopo expresse permittitur; caeteris sub gravi prohibetur; imo in multis locis *suspensionis* poenam incurrunt clerici qui sine debita facultate exorcismos pro obsessis a daemonio facere praesumunt. Et qui tali unquam fungitur officio, caveat ne exquirat vana et curiosa, sed utatur exorcismis ad evitanda damna et vexationem obsessi. — **Privata** licita vel illicita est in omnibus circumstantiis, quibus licitum vel illicitum est JURAMENTUM. — Cfr. BILL.

Resolvitur 1. Per se peccaret graviter exorcista qui inutile colloquium cum daemone obsidente protraheret; a fortiori, si cum ipso jocaretur; secus, si unam vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponeret.—**Resol. 2.** Ut adjuratio **privata** sit licita, tria requiruntur, sicut in juramento, scilicet *veritas*, *justitia* et *judicium*. Ratione *veritatis* requiritur, quod adjurans vere intendat assequi quod petit et vera sit causa ob quam petit; secus vane contestaretur auctoritas Dei. Quod tamen plerumque non erit nisi veniale, ut si fictus pauper per Deum aut Sanctos peteret eleemosynam. Potest tamen esse grave contra justitiam, si haec fictio cederet in detrimentum grave proximi. Defectu

justitiae graviter peccat rem petens graviter malam, ut si quis peteret per Deum consensum mulieris in adulterium; imo, juxta opinionem probabiliorem, peccaret graviter petens rem solum leviter malam; quia satis graviter videtur irreverentia inducere alium ad rem malam ope divinae auctoritatis. Denique ex parte *judicii* requiritur, ut adjuratio fiat cum debita reverentia, necessitate aut utilitate. Sed hujus conditionis carentia per se erit tantum venialis.

Q. 66. Quaenam sint *signa* verae possessionis *diabolicae?*

R. Praecipua sunt : — 1°) loqui idiomate prorsus ignoto ante tempus possessionis vel loquentem intelligere; — 2°) occulta et distantia manifestare, quae naturaliter ab homine cognosci nequeunt; — 3°) vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere; — 4°) parere mandato mere interno sacerdotis; — 5°) majorem apparere daemonis vexationem, aut majorem pacem, ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum. — Cfr. BILL. — RIT. ROM.

CAP. III. — De voto.

Q. 67. *Quid* sit VOTUM?

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 88, a. 1) definiri potest : *promissio deliberata facta Deo de bono meliori et possibili.*

Explanatur. Dicitur : **1°) promissio,** quae sit vera, cum vera scilicet voluntate se obligandi, et sic differt a simplici *desiderio* vel *proposito*. Hinc VOTUM sine animo promittendi nec se obligandi est nullum. Contra tenetur ad VOTUM, qui vult promittere et se obligare, licet nolit illud adimplere; aut vult promittere et satisfacere, conscius VOTI obligationis, quamvis reflexe ad eam non advertat : nam qui vult antecedens, vult etiam consequens. Ad *distinguendum* autem in rustico VOTUM a PROPOSITO, « *satius erit*, ait S. LIG. (*Prax. Conf.* n. 25), *eum interrogare, si tunc cum* VOTUM *emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse an non, si postea non satisfecisset.* » — Dicitur : **2°) deliberata,** i. e. facta cum ea saltem advertentia et libertate quae sufficiat ad peccatum mortale. Hinc VOTUM emissum ex ignorantia, errore vel dolo circa substantiam vel qualitatem ingredientem substantiam, vel motivum principale, causam finalem,

vel circumstantias magni momenti, quae si cognitae fuissent, VOTUM non fuisset emissum, est nullum, quia non est deliberatum. Excipitur VOTUM professionis *solemnis* quod instar matrimonii carnalis ob nullum errorem ad substantiam non pertinentem est irritum. — Dicitur : **3° Deo facta**, quia VOTUM est actus *latriae ;* potest autem promissio fieri Deo non tantum *immediate*, sed etiam *mediate* per Sanctos, ut eam ipsi Deo offerant ; at si fiat Sanctis praecise ad illos honorandos, non proprie VOTUM est, sed pertinet ad cultum *duliae*. — Dicitur : **4° de bono meliori**, i. e. de bono quod sit melius suo contradictorio, non semper *secundum* se, sed saltem *respective ad voventem :* sic v. g. dare eleemosynam est melius quam non dare, ast non respectu illius qui pecunia indiget ad solvenda debita. — Ratio est : quia per VOTUM promittitur Deo specialis cultus ; sed talis non est, si actio vel omissio promissa non sit melior quam ejus contradictorium vel in se vel spectatis circumstantiis, hoc est : si non plus ad Dei gloriam et voventis salutem sit apta conducere. — Hinc *invalidum* est VOTUM nunquam vovendi. — E contra *validum* est VOTUM non vovendi inconsulto confessario, quia vovere cum tali cautela est actus prudentiae melior suo opposito. — Si postea memor hujus VOTI tamen voveas, valet VOTUM, etsi pecces vovendo per se venialiter tantum ; si immemor prioris VOTI, secundum VOTUM est invalidum, saltem si per primum votum intenderis vota sine hac cautela fore nulla : quia adhuc habitualiter manet haec voluntas, quamdiu scienter non est revocata. Cfr. N. R. T. (XV 217 seqq. — Dicitur : **5° et possibili**, tum physice, tunc moraliter, quia ad impossibile nemo tenetur. — Hinc invalidum est VOTUM vitandi omnia prorsus peccata, tam venialia quam mortalia per totam vitam vel longum tempus, cum sit de re, spectata hominis naturali fragilitate, moraliter impossibili. — Valet tamen VOTUM vitandi omnia mortalia tantum ; — item, si agatur de personis christianae perfectioni impense studentibus, valet VOTUM vitandi omnia peccata venialia plene deliberata, vel certa venialia in specie determinata. — Quod si materia VOTI sit partim possibilis, partim impossibilis, VOTUM obligat quoad partem possibilem, si materia dividi possit et soleat ; v. g. qui vovit dare 100 et non potest nisi 30, jejunare per 8 dies et non potest nisi per 3, ad 30 nummos vel 3 dies tenetur. — Secus dicendum, si materia sit indivisibilis :

v. g. qui vovit peregrinationem ad limina apostolorum et eo tendere non potest, non tenetur facere partem itineris. Cfr. pag. 155 seq.

Scholion. Quod **secundum se expediat vovere,** patet ex pluribus S. Scrip. locis : Sic (Psal. LXXV, 12) : « *Vovete et reddite Domino Deo vestro.* » Et (Isa. XIX, 21) : « *Cognoscent Aegyptii* i. e. gentes convertendae tempore novi Testamenti, *Dominum, et colent eum in hostiis et muneribus et vota vovebunt Domino et solvent.* » Unde quoque ex S. Thom. (2. 2. q. 88, a. 6) **opus ex voto factum melius est et magis meritorium** quam sine voto factum. — Quod probat sequentibus rationibus : **1°)** Vovere est actus religionis et consequenter opus voto promissum, v. g. jejunium quod secundum se est tantum virtutis temperantiae, si fiat ex voto etiam ad ipsam religionem ut imperantem pertinet. — **2°)** Qui aliquid vovet et facit, plus Deo se subjicit quam ille qui solum facit. Subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quandoquidem non potest aliud facere ; sicut plus impertitur qui dat homini arborem cum fructibus, quam qui dat solos fructus. — **3°)** Quia per votum voluntas immobiliter firmatur in bono ; atqui facere aliquid ex voluntate firmata in bono pertinet ad perfectionem virtutis, sicut peccare ex mente obstinata aggravat peccatum et dicitur peccatum in Spirit. S. — **4°)** Quia, ut ait (Opusc. *de perf. vit. spir.* c. 12) quodlibet bonum finitum cum adjunctione alterius boni est melius : atqui ipsa promissio boni, quae est votum, est aliquod bonum ; ergo junctum bonitati operis facit melius. — Prudenter interim votum fieri debet et regulariter nonnisi de consilio confessarii aut viri prudentis. Et ideo dixi : **secundum se.** — Cfr. Bill.

Q. 68. An *valeat* votum *metu* factum?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negative*, si metus sit **gravis, injustus, et incussus in ordine ad extorquendum votum.** Constat ex jure canonico quoad vota solemnia religionis, et probabilius ex communioni TT. interpretatione etiam quoad cetera vota. Nec obstat quod, in casu hujusmodi metus, validi sint contractus : votum enim est promissio non hominibus sed Deo facta, qui non censetur acceptare promissionem per injuriam a quopiam vi extortam. —

Affirmative vero **in omni alio casu metus**, nisi metus ille voventi usum rationis adimat.

Q. 69 An *valeat* VOTUM de materia jam aliunde *praecepta?*
R. *Affirmative.*

Explanatur. Ratio est quia non repugnat debitorem diversis titulis ligari. Praeterea hujusmodi VOTUM est de bono meliori, cum novum vinculum ad majorem fidelitatem in adimplenda lege conferre possit. Insuper actionibus ex hujusmodi VOTO positis nobilitas, quae ex virtute religionis profluit, uberiorisque meriti ratio accedit.

Q. 70. *Quotuplex* sit VOTUM?
R. *Multiplex* distinguitur : — 1°) ex parte *voventis;* 2°) ex parte *materiae;* 3°) ex parte *formae;* 4°) ex parte *temporis;* 5°) ex parte *modi;* 6°) ex parte *acceptationis Ecclesiae;* 7°) ex parte *relaxationis.*

Explanatur. 1°) Ex parte **voventis**, — aliud est *expressum* seu *formale*, et — aliud *tacitum*, *implicitum* seu *virtuale*, prout — verbis expressis emittitur, v. g. voveo castitatem, — vel emittitur in alio cui scitur votum esse annexum, uti est votum castitatis emissum in susceptione ordinis sacri. Quod si quis hoc prorsus ignoraret, voto non adstringitur, cum obligatio voti sola sit a voluntate; nulla autem est voluntas, ubi nulla est cognitio. Ecclesia tamen posset hunc adigere, ut vel a sacro ministerio abstineat, vel castitatem, et quidem VOTUM emittendo, servet, aut certe ut sacrilegii reus sit, nisi servet, quia eam praecipit ex virtute religionis. — **2°)** Ex parte **materiae**, — aliud est *personale*, quo promittitur actio vel omissio a vovente ponenda, v. g. jejunium, peregrinatio, etc.; — aliud *reale*, quo promittitur res ab actione voventis *separabilis*. v. g. eleemosyna, calix, aliaque res pretio aestimabilis; — aliud *mixtum*, quo actio et res promititur, v. g. votum peregrinandi Lauretum et offerendi ibi munus. — **3°)** Ex parte **formae**, — aliud est *absolutum*, quod fit absque ulla conditione suspensiva; — aliud *conditionatum*, quod fit sub conditione extrinseca suspensiva sive de futuro; dicitur *extrinseca :* quia conditiones quae insunt VOTO ex natura rei vel dispositione juris, non faciunt illud proprie conditionatum; dicitur etiam de *futuro* : quia conditio *de praesenti*

vel *praeterito* etiam non facit proprie conditionatum; tale enim VOTUM vel parit statim obligationem, si conditio exsistat, licet suspensam, si ignoretur; vel nullam parit, si non exsistat; — aliud est *poenale*, quando promittitur poena subeunda in vindictam et odium peccati, et ut timore illius a commissione peccati retrahatur, v. g. voveo jejunium, si me inebriavero. — 4°) Ex parte **temporis**, — aliud est *perpetuum* et — aliud *temporaneum*, — prout ex intentione voventis perpetuo seu per totam vitam obligat et servandum est, — vel tantum ad certum tempus. — 5°. Ex parte **modi**, — aliud est *disjunctivum* et — aliud *rei determinatae*. Primum est, dum quis vovendo plures designat VOTI materias seu modos, quibus pro libitu VOTO satisfacere valeat, quod locum non habet in secundo. — 6°) Ex parte **acceptationis Ecclesiae**,— aliud est *solemne* et — aliud *simplex*, — prout ab Ecclesia approbatum ac in perpetuum acceptatum est, — vel emittitur absque Ecclesiae acceptatione saltem in perpetuum. — 7°) Ex parte **relaxationis**, — aliud est *reservatum* et — aliud *non reservatum*, — prout relaxari potest tantum a Papa, — vel etiam ab alio superiore.

Q. 71. Quomodo *obliget* VOTUM?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si materia VOTI est **undequaque levis**, obligat semper sub levi; — si est **gravis**, obligat sub gravi vel sub levi, prout fuit intentio voventis; excipe VOTA *solemnia*, quae obligant semper sub gravi ex institutione Ecclesiae.

Q. 72. Quaenam *materia* censeatur *levis* vel *gravis* in VOTO?
R. *Levis* reputatur ex BENED. XIV, quando aequivalet quinque *Pater*, *Ave* et *Gloria*; dummodo non fit gravis ratione finis aut circumstantiarum, uti si quis voveret recitare quotidie 5 *Ave* per mensem integrum, tanquam onus illius mensis. — *Gravis* est, de qua dari potest praeceptum grave per se sive ex circumstantiis, quatenus notabiliter conducit ad honorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis, ut VOTUM jejunii, confitendi, missam audiendi, mortificandi visum erga certam personam ob periculum labendi, etc.

Q. 73. Quo *tempore* obliget VOTUM?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si tempus fuit **praefixum**, eo praestandum erit; **secus**, quam primum praestari poterit sine incommodo gravi. — Ceterum in votis *temporaneis*, v. g. jejunii, rosarii, missae, quantacumque dilatio culpabilis, secluso periculo oblivionis vel omissionis, probabiliter nunquam excedit culpam venialem; secus est in votis *perpetuis*, v. g. ingrediendi religionem, inserviendi xenodochio, suscipiendi ordines sacros. — Ratio *disparitatis* est: quia etsi vota *temporanea* longius differantur, adhuc Deo datur totum quod ei promissum est, nec ullum ex mora debitoris damnum patitur Deus; at si vota *perpetuum Dei obsequium continentia* differantur, quo longior est dilatio, eo plus Deo aufertur de obsequio ei promisso. — Quaenam autem dilatio in his ad culpam mortalem sufficiat, non potest generali regula definiri, sed ex aetate et habitudine voventis dimetiendum est: plus enim indulgetur adolescenti 15 vel 16 annorum, quam juveni jam prope annum 25 vel 30 attingenti, utpote posthac minus apto ad obsequium illud prolongandum.

Q. 74. Debeatne *anticipare* adimpletionem voti, qui praevidet aliquod *impedimentum* adfuturum tempore pro adimpletione praefixo?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si tempus fuit praefixum **ad finiendum obligationem**, i. e. si opus fuit promissum uti onus illius praefixi temporis, v. g. vigiliae S. Petri, non tenetur: quia votum istud non obligat, nisi adveniente tempore. — **Secus** tenetur: quia jam ab initio contraxit obligationem; et hinc si quis vovit intra hanc hebdomadam semel jejunare, et praevideat impedimentum in fine hebdomadae, tenetur aliqua die illius hebdomadae praevenire. — **In dubio**, an tempus appositum fuerit *ad finiendam*, an vero ad *sollicitandam* obligationem, ex S. Lig. (III, 220) recurrendum est ad praesumptionem: porro in votis *realibus* dies praesumitur appositus tantum ad sollicitandam obligationem, nisi tamen votum habuisset specialem connexionem ad diem, in *personalibus* vero ad finiendam.

Q. 75. *Quandonam* obliget votum *sub conditione?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si conditio est **impropria,** scilicet de *praesenti* vel *praeterito*, dummodo exsistat, obligat a principio;—si conditio est **propria,** scilicet de *futuro*, votum hujusmodi non quidem statim parit obligationem perfectam; parit tamen imperfectam et suspensam, quae supervenienti conditione perficitur et absolvitur, pro tempore aut praefinito a vovente aut proximo commodo, juxta superius dicta. Hujus autem imperfectae obligationis ea vis est, ut vovens adstringatur : — 1°) ne ante eventum conditionis propositum voti implendi mutet; — 2°) ne voluntarie se reddat inhabilem ad exsecutionem voti, nisi eventus conditionis honestae ex libera voventis voluntate dependeat. Hinc vovens ingredi religionem, si recuperet sanitatem, peccat ineundo matrimonium, quamdiu spes est recuperandae sanitatis; e contra vovens ingredi religionem, si intra annum se inebriaverit, potest non exspectato conditionis eventu matrimonium inire. — Demum adstringitur 3°) ne per vim vel fraudem impediat conditionis eventum. Hinc vovens ingredi religionem, si pater consentiat, potest quidem rogare patrem ut non consentiat, non tamen ad hoc uti vi aut fraude; tum quia non relinquit patri liberam voluntatem ex qua tamen suum votum pendere voluit, tum quia fraus aut dolus nemini patrocinatur, et vovens conditionate obligat se tacite ad non impediendum modo illicito impletionem conditionis. Qui tamen per vim vel fraudem impedivit eventum conditionis, probabiliter liberatus manet ab obligatione voti : quia ad impletionem voti nec obligatur ratione conditionis impletae, cum revera impleta non sit, neque ratione peccati commissi in impedimento conditionis, quia hoc interest inter violationem promissionis factae Deo et factae homini, quod iste ex inde patiatur damnum in bonis suis utilibus, ideoque resarciri debeat per restitutionem seu compensationem; Deus autem nullum damnum exinde patiatur quod compensari debeat, sed solum ablationem honoris debiti, quae per poenitentiae satisfactionem ei restituitur.

Q. 76. Qualiter *obliget* votum *poenale?*

R. Obligat posita culpa, alias non : quia votum sequitur intentionem voventis; haec autem est talis, ut posita culpa obliget, alias non.

Resolvitur. Hinc 1°) non tenetur vovens ad poenam, si actus,

quem sibi interdixit, non sit culpabilis, aut levis etiam ex inadvertentia, nisi votum fuisset emissum ad tollendam malam consuetudinem; tunc enim includi solent actus ex inadvertentia leves. — Hinc 2° si quis voveat sub poena sine determinatione numeri, v. g. jejunabo, si me polluero; visitabo limina Apostolorum, si adulterium commisero, si poena sit moderata et saepe repetibilis, ut est in primo casu, tenetur ad poenam toties quoties; si vero poena sit nimis gravis, ut est in secundo casu, tunc tenetur tantum semel, licet saepius fecerit. Ratio utriusque est : quia haec videtur esse intentio voventis.

Q. 77. *Obligetne* votum emissum *ob pravum finem?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si votum fiat, uti **medium** ad assequendum pravum finem, rejicitur a Deo et non obligat; — **secus** obligat. — Hinc si quis emittit votum aliquod, ut occidat inimicum in duello, vel ut libere furetur, votum est nullum; — si, ne occidatur in duello vel ne capiatur in furto, est validum.

Q. 78. *Obligatio* voti transeatne ad *haeredes?*
R. *Sub distinctione?*

Explanatur. Haeredes non tenentur ad vota **personalia** defuncti, nisi sponte susceperint obligationem, aut haeres non necessarius sub ea conditione sit institutus; tenentur tamen ad **realia** et **mixta** ex ea parte, qua realia sunt, secundum vires haereditatis et salva legitima haeredis necessarii : sicut enim succedunt in jura et bona realia, sic et in onera. — Dixi : *salva legitima;* haec enim est jure debita, ideo non tenentur ex ea persolvere vota. — Interim praeferenda sunt vota *legatis :* quia haec sunt gratiosa, illa obligatoria. — Attamen nullus praeter voventem obligatur ex virtute *religionis* ad exsecutionem voti : quia nullus contrahit obligationem voti, nisi habeat intentionem vovendi; unde si alii teneantur, est obligatio *justitiae* vi successionis in bona voventis, vel *fidelitatis*, si sponte in se susceperint.

Q. 79. Quomodo *interpretanda* sit votorum *obligatio?*

R. 1°) Nisi de mente voventis aliud constet, praesumitur vovisse secundum communem sensum verborum et materiam

promissam, eamque velle exsequi, prout ejus natura et communis hominum vel Ecclesiae consuetudo accipit : qui enim nihil excipit, censetur se communi usui accommodare.

Resolvitur. Hinc vovens Rosarium satisfacit recitando tertiam partem et etiam cum socio adinstar officii divini; vovens jejunium per mensem non tenetur in diebus dominicis jejunare; vovens per mensem audire Sacrum, non tenetur in festis audire duo; vovens jejunare die veneris, non tenetur si ea die venerit Nativitas Domini; vovens jejunare in vigilia alicujus sancti, si haec in Dominicam incidat, potest juxta morem Ecclesiae jejunium in sabbato anticipare, etc.

R. 2°) Quando autem verba sunt ambigua, vel de mente voventis non satis constat, obligatio VOTI semper magis est restringenda quam extendenda, quantum usitata et propria verborum significatio patitur : tunc enim possessio est pro libertate suntque odiosa restringenda et in dubio minimum praesumitur.

Resolvitur. Hinc qui vovit castitatem, dubitans an intra vel extra religionem, perpetuam vel temporalem, potest minus eligere. Qui vovit rem indeterminate quoad numerum, quantitatem vel bonitatem, potest dare in quacumque, etiam minori, modo tamen non sit tam parum, ut censeatur potius illudere, quam VOTUM solvere, ut si v. g. dives pro eleemosyna, quam vovit, daret obolum. Similiter qui vovit peregrinationem ad certum locum, probabiliter satisfacit itinere illuc facto quacumque etiam alia de causa, etiam stipendio ab alio conductus; imo etiam ad alterius VOTUM simul cum suo proprio explendum; et quidni etiam ad aliud suum votum alterius peregrinationis concomitanter implendum, si peregrinationes illae in eamdem viam coincidant? Non enim obstat uno eodemque actu duabus distinctis obligationibus satisfieri. — Cfr. pag. 150 seq.

Q. 80. *Quotuplici* modo *cesset* VOTORUM *obligatio?*

R. VOTUM generaliter cessat duplici modo :—*ab intrinseco* vel — *ab extrinseco*, i. e. nulla interveniente, vel interveniente auctoritate externa.

Explanatur. Et quidem A) **ab intrinseco** cessat : — **1°**) *Ob*

mutationem materiae, si haec ex possibili mutatur in impossibilem, ex licita in illicitam, ex meliori in indifferentem, minus bonam seu magoris boni impeditivam. — **2°** *Per supervenientem quamdam notabilem mutationem*, aut specialem casum, quem si vovens praevidisset, excepturus fuisset : quia VOTUM non obligat ultra intentionem voventis. Ita S. THOM. (in 4. dist. 38, q. 1, a. 3 ad 1). Ab hac tamen regula excipit S. LIG. (IV, 50) VOTA etiam simplicia castitatis et religionis, et a fortiori VOTA solemnia emissa in professione religiosa vel in susceptione sacrorum ordinum, nec non VOTA quae emittuntur a viris vel mulieribus in nonnullis Congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiae. — **3°** *Ob cessationem causae principalis et finalis*, et hinc qui vovit v. g. abstinere a nuptiis ut provideat patri, eo mortuo, ad VOTUM non tenetur. — **4°** *Ob lapsum temporis* appositi ad finiendam obligationem. — VOTUM autem B **ab extrinseco** cessat : — **1°** *Per irritationem*, quae est annullatio vel saltem suspensio obligationis ex VOTO contractae, facta ab habente potestatem dominativam, sive in ipsam personam voventis, sive in materiam VOTI : VOTA enim eorum qui alteri subduntur sive quoad voluntatem, sive quoad materiam VOTI, emittuntur sub hac tacita conditione : *si superior consenserit*, vel *nisi contradicat*. Hinc duplex est irritatio : *directa* et *indirecta*, prout fit ab eo cui subjecta est — vel voluntas voventis — vel materia VOTI. — **2°** Cessat *per dispensationem*, quae fit auctoritate superioris nomine Dei. — **3°** *Per commutationem*, per quam obligatio VOTI transfertur ab una materia in aliam, et triplex est : — *in melius*, — *in aequale* et — *in minus*.

Q. 81. Quaenam sit *differentia* inter IRRITATIONEM *directam* et *indirectam* quoad effectum?

R. Haec est : *directa* VOTUM destruit, *indirecta* vero tantum suspendit, ita ut reviviscat, quando sine alterius praejudicio adimpleri potest.

Q. 82. Quinam possint *irritare* VOTA *directe*, et quinam *indirecte?*

R. *Directe* irritare potest superior seu dominus, a quo absolute pendet ipsa persona subditi seu voluntas voventis; — *indirecte* vero superior seu dominus, a quo non pendet quidem

absolute ipsa voluntas voventis, sed pendet materia talis VOTI, ita ut si VOTUM impleretur, illius juri et potestati nocumentum esset allaturum.

Resolvitur. 1°) Superiores **regularium** possunt *directe* irritare VOTA *professorum*, exceptis VOTIS quae fiunt ex instituto religionis, et VOTO de strictiori religione amplectenda; non autem possunt *directe* irritare VOTA *novitiorum*, quia nondum sunt per VOTUM obedientiae ipsis absolute subjecti; possunt tamen *indirecte*, si sint incompatibilia cum exercitiis novitiorum, aut si novitium nimis gravent. Idem dic de abbatissa seu priorissa *monialium*. — **Resol. 2°)** Nedum **pater,** sed et **mater,** eo quoque praesente, non tamen contradicente, possunt *directe* irritare VOTA filiorum *impuberum*, i. e. annum 14 nondum egressorum, si sint masculi, vel 12, si sint femellae; sive sint implenda in impubertate, sive post, modo pubertatem adepti et VOTA scientes esse infirma seu irritabilia non ratificaverint. *Indirecte* vero possunt irritare VOTA *puberum* quae et quatenus vergunt in damnum potestatis paternae, qualia sunt VOTA longae peregrinationis, aut eleemosynae ex paternis bonis faciendae. At non ita dicendum de VOTIS castitatis, religionis, confessionis : in his enim puberes sunt sui juris. Deficientibus autem patre et matre, idem competit **tutoribus** aut **curatoribus,** et his quoque deficientibus, **ascendentibus** aequo jure, sive paternis sive maternis. — **Resol. 3°)** Potest quilibet **conjux** *indirecte* VOTA compartis irritare, quae matrimonii jura laedunt; imo juxta sententiam probabiliorem, saltem extrinsece, cum S. THOM. (2. 2. q. 88, a. 8 ad 3), maritus, qua est caput mulieris, potest *directe* omnia VOTA uxoris irritare, licet non praejudicent usui matrimonii, vel prolis educationi, vel gubernationi domesticae. — **Resol. 4°)** Nequit **herus** *directe* irritare VOTA famulorum, sed tantum *indirecte* quatenus debitis famulatus obsint officiis, ut est VOTUM quotidie Missam audiendi.

Q. 83 An possit fieri IRRITATIO *sine causa?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirm.*, quoad **validitatem,** quia ad validum juris proprii usum causa non requiritur; imo dominus valide irritaret VOTA etiam a se approbata seu ratihabita : quia nequit sibi

adimere potestatem, quam in subditos habet. — *Neg.* quoad **liceitatem**, quia irritans sine causa abutitur sua potestate, et ideo reus videtur, sed peccati *ordinarie* solum venialis. — Dixi : *ordinarie ;* quia graviter peccaret, qui aut ex prava intentione, aut cum gravi subditi nocumento VOTA irritaret, ut v. g. si pater id faceret ex odio seu invidia profectus spiritualis filiorum, aut ex contemptu religionis. — Interim sufficit causa levis et minor quam ad dispensandum.

Q. 84. *Quid* sit VOTORUM *dispensatio?*

R. Est ablatio vinculi VOTI ob justam et rationabilem causam, facta nomine Dei ab habente potestatem jurisdictionis spiritualis in foro externo, sive ordinariam, sive delegatam.

Q. 85. *Quinam* possint in VOTIS *dispensare?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Possunt : — 1°) **Jure ordinario** hi penes quos est jurisdictio ecclesiastica in foro externo, scilicet *Papa* pro tota Ecclesia et quoad omnia VOTA, etiam solemnia ; *Episcopus*, eoque mortuo, *Capitulum* et *Vicarius capitularis*, nec non *Praelati Regulares*, pro subditis tantum respectivis, et solum in VOTIS Papae non reservatis. — Quae autem *episcopi* hic possunt jure suo, eadem possunt ex S. Lig. (VI, 987 et 1128) *confessarii* approbati ordinum mendicantium respectu saecularium, cum hoc tamen discrimine : quod episcopi possint suam facultatem dispensandi committere aliis, secus confessarii mendicantes. — 2°) **Ex delegatione** hi quibus haec potestas mandata est *nominatim*. Et cum haec potestas latam interpretationem recipiat, protrahitur ad VOTA etiam jurata, vel post concessionem emissa.

Q. 86. An *requiratur* justa causa, ut *valide* in VOTO *dispensetur?*

R. *Affirmative.*

Explanatur. Ratio **differentiae** inter *dispensationem* et *irritationem* est, quod *irritatio* fiat per potestatem dominativam in personam voventis vel materiam VOTI, sicque irritans velut dominus ac proprio suo nomine disponat de promissione alterius vel re ab eo promissa, tanquam de re sua, ad quod non requiritur justa causa ; — at *dispensatio* fit per potestatem spiritualem et ecclesiasticam

jurisdictionis tantum ab ipso Deo collatam Ecclesiae ministris, in ordine ad tollendam obligationem voti per modum judicii et absolutionis virtute clavium, sicque dispensans non agit nomine proprio et tanquam de re sua, sed nomine et auctoritate ipsius Dei, talem potestatem ad bonum regimen et salutem animarum committentis, qui non confert eam ad dissolvendas obligationes temere, et absque rationabili causa, cum sic potestas illa potius data esset in destructionem, quam in aedificationem animarum.

Q. 87. *Quaenam* sint *justae causae* dispensandi in VOTIS?
R. Sunt praecipue quatuor sequentes.

Explanatur. Est 1°) **Imperfecta deliberatio** orta, — vel ratione tenerae aetatis, praesertim ante pubertatem; — vel ratione perturbatae mentis, utpote ira, tristitia, metu oppressae; — vel ratione erroris aut doli circa accidentia voti, sive in causa impulsiva vovendi. — 2° **Notabilis difficultas** *exsequendi* VOTUM, maxime si non fuerit praevisa. — 3°) **Damnum** *spirituale vel corporale* *ventis*, ut si voto castitatis ligatus saepe labitur ex fragilitate; si ob VOTUM multis angitur scrupulis, etc. — 4°) **Bonum commune** *reipublicae aut familiae*, ut si quis vovisset longas peregrinationes, cum praestaret ipsum reipublicae aut familiae adesse. — In dubio, utrum causa sit sufficiens, dispensatio concedi poterit, si ex ea aliqua speretur utilitas, et nullum scandalum timeatur. Post obtentam dispensationem, in dubio an adfuerit causa, vel an sufficiens fuerit, pro valore dispensationis standum est.

Q. 88. *Quaenam* sint VOTA *Papae reservata?*
R. Praeter VOTA emissa in communitate religiosa, Papae reservantur : 1°) VOTUM castitatis perfectae et perpetuae; — 2°) VOTUM ingrediendi religionem ab Ecclesia approbatam; — 3°) peregrinandi Hierosolymam ad sepulcrum Christi;—4°) Romam ad limina Apostolorum;—5°) Compostellam ad S. Jacobum.

Resolvitur. Hinc ad **dubium** : « *An votum ingrediendi religionem Sedi Apostolicae adhuc sit reservatum?* » S. POENIT. (23 Dec. 1835) ap. N. R. T. (XVI, 672). Ita **respondet** : « *Affirmative; sed votum mulieris, cujus intentio respexerit ad monasteria, prout nunc in Galliis exsistunt, non est reservatum; quia scilicet monas-*

teria eadem a S. Sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiae feminarum aestimantur. »

Q. 89. Quaenam *requirantur*, ut haec quinque VOTA dicantur *Papae reservata?*

R. Cum haec reservatio deroget juribus *episcoporum* et voventibus sit *onerosa*, strictissimae interpretationis est. Quare plura requiruntur.

Explanatur. 1° Ut sint VOTA **proprie dicta** : et hinc reservata non sunt VOTA improprie dicta seu promissiones factae B. Virgini aut aliis Sanctis absolute secundum se, et sine relatione ad ipsum Deum, esto concepta sint in materia alias reservata. — **2°** Ut sint **certa** : et hinc VOTUM *dubium*, an sit validum, an reservatum, sive sit dubium facti, sive juris, non est reservatum. — **3°**) Ut sint **determinata**, et hinc reservatum non est VOTUM *disjunctivum*, cujus altera pars non est reservata, v. g. voveo peregrinari Romam vel jejunare per mensem, etiam postquam vovens partem reservatam elegerit. Hinc quoque si VOTUM reservatum commutetur in aliud non reservatum, hoc non fit reservatum, nec in odiosis tenet regula : *subrogatum induit naturam illius cui subrogatur.* — **4°**) Ut sint **perfecta** : tum ex parte actus, tum ex parte materiae. Dico : a) ex parte *actus;* et hinc non reservantur, si emissa fuerint ex insufficiente deliberatione, puta ex dolo, fraude, metu etiam levi, aut ab impubere; vel sub levi obligatione; vel demum si emissa non fuerint ex pleno affectu in honestatem rei promissae, quale esset VOTUM peregrinandi Romam ex alio motivo quam devotionis, v. g. ad obtinendam absolutionem a peccatis. Dico : b) ex parte *materiae*, ita ut sint completa in suo genere; et hinc reservata non sunt, si res non integra vovetur, sed pars tantum, sive quoad rem ipsam, sive quoad tempus, ut si fiat VOTUM virginitatis tantum, VOTUM non nubendi, non potendi debitum, non fornicandi, non se polluendi, servandi castitatem ad certum tempus, quia non est de castitate integra, perpetua et simpliciter dicta. — **5°**) Ut sint **absoluta** : et hinc reservata non sunt VOTA *poenalia*, v. g. voveo religionem, si hoc vel illud peccatum commisero, vel quaevis alia VOTA *conditionata* de futuro, v. g. voveo castitatem, si convaluero; sive ante conditionem impletam,

ubi necdum sunt VOTA simpliciter; sive post conditionem impletam, quia VOTA hujusmodi non tendunt directo plenoque affectu ad religionem vel castitatem, sed vel ex amore alterius boni, vel timore alicujus mali, adeoque sunt minus perfecte voluntaria. — 6°) Ut reservatio intelligatur **quoad voti substantiam** tantum, ita ut *circumstantiae* VOTI reservatione non contineantur. Hinc VOTUM peregrinandi Romam pedibus vel mendicando potest dispensari quoad has circumstantias, ut fiat equo, curru, etc. Similiter VOTUM ingrediendi religionem strictiorem non est reservatum quoad hanc circumstantiam, et potest dispensari, ut vovens laxiorem ingrediatur, vel in ea permaneat, si sit religiosus. — 7°) Ut ista VOTA intelligantur reservata **extra casum urgentis necessitatis** : et hinc cessat reservatio in gravi necessitate spirituali vel temporali sive voventis, sive alterius, quoties R. Pontifex commode adiri non potest, sed tantum quatenus necessitas exigit; ut si puella, quae castitatem vovit, versetur in periculo violandi VOTUM, aut nuptias differre nequeat sine incommodo gravi. Praesumi enim non potest, quod Papa postestatem dispensandi in bonum animarum a Deo concessam velit tunc esse reservatam. — Dixi : *sed tantum quatenus*, etc. Quare si episcopus v. g. dispensaverit Cajum a VOTO castitatis ad matrimonium contrahendum, VOTUM, soluto matrimonio, reviviscit; et si, eo durante, Cajus aliam petat aut se polluat, non vacat sacrilegio. — Quoniam vero episcopi, ubi ratione urgentis necessitatis dispensant in VOTIS reservatis, non dispensant jure *ordinario* quatenus episcopi, sed jure quasi *extraordinario* et ex sola praesumpta Pontificis voluntate, patet confessariis approbatis ordinum mendicantium potestatem dispensandi in iisdem VOTIS ratione urgentis necessitatis non esse vindicandam, ut docent « *communius* » DD. Contrariam tamen sententiam « *valde probabilem* » habet S. Lig. (III, 258) eamque « *non audet reprobare* » (VI, 1128).

Q. 90. An *episcopus* possit *dispensare* conjugem a VOTO castitatis perpetuae tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine *ad petendum debitum?*

R. *Affirmative* : quia dispensare potest ab omni impedimento impediente exercitium actus conjugalis. Et quoniam episcopus tunc dispensat vi suae ordinariae jurisdictionis, id

ipsum quoque possunt Confessarii Mendicantes, tum intra, tum extra confessionem. Cfr. S. Lig. III, 258 et VI, 986 seq.).

Q. 91. An VOTUM emissum *in utilitatem proximi* possit *dispensari?*

R. *Distinguendum* est.

Explanatur. Vel **nondum fuit acceptatum,** — vel **fuit acceptatum.** — Si PRIMUM, potest dispensari. — Si SECUNDUM, *subdistinguendum* est : — vel fuit factum **principaliter in utilitatem tertii,** ut si quis vovet dotare puellam determinatam, et tunc non potest dispensari sine hujus consensu ; vel fuit factum **principaliter in honorem Dei** et secundario in utilitatem proximi, ut si quis promittit fratri suo se religionem ingressurum, qua ingressa, ille patri ex asse haeres erit, et tunc sine consensu illius dispensari poterit : quia, dum VOTUM principaliter factum est Deo, tertius solum dependenter a VOTO jus acquisivit. — Multo minus dispensari poterit promissio **mutua,** ut contingit in votis **perseverantiae,** quae fiunt in aliquibus Congregationibus, quia adest ratio contractus onerosi, et ideo hujusmodi VOTA ab alio dispensari nequeunt quam ab ipsa Congregatione vel a summo Pontifice, prout supremo bonorum ecclesiasticorum domino.

Q. 92. *Quid* sit VOTI *commutatio?*

R. *Est substitutio alicujus operis loco operis voto promissi.* Potest fieri *triplici* modo : — in bonum *melius,* — in *aequale,* vel — in *minus.*

Explanatur. Illud dicitur **melius,** non quod in se est excellentius, sed quod, omnibus pensatis, hic et nunc est Deo gratius, adeoque quod pro loco, tempore et dispositione voventis magis congruit ejus saluti spirituali, uti semper est frequentia sacramentorum, quibus efficacius Christi merita applicantur et gratia confertur. — **Aequale** vero intelligitur *moraliter,* arbitrio boni viri : atque ideo nihil oberit, si alterius *speciei* sit, modo sit aeque utile voventi ; vel non *tantumdem* prorsus, quia hic quoque paulo minus pro nihilo reputatur. Secus innumeris anxietatibus commutatio obnoxia esset et vix utilis. Hinc hoc ipso quod prudenter dubites, an sit aequalitas, censetur parvus defectus, et potes commutare. — Tandem **minus** intelligitur quod ita est *notabiliter.*

Q. 93. An, *facta commutatione*, voventi *liberum* sit ad priorem obligationem *redire?*

R. *Affirmative.*

Explanatur. Ratio est : quia commutatio, etiam si facta fuerit *in melius*, videtur fieri sub conditione : *nisi malis redire ad priorem obligationem*. Praeterea commutatio fit in favorem voventis ; *quisque autem potest favori suo renuntiare.* — Excipe : nisi certo constet, voventem voluisse se quasi novo voto ligare.

Q. 94. An, *commutatione facta*, prius VOTUM *exstinguatur?*

R. *Affirmative* ; et hinc 1° non reviviscit, si novum postea praestari posse desiit ; — 2° si VOTUM reservatum fuerit commutatum in aliud opus, hoc aliud opus non censendum est reservatum.

Q. 95. A *quonam* fieri possit VOTORUM *commutatio?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° Commutatio in bonum **melius**, imo, juxta multos auctores, in **aequale**, potest fieri propria auctoritate, ab eadem scilicet persona quae VOTUM emisit. — 2° Commutatio vero in **minus**, fieri debet auctoritate superioris ecclesiastici. Et quidem habens potestatem etiam simpliciter delegatam dispensandi a VOTIS, habet eo ipso facultatem ea commutandi : qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere. Non autem vicissim : quia major potestas in minori non continetur. — Cfr. S. Lig. III, 244.

Q. 96. An ad VOTUM *commutandum* requiratur *aliqua causa?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Ad commutandum in **melius**, non requiritur aliqua specialis causa, sed sufficit sola voluntas voventis. — Ad commutandum in **aequale**, sufficit modica, ut est major voventis devotio. — Ad commutandum in **minus**, requiritur major causa, minor tamen quam ad dispensandum, v. g. gravis molestia vel fragilitas voventis cum periculo violandi VOTUM. — Et quidem commutatio in **aequale** absque omni causa est valida, sed venialiter illicita, quia est abusus potestatis in re levi ; commutatio vero in **minus** absque juxta causa est graviter illicita, quia est gravis

abusus potestatis; sed tamen valida, cum obligatione supplendi id quod deest materiae subrogatae ad constituendum aequalitatem. Ceterum sufficit ad commutationem causa probabiliter justa, et in dubio an fuerit justa, si commutatio sit facta, ex S. Thom. (2.2. q. 88, a. 12 pro ea respondendum erit. — Cfr. S. Lig. (III, 245).

Q. 97. An omnia VOTA possint *commutari?*

R. *Negative.* Excipiuntur enim : 1°) VOTA S. Pontifici reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum; — 2°) VOTA simplicia *perseverantiae* quae emitti solent in certis Congregationibus; — 3°) VOTA realia in favorem tertii principaliter emissa et ab eo acceptata; — 4°) VOTA poenalia praeservantia a peccatis, nisi commutatio fiat in aliud opus poenale, quod aeque ad praeservandum conducit.

DE TERTIO PRAECEPTO.

« *Memento ut diem sabbati sanctifices... Non facies omne opus in eo* » (Exod. XX, 8, 10).

CAP. I. — De hujus praecepti natura et vi.

Q. 98. *Quale* sit hoc praeceptum ratione *juris*?

R. Ex S. Thom. (2.2. q. 122, a. 4 ad 1) : « *Est partim* MORALE, *partim autem* CAEREMONIALE. — MORALE *quidem est, quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis...; sed in quantum in hoc praecepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est praeceptum* CAEREMONIALE. »

Explanatur. Quatenus **morale** est hoc praeceptum, naturale et immutabile est : quia ipsa lex naturalis postulat, ut homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum rebus divinis. Si enim homo jure naturali tenetur vacare labori sive intellectuali sive servili ad sustentationem vitae spiritualis et materialis, a fortiori eadem lege tenetur deputare aliquod tempus ad sustentationem vitae moralis et supernaturalis; unde quoque nulla gens est etiam barbara, quae suam divinitatem festis ideo institutis non excolat. Quatenus vero **caeremoniale**, positivum est et mutabile, in quantum scilicet

determinat tempus et diem ad vacandum rebus divinis. Quamvis enim ratio dictet Deum esse adorandum et aliquod temporis spatium cultui ejus esse devovendum, non praecipit tamen specialiter quod sit integra dies, hoc potius tempus quam aliud, hoc potius modo quam altero. Unde ad illud omne determinandum, positum fuit praeceptum positivum, quod quatenus praecipiebat observationem sabbati ad solos judaeos pertinebat; at postea mutationem accepit, quatenus ab apostolis sabbati celebritas translata est in diem Dominicam, maxime ex eo quod illa die Christus resurrexit a mortuis, et Spiritus S. descendit in apostolos, ac ne christiani haberent aliquid commune cum judaeis. Accedit quod ea die, juxta S. Aug. (Serm. 152), Christus judicaturus adveniet, eaque die saeculum finem habebit, qua habuit creationis initium.

Resolvitur. Hinc *infertur* : **1°** quod, quamvis Ecclesia non possit generaliter dispensare ab obligatione exhibendi Deo aliquem cultum, potest tamen dispensare quoad observantiam dominicae et aliorum festorum; **2°** vetitum non esse imponere opera servilia infidelibus qui sunt extra, ideoque non subditi Ecclesiae.

Nota. Ex S. Thom. (2. 2. q. 100, a. 7 ad 5) in hoc solo praecepto specialiter additur hoc verbum « **Memento** » : vel quia « *praeceptum de sabbato ponitur ut commemorativum beneficii praeteriti, et ideo specialiter in eo fit mentio de memoria; vel quia praeceptum de sabbato habet determinationem adjunctam, quae non est de lege naturae; et ideo hoc praeceptum speciali admonitione indiguit.* »

Q. 99. *Quid* importet hoc *tertium* praeceptum?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Qua **affirmativum,** praecipit *auditionem Missae;* quia in Missae sacrificio habetur summa cultus Christiani, perfecta scilicet adoratio Dei et sanctificatio hominum; qua **negativum,** prohibet generatim *opera servilia* et *forensia,* modo tamen benigniori quam sub lege veteri. **Praeter haec duo,** cetera sunt tantum de *consilio,* ut patet ex Bened. XIV (Const. *Paternae charitatis* 1744). Ibi enim, loquens de Missae auditione et abstinentia ab operibus servilibus, *jubet* et *imperat;* non ita tamen loquitur de aliis operibus agendo, sed verbis tantum *hortatoriis* utitur, dicendo; « *Quin etiam* exhortamur *in Domino, uti in precibus quoque divi-*

nisque laudibus persolvendis audiendoque verbo Dei frequentes sint, et per totum festum, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quae christianam pietatem continent et comitantur.» **Per accidens** tamen tenentur fideles ad aliquid aliud, si ad aliquam obligationem implendam necessarium sit. Et sic tenentur assistere concionibus die dominica, si concio necessaria sit ad instructionem christianam vel morum compositionem : quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad hunc finem necessaria. Cfr. BILL.

Q. 100. Dic : 1°) *Quinam* hoc praecepto *teneantur*, — et 2°) sub *quanto* peccato?

R. Ad 1um) Tenentur omnes et soli fideles usum rationis habentes, nisi gravi de causa excusentur. Unde non tenentur infideles, nec infantes ante usum rationis, nec amentes.

R. Ad 2um Tenentur *sub gravi*, ut constat ex propositione ab INNOC. XI damnata sub n. 52 : «*Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*»

CAP. II. — De missa audienda.

Q. 101. Quaenam *conditiones* requirantur ad satisfaciendum praecepto de AUDIENDO SACRO?

R. Requiruntur : — 1°) *intentio* ; — 2°) *praesentia moralis* ; — 3°) *attentio* ; — 4°) *integritas* ; — 5°) *debitus locus*.

Q. 102. *Qualis* requiratur INTENTIO?

R. Requiritur INTENTIO ponendi opus praescriptum seu per Missam colendi Deum; sufficit autem *virtualis implicita*, quam habet qui ecclesiam accedit, more fidelium, Missam auditurus.

Resolvitur. 1°) Unde qui **solum** interest, ut loquatur amico, comitetur dominum, honoret pompam funebrem, inviset ecclesiam, etc., non satisfacit, quia non adest ex INTENTIONE colendi Deum seu audiendi Missam. **Resol. 2°**) Non requiritur INTENTIO **satisfaciendi** praecepto, et ideo satisfacit qui libere interest Sacro, licet ignoret esse diem festum. Imo satisfacit, licet habuisset expressam INTENTIONEM non adimplendi praeceptum. Cfr. pag. 148 seq.

Q. 103. *Quid* importet PRAESENTIA MORALIS?

R. Quod audiens Missam debeat *mente* et *corpore* esse praesens.

Explanatur. Dicitur 1°) : **Mente,** i. e. sui compos, ita ut sibi conscius sit, se Sacro assistere. Hinc sensibus abruptus, aut plane dormiens, licet invitus, non satisfacit. Dicitur 2°) : **Corpore,** ita ut sit vel intra ecclesiam, vel in loco proximo tali, ex quo judicatur moraliter, juxta aestimationem hominum, posse percipere sacrificantem sive oculis, sive auribus, sive ex adstantibus, ut dum surgunt, genuflectunt, nisi aliunde sit sensibus impeditus. Hinc satisfacit qui in extremo amplissimae basilicae angulo aut capella advertere possit quid agat sacerdos, in opposita parte licet dissitissima celebrans. Pariter satisfacit, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam, saltem ex adstantibus, percipere possit sacrificantem, etiamsi via intercedat, non tamen magnum spatium, quale non censetur spatium triginta passuum a turba asssistentium. Cfr. S. Lig. (III, 312).

Q. 104. Dic : 1° *Quotuplex* sit ATTENTIO, — et 2°) *qualis* requiratur in auditione Missae?

R. Ad 1um) ATTENTIO *duplex* distinguitur : *externa* et *interna*.

Explanatur. Prima seu **externa** consistit in decente compositione corporis cum remotione omnis negotii et occupationis externae quae est incompatibilis cum auditione Missae, relicta interim menti facultate quaquaversum errandi. Secunda seu **interna** est mentis applicatio in rem sacram quae agitur, estque *triplex :* vel ad ea quae sacerdos dicit, facit, et haec dicitur *materialis* seu *superficialis;* vel ad ea quae his dictis factisque significantur, et haec dicitur *litteralis;* vel ad Deum ipsum per preces piasve meditationes, et haec dicitur *spiritualis*.

R. Ad 2um) Non requiri ATTENTIONEM *internam*, sed sufficere *externam*, ad satisfaciendum quoad *substantiam* praecepto Ecclesiae, gravissimorum DD., quos inter Suar., Less., Lugo, Coninc., Croix, sententia est, quam «*satis probabilem*» vocat S. Lig. (III, 315).

Explanatur. Ratio est : quia attentio **interna** non requiritur

ad substantiam moralem cultus externi; jam vero, ut docent communiter DD. ex S. Thom (2.2.q.122, a.4) et Cath. Rom. n.1, hoc tertio praecepto tantummodo praescribitur cultus externus. Unde satisfacit, qui voluntarie distrahitur, etiam toto tempore Missae, modo alias conditiones requisitas observet; quamvis peccati arguendus, sed *venialis* tantum, ex eo capite, quod qui Missae assistit sine attentione *interna* irreverenter se gerit erga Deum et res sacras. Alia huc spectantia vide pag. 150 seq.

Resolvitur 1. Praecepto **non satisfaciunt** qui per notabilem Missae partem de re *seria* confabulantur, templi imagines *attente* considerant, aut inscriptiones perlegunt, libros etiam pios ad discendum perlustrant, pingunt aut alia similia peragunt, quae cum auditione Missae componi nequeunt. **Resol. 2.** E contra **satisfaciunt** qui Missae ministrant, ut acolythi et sacristae; qui ad caeremonias concurrunt, ut cantores, organistae, musici; qui eleemosynam seu stipem colligunt, modo isti omnes simul aliquatenus ad Missam attendant; item qui poenitentiam, breviarum vel alias preces de praecepto persolvunt, juxta dicta (p.150seq.); qui conscientiam suam examinant, aut *brevem* confessionem instituunt, imo probabiliter *prolixam*, (ibid.), dummodo habeant intentionem audiendi Sacrum simulque ad illud saltem in confuso attendant.—*Probabilius* etiam **satisfacit** qui patitur *exstasim*: quia ex S. Th. (1.2.q.113, a.3 ad 2) in exstasi non amittitur liberum arbitrium, imo, inter exstasim adest attentio ad Deum prae aliis perfectior, ut docet idem S. Th. (2.2. q.83 a.13.—Tandem *probabiliter* **satisfaciunt** qui toto Missae tempore interne distrahuntur, etiam voluntarie, dummodo habeant intentionem generalem colendi Deum, et ita se gerant, ut testes in genere esse possint eorum quae in altari peraguntur.

Q. 105. *Quid* importet Missae integritas?

R. Quod Missa audienda sit *tota*; unde non satisfacit praecepto, qui partem ejus non modicam omittit, — sive absit, — sive dormiat,— sive aliud agat.— Quae vero *modica* pars sit, quae *non modica*, una regula definiri non potest; non enim *materialiter* tantum aestimari debet, sed et *formaliter*, i. e. ex majori aut minori dignitate ac sanctitate ejus partis, et sic digniora ac sanctiora habentur quae ad consecrationem hinc inde propius accedunt.

Resolvitur. Hinc **non satisfacit** qui omittit eam Canonis partem quae media est inter Praefationem et Consecrationem, vel inter Consecrationem et *Pater noster;* qui abest et dum sacerdos consecrat et dum sumit. Utrum et is qui abest solum dum celebrans consecrat, vel solum dum sumit, non satis convenit. (S. Lig. III, 310). **Satisfacit** vero si partem non gravem omiserit, velut omnia ante Epistolam, vel omnia post Sumptionem, imo utraque; vel probabiliter omnia ante Offertorium cum, teste S. Isid., ab hoc Missae sacrificium initium capit. Item **satisfaciunt** qui abeunt dum Chorus aut Musici canunt *Kyrie, Gloria* et *Credo,* vel si sacerdos haereret in *Memento* nimis diu. Cfr. S. Lig. (*ibid.*) et (H. A VI, 55).

Q. 106. Utrum is qui non potest totam Missam audire, *teneatur* audire partem quam potest?

R. Qui advenit nondum facta consecratione, tenetur profecto reliqua audire (S. Lig. III, 316); qui post eam factam, hunc minime teneri dicunt, qui putant essentiam sacrificii in sola consecratione consistere; qui et in communione, contra sentiunt. Utrum vero qui neutri adstare potest, v. g. si ante consecrationem ei discedendum sit, teneatur caeremoniis, quae praecedunt, intervenire, inter DD. disputatur.—Cfr. p. 155 seq.

Q. 107. An praecepto *satisfaciat* audiens duas Missas *dimidiatas* a diversis sacerdotibus?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Negative,* si audiat **simultanee.** Constat ex prop. damn. ab Innoc. XI sub n. 53: « *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* » **2°)** *Affirmative,* saltem probabiliter, si audiat **successive,** etiamsi audiat ordine inverso, et intercedat, juxta Mazz., spatium unius horae. Qui tamen cum S. Lig. (III, 311) *communionem* etiam ut partem sacrificii essentialem habent, requirunt ut *consecratio* et *communio* in eadem dimidia parte Missae reperiantur, ut adeo non satisfaceret, qui audiret unam Missam usque ad consecrationem inclusive, et dein aliam usque ad finem. Sed id minus recte admitteretur ab iis qui totam Missae essentiam in sola reponunt consecratione. Praeterea, si juxta S. Lig. (III, 310) non est *improbabile* satisfacere eum qui vel *soli* consecrationi, vel

soli communioni adest, difficile intelligi potest, quomodo non satisfaceret qui duas dimidiatas Missas audiret, quarum una consecrationem, altera vero communionem contineret.—Interim duas partes sine justa causa sic audiens, peccaret saltem venialiter.

Q. 108. *Quisnam* sit LOCUS DEBITUS, ut praecepto Missae audiendae satisfieri possit?

R. Est *quilibet locus*, etiam profanus, ut si Sacrum fieret in littore, in castris, *quem Ecclesia non excipit.*

Explanatur. Excipit autem **oratoria privata,** in quibus praecepto audiendi Missam non satisfit, nisi ab iis qui indulto comprehenduntur, exceptis tamen quibusdam festis majoribus indulto comprehensis. De *oratoriis privatis* plura dicentur in tract. *de Eucharistia.*

Q. 109. An *teneatur* dominus uti *privilegio* oratorii privati, si ecclesiam adire non possit?

R. Si sacerdos aliquis in oratorio Missam celebret, tenetur profecto eam audire. -Sed utrum eum *accersere* debeat, non convenit.

Explanatur. Multi **negant,** quia nemo cogitur uti suo privilegio, maxime eo, quod legi derogat; alii **affirmant,** quia obligatus ad finem tenetur ad media. Sententia utraque gravis. Quod autem dominus teneatur sacerdotem conducere, si possit absque incommodo gravi, adeoque modico stipendio, id quidem affirmat S. LIG. (III, 324) : « *quia quisque tenetur leve saltem pati incommodum, ut praecepto satisfaciat;* » id vero aliis displicet : est enim insuetum prorsus. Cfr. D'ANNIB.

Q. 110. An ad *satisfaciendum* praecepto Missae, necesse sit audire Missam *parochialem*, seu in *propria parochia?*

R. Certum est : — 1°) olim, i. e. saeculo IV ad XVI talem obligationem exstitisse; — 2°) huic juri universali derogatum fuisse *partialiter* per privilegia religiosorum; — 3°) jam ei derogari *universaliter* per consuetudinem contrariam legitime praescriptam, ac proin non amplius esse de *praecepto*, sed tantum de *consilio*. Cfr. BILL.; STRUGGL.

Resolvitur. Merito docent DD. apud BENED. XIV (*de Syn.*

l. XI. c. XIV, n. 20) : «*Non posse hodie episcopum* PRAECIPERE *suis subditis, ut se sistant Missae parochiali : quia non potest delere consuetudinem, quae, cum vigeat in toto orbe, jam induit naturam iuris* COMMUNIS. » Quod cum episcopus MIDENSIS fecisset, a S. C. C. ejus edictum reformatum fuit.

Q. 111. *Quaen.* sint *causae excusantes* ab auditione Sacri ?

R. Sunt variae, quae omnes tamen reduci possunt ad has quatuor :— 1°) *impotentia*, quae triplex est : *spiritualis*, *naturalis* seu *physica* et *moralis*; — 2°) *charitas*; — 3°) *officium*; — 4°) *consuetudo*.

Resolvitur 1. Ratione **impotentiae** *spiritualis*, excusantur excommunicati vel interdicti, quamdiu per eos non stat quominus a censura liberentur, vel saltem non negligunt procurationem absolutionis ex fine non audiendi Sacrum (pag. 156 seq.). Item si non detur copia sacerdotis celebrantis, praeterquam notorie excommunicati. Ratione IMPOTENTIAE *physicae*, excusantur infirmi lecto affixi; navigantes in mare; carceribus inclusi, et qui habitant in locis ubi nulla est copia audiendi Sacri, habentes causam rationabilem ibi habitandi. Ratione IMPOTENTIAE *moralis*, excusantur nimis longe distantes a loco celebrationis, habita ratione circumstantiarum : et sic licet iter pedestre vel *unius horae cum quadrante* excuset omnes, minus adhuc excusaret, si plueret, aut ningeret, aut alia causa adesset; item rationabiliter timentes aliquod detrimentum sanitatis, famae aut honoris, ut si puella, quae habetur pudica, ventrem gerat et ob eam causam domi se celet; aut bonorum fortunae, ut si domi remanseris propter metum furium vel ne ingens lucrum amittas, ut puta viator pauper ne amittat expensas itineris quas sperat a socio; aut si utilem comitem itineris bonamve occasionem facilius itinerandi deberet quis negligere, ex eo quod rhedarii publici vel socii viae, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt. **Resol. 2.** Ratione **charitatis**, excusatur qui ministrat infirmo, si is egeat ejus opera vel si aegre ferat ipsum recedere; materfamilias, quae domi se continet prospiciens filiarum pudicitiae vel parvulis suis; vel obtemperans viro, qui alias irasceretur, nisi is eam prohibeat Sacro in religionis contemptum; puella ne det occasionem peccandi ei a quo turpiter adamatur. **Re-**

sol. 3. Ratione **officii**, excusantur milites stationarii, custodes oppidorum, gregum, laborantes in fusoriis vitrariis, ancillae dum debent assistere infantibus, famuli in actuali et necessario obsequio dominorum occupati aut ab eis etiam injuste impediti. **Resol. 4.** Ratione **consuetudinis**, alicubi excusantur nubiles ob bannorum proclamationes, puerperae post partum per sex hebdomades, mulieres tempore luctus, dum ne interim alias domo excedant, neve absint diutius quam ferat usus. Cfr. S. Lig. (III, 524-532); D'Ann.; Bill.

Q. 112. An qui ab audienda Missa legitime *excusatur*, alium religionis actum *in compensationem* elicere *teneatur?*

R. Certum est, eum ad nihil teneri *vi praecepti ecclesiastici*, nec ad persolvendas domi preces, quas tempore Sacri recitasset vel recitare solet, quia ad nullas preces determinatas audiendo Missam adstringitur.

Explanatur. Dixi : *vi praecepti* ECCLESIASTICI ; nam qui per totum annum impediretur, quominus diebus dominicis et festivis Sacro interesset, teneretur profecto aliquoties id supplere diebus ferialibus, quia divina lex non est tempori determinato affixa, ut affixa est lex ecclesiastica. Cfr. Bill.

CAP. III. De cessatione a servilibus et forensibus.

P. 113. *Qualis* sit *obligatio* feriandi ab operibus SERVILIBUS et negotiis FORENSIBUS die dominico vel festo ?

R. Est obligatio sub mortali *ex genere suo*, incipiens a media nocte dominicae vel festi, et perdurans usque ad alterius noctis dimidium. Constat ex communi fidelium usu et ex prop. 52 ab INNOC. XI damnata (p. 407). Praeterea haec obligatio est ex virtute religionis : atqui religio *ex genere suo* obligat graviter.

Explanatur. Dixi : **ex genere suo**, et non **ex toto genere suo.** In his enim peccatis datur **parvitas materiae**, quae dijudicari debet : tum *ex causa* ob quam laboratur, ut si sit aliqua necessitas ; tum *ex qualitate operis* : si enim eo parum laboris impendatur, facilius quis excusabitur a peccato mortali ; tum *ex brevitate temporis* quo labor absolvitur. Qualis autem **duratio** operis sine necessitate facti ad peccatum mortale requiratur, diffi-

cile est determinare. Quidam *unam* horam sufficere existimant. Alii communius et probabilius *duas horas cum dimidio* requirunt; et etiam *tres*, si agatur de opere leviusculo, ut est decerpere flores. Hinc quoque putant venialiter tantum peccare dominum, qui die festo mandat sex aut etiam pluribus famulis, ut laborent per unam vel duas horas, sive famuli laborent *simul*, sive etiam *successive* : quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant. Cfr. S. Lig. (III, 305 et 282; H. A. VI, 25 seq.). Interim, licet mandans forte non sit reus peccati mortalis *propter violatum festum*, posset tamen graviter peccare *ratione scandali*. Imo severius adhuc loquitur Bill.

Q. 114. *Quid* 1°) sit opus SERVILE, et 2°) quomodo distinguatur ab opere tum LIBERALI, tum COMMUNI ?

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (2. 2. q. 122, a. 4 ad 3) opera SERVILIA dicuntur : « *opera corporalia in quibus unus homo alteri servit* ; » i. e. ut communiter DD. interpretantur, quae vel immediate tendunt in utilitatem vel necessitatem corporis, et corporis potius quam animi viribus efficiuntur, et ideo vulgaribus communiter hominibus committi solent, ut opus arandi, fabricandi, seminandi, suendi, characteres imprimendi, et universim omnia opera artium mechanicarum, quae servis proprie conveniunt, etiamsi per liberos nonnunquam exerceantur.

R. Ad 2um) Distinguitur : 1°) ab opere *liberali*, quod vel mente exercetur, vel corpore quidem, sed potissimum animi excolendi gratia, et ideo communiter a liberis exercetur, ut sunt opera artium liberalium, docere, cantare, concionari, instrumenta musica pulsare, scribere, transcribere, etc. Nihil autem refert utrum praedicta opera fiant lucri vel recreationis causa, an bona vel mala animi intentione, an corporis defatigatione vel solatio : nequeunt enim hujusmodi circumstantiae mutare operum naturam. Sic servile manet arare alterius agrum, quamvis ex mera charitate id fiat et prorsus gratis ; contra non fiet servilis pulsatio organorum aut saltatio, utut diuturna et laboriosa, aut transcriptio lucri causa per totam diem protracta. Distinguitur : 2°) ab opere *communi*, quod indiscriminatim fit a servis et liberis, ut iter facere, venari, piscari.

Resolvitur. Inter opera **servilia** ex usu communi numeran-

tur : libros arte libraria colligare aut consuere; chartas aut telas conglutinare; nere, volucrum retia aut tibialia texere; conficere rosaria, scapularia, imagines cereas, flores artificiales, etc. Unde hujusmodi per se non licent, etiamsi fierent recreationis causa. Quia tamen labores sunt leviusculi, majus temporis spatium requirunt, ut de mortali arguantur.

Q. 115. Quandonam opera COMMUNIA *celentur*, quandonam vero *liceant?*

R. COMMUNIA, si *proxime* accedunt servilibus (accedere autem intelliguntur, quae natura sua multo egent labore), non *licent*, secus *licent;* sic licet v. g. iter agere pedibus, equo, curru, navi; item venari, piscari, aucupari, si haec fieri possint sine magno labore; delineare, pingere acu, quin et penicillo, si fiat sine magno apparatu et colorum sordibus; adeoque et photographiam exercere; immo probabiliter et sculpendo ultimam operi manum admovere. Cfr. S. LIG. (III, 280-283); SCAV.; D'ANNIB.

Q. 116. *Quaenam* sint negotia FORENSIA ex jure canonico in festis *prohibita?*

R. Sunt quaedam negotia sive CIVILIA, sive JUDICIALIA.

Explanatur. A. Inter **civilia** sunt : 1°) *contractus inire*, sed hoc obsolevit, etiamsi coram notario celebrarentur; 2°) *nundinari*, sed et nundinae licent hodie, sive quae per annum celebrantur, quod jam diu pene ubique locorum receptum est; sive quae per hebdomadas, nisi consuetudo loci aliud ferat. Ubi autem licet nundinas per hebdomadam celebrare, licet quoque deferre quae illo venduntur, atque ideo sarcinas non solum exonerare, sed et onerare licet; 3°) *mercari*, i. e. merces vendere, emere, *in officinis publicis*, nisi timoratorum usus approbaverit; et sic ex recepta consuetudine licite venduntur et emuntur in *officinis publicis* quaevis esculenta et poculenta, etsi ad gulositatem; item calceamenta, candelae, panni ad vestes conficiendas et alia hujusmodi. Imo tolerantur etiam alicubi publicae venditiones sub hasta, peractis divinis officiis : quia aliis diebus pauciores essent concurrentes. B) Negotia vero **judicialia** sunt, quae fiunt per strepitum seu apparatum judicialem, ut citare juridice partes seu testes, exigere juramentum

judiciale, formare processum, sententiam ferre aut exsequi, nisi aliter requirat necessitas aut pietas. Cfr. S. Lig. (III, 284-287); D'Ann.

Q. 117. *Quaenam* CAUSAE *excusent* exercentes opera prohibita diebus dominicis et festis ?

R. Causae, quae reddunt licita opera prohibita in die festo, sunt sequentes : 1°) NECESSITAS, sive *propria* sive *aliena* ; 2°) UTILITAS PUBLICA; 3°) DAMNUM, sive *temporale* sive *spirituale*; 4° CHARITAS; 5°) PIETAS; 6°) CONSUETUDO; 7°) DISPENSATIO; 8°) PARVITAS MATERIAE, quae excusat saltem a culpa gravi.

Resolvitur 1. Ratione **necessitatis** excusantur : *pauperes*, qui aliter se suosque alere non possunt; curare tamen debent, ut secreto laborent; *ancillae* pauperes (ut ordinarie sunt), si sua reficiant et sibi laborent, dum id aliis diebus non permittitur ab heris, vel non habent tempus id faciendi; *agricolae* rigantes agros, viridaria, aut ob aeris intemperiem fruges demessas colligentes et in horrea vehentes; *ferrarii* calceantes equos itinerantium, vel eorum qui summo mane iter acturi sunt vel egressuri ad laborandum, si alias gravi damno afficerentur; item reficientes vomeres eorum qui aliter postridie laborare nequirent; *coqui* parantes quae pertinent ad victum quotidianum, sive ea necessaria sint, sive voluptuaria; *sartores* reficientes seu conficientes vestes, sive quae ad tegendum corpus, sive quae ad honestum cultum sunt necessariae, si hoc pridie fieri non potuit, vel si aliqua inopinata et justa causa supervenerit, ut ecce funus, nuptiae, superioris adventus; *judices* ea peragentes quae celeritatem requirunt. **Resol. 2.** Ratione **utilitatis publicae** licitum est reficere pontem, aquaeductum, viam qua transitus frequens est; item publicae laetitiae causa, ut puta in victoriis, natalitiis, nuptiis vel adventibus principum, aliquid moliri quod antea fieri non potuit, veluti struere theatra, arcus triumphales, perficere ignes, etc.; item in frequentibus civitatibus mactare pecus, non tamen in minoribus vel in oppidis, nisi aut aestate, aut cum plures sunt continui dies festi; ast panem coquere et ea quorum usus quotidianus est, licet ubique. **Resol. 3.** Ratione **damni,** et quidem *temporalis*, excusantur : *coctores* laterum, et qui absque notabili damno opus inchoatum interrumpere non possunt; *rustici* colligentes fructus ne surripiantur vel a pluvia con-

taminentur; *famuli* aliique subditi ad laborandum compulsi metu gravis damni, v. g. ne dimittantur sine spe faciliter et brevi inveniendi cui serviant. Et quoniam *amissio magni lucri* DAMNO gravi aequiparandum est, ideo permittitur piscatio lignorum quae nisi fiat statis anni diebus quibus alluvio magna ex improviso contingit, nulla amplius fieret. Ratione vero DAMNI *spiritualis* excusatur qui vacat servilibus ad otium fugiendum, si otiosus versetur in gravi peccandi periculo, quod aliter vitari non potest; quod vix accidit. **Resol. 4.** Ratione **charitatis** licet sepelire mortuos, inservire infirmis, conficere vestes pro pauperibus, expedire causas alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, pauperum et miserabilium : quia « *in operibus misericordiae dierum distinctio non est habenda.* » **Resol. 5.** Ratione **pietatis** erga Deum licet obire quae *proxime* ad divinum cultum pertinent, i. e. quae sunt quodammodo sacrorum praeparatoria, ut pulsare campanas, ornare templum, verrere ecclesiam, construere altaria pro processionibus, etc.; non vero quae *remote*, utputa reficere aedes sacras; ornamenta conficere, nisi pia loca egestate laborent, et haec gratis fiant. **Resol. 6.** Ratione **consuetudinis** licet tondere barbam et capillos; curare quae ad domus nitorem pertinent, ut sternere cubicula, verrere domum, lavare vasa, etc,; legere uvas, decerpere fructus, ut integriores serventur; contractus inire, nundinari, vendere et emere domi, imo in officinis publicis, si agatur de esculentis, et poculentis deque iis quae definitum pretium habent. **Resol. 7.** Laborantes serviliter excusantur ratione **dispensationis.** Haec autem dari potest ab episcopo, sed ex justa causa : alias in festis suae dioecesis propriis erit illicita, in ceteris irrita. Absente episcopo dari potest a parocho, immo et praesente, sed parcius et singulis tantum (p. 161 seq.). **Resol. 8.** Ratione **parvitatis materiae** regulariter a lethali excusantur qui obeunt servilia magis ope animantium vel machinarum, quam sua : ut qui jumenta vel currus onustos agunt, vehunt, si his onerandis exonerandisque egeant modico tempore, sive iter prosequi, sive aggredi velint; item qui molunt, dummodo mola non bestiis, sed aqua agatur aut vento; immo etsi bestiis, si modica egeat molitoris opera. Accedente autem consuetudine aut alia justa causa, ab omni peccato immunes erunt. Quod autem per se illicitum sit per *bestias* operari, non vero

per *fatuos*, ratio est : quod equi v. g. laborare non possint absque ductu et ope illius qui lege ecclesiastica adstringitur ; secus de fatuis quibus sufficit mandatum applicantis (pag. 128). Cfr. S. Lig. (III. 288-304) ; D'Annib.

PARS SECUNDA.

DE PRAECEPTIS SECUNDAE TABULAE, SEU DE OFFICIIS ERGA PROXIMUM.

DE QUARTO PRAECEPTO.

« *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram* » (Exod XX, 12).

CAP. I. De natura illius praecepti.

Q. 118. *Quodnam* sit QUARTUM decalogi *praeceptum* ?

R. Hoc praeceptum, quod est primum secundae tabulae, hisce verbis enuntiatur : « *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram.* » Itaque *primario* et *directe* respicit obligationes filiorum erga parentes carnales ; *secundario* et *implicite* obligationes parentum erga filios, nec non obligationes aliorum inferiorum erga superiores et superiorum erga inferiores.

Explanatur. Quamvis nomine *Patris* et *Matris* ii **primario** intelligantur a quibus vitam carnalem *immediate* vel *mediate* accepimus, ut sunt Pater, Mater, Avus, Abavus et alii ascendentes per lineam rectam, ex communi tamen DD. sententia quam approbat Cat. Rom., nomine *Patris* et *Matris* etiam, sed **secundario,** intelliguntur omnes alii superiores tum spirituales, tum civiles, utpote qui paternae dignitatis et auctoritatis quodammodo sunt participes. Et quoniam obligationes parentum et superiorum correlativae sunt ad obligationes filiorum et inferiorum, hinc quamvis *directe* seu *explicite* tantum praecipiatur pietas liberorum erga parentes, *implicite* tamen praecipitur pietas parentum erga liberos et aliorum superiorum circa eos qui suae potestati subjiciuntur. Nec **obstat** quod nulla fiat mentio amoris parentum erga filios : « quia, ut ait Giribaldi, hoc non fuit necessarium, cum natura ipsa sufficienter inclinat parentes in honorem et amorem filiorum. »

Scholion. Propter adjectam **promissionem,** illud praeceptum vocatur ab Apostolo (Ephes. VI, 2) : « *Mandatum* PRIMUM *in promissione.* » Non quasi hoc solum haberet sibi promissionem junctam, sed quia habet promissionem *specialem*, cum alia solum habeant promissiones *generales*. Quocirca notat S. THOM. (2. 2. q. 122, a. 5, ad 4 : « *Quod longaevitas promittitur honorantibus parentes non solum quantum ad* FUTURAM VITAM, *sed etiam quantum ad* PRAESENTEM, *secundum illud Apostoli* (I Tim, IV, 8) : Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae. *Et hoc* RATIONABILITER. *Qui enim est gratus beneficio, meretur secundum quamdam congruentiam ut sibi beneficium conservetur ; propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficium perdere. Beneficium autem vitae corporalis post Deum a parentibus habemus, et ideo ille qui honorat parentes, quasi beneficio gratus, meretur vitae conservationem ; qui autem non honorat parentes, tanquam ingratus, meretur vita privari,* » Cum autem contingat aliquando quod hi qui honorant parentes, cito moriuntur, et e contrario qui parentes non honorant, diu vivunt, ideo addit S. THOM. : *Quia tamen praesentia bona vel mala non cadunt sub merito vel demerito, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem, ut dictum est* (pag. 75), *ideo quandoque secundum occultam rationem divinorum judiciorum, quae maxime futuram remunerationem respiciunt, aliqui qui sunt pii in parentes, citius vita privantur ; alii vero qui sunt impii in parentes, diutius vivunt.* » Itaque in filiis piis in parentes et praemature morientibus verificatur nihilominus divina promissio, vel quia longior vita non esset ipsis salutaris, vel quia consequendo vitam aeternam eminenter accipiunt vitam temporalem, sicuti ille, cui argentum promissum est, illud eminenter accipit, dum datur illi aurum.

CAP. II. De obligationibus filiorum erga parentes.

Q. 119. Ad *quid* vi QUARTI praecepti obligentur *filii* erga *parentes?*

R. Filii parentibus debent PIETATEM, ad quam ex S. THOM. (2. 2. q. 101, a. 1), « *pertinet exhibere* CULTUM *parentibus* et *patriae,*» qui CULTUS *quatuor* complectitur : 1°) AMOREM, ratione *causae,* quatenus parentes sunt post Deum principium

nostri esse; 2°) REVERENTIAM, ratione *praeeminentiae*, in quantum sunt superiores nostri; 3°) OBEDIENTIAM, ratione *regiminis*, in quantum sunt rectores a Deo nobis deputati; 4°) SUBSIDIUM, ratione *necessitatis*. Inter quae haec est differentia, ut notat S. THOM. (ibid. a. 2, et q. 122, a. 5 ad 3) : quod parentibus « *in quantum hujusmodi* » i. e. qua talibus, debeatur AMOR, REVERENTIA et OBEDIENTIA; sed SUBSIDIUM debeatur *per accidens* tantum, seu « *ratione alicujus accidentis, puta, in quantum sunt indigentes, vel servi, vel aliquid hujusmodi.* »

Resolvitur 1. Hinc specialiter peccant contra virtutem PIETATIS, et quidem graviter, supposita deliberatione et gravitate materiae : *defectu* **amoris**, dum parentes interius odio, contemptu, indignatione persequuntur, de eorum adversis gaudent, de prosperis dolent, malum v. g. mortem optant, licet non ut malum parentum, sed ut bonum proprium, ut scilicet haereditate potiantur, a vexationibus eorum liberentur; patet ex prop. ab INNOC. XI damnata sub n. 14 : « *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas* » (Cfr. pag. 215). **Resol. 2.** Peccant *defectu* **reverentiae** : qui in patrem vel matrem manus considerato levat, quasi percussurus; qui eos criminum accusat, excepto crimine laesae majestatis, sive divinae per haeresim, sive humanae per conspirationem aut proditionem adversus principes, quando aliud remedium inveniri non potest; qui eos praesentes ridet, subsannat, ore tenus maledicit aut verbis contumeliosis appellat, quique demum aspicit torvis oculis vel passim aspere adloquitur, vel nullum benevolentiae signum ostendit; item qui ad munus aliquod vel dignitatem evecti eos non agnoscunt quasi parentes, nisi forte ex justa causa et tantum exterius se filios dissimulent, ut si ex agnitione sequeretur filio grave damnum sive in vita, sive in bonis fortunae, sive in honore, puta si pater esset publico supplicio affectus aut gravissimi criminis reus. **Resol. 3.** Peccant *defectu* **obedientiae** : qui eis non obtemperat in his quae ad domesticam gubernationem et oeconomiam, vel ad bonos mores ipsorum pertinent, dummodo tamen serio praecipiant et in re gravi; unde non raro filiorum inobe-

dientia excusabitur sive a peccato *gravi* ob materiae parvitatem, sive ab *omni culpa* ob defectum praecepti rigorosi a parte parentum, qui saepe suadent ac sollicitant mentemque suam indicant, potius quam praecipiant. Quare agere contra monitiones et directiones ordinarias parentum, etsi aliquando sit peccatum, quando scilicet res aliunde debet fieri vel omitti, non erit tamen peccatum inobedientiae. In aliis vero, ad quae non se extendit paterna potestas, filii parentibus non subjiciuntur et ideo obedire non tenentur in iis quae sunt mala aut illicita, ut si parentes imperarent duellum, furtum, contractus pravos, comoedias et alia similia; nec in iis quae pertinent ad electionem status sive ecclesiastici, sive religiosi, sive coelibatus, sive nuptiarum : quia ex S.Th. (2.2.q.104, a. 5 et *suppl.* q. 47, a. 6 liberi in eligendo statu vitae sui juris sunt, nec a parentibus per se loquendo impediri possunt. **Resol. 4.** Peccant *defectu* **subsidii** : dum parentibus graviter indigentibus, si possunt, non subveniunt; praetextu religionis ingrediendae eos in necessitate deserunt; infirmos, afflictos aut senio confectos non visitant et non consolantur; a fortiori peccant, qui eis extremo morbo laborantibus non curant sacramenta conferri, vel mortuos tradi sepulturae ac pro eorum animabus aliquod sacrificium offerri. Quod autem diximus de PIETATE *parentibus* debita, idem dicendum est de PIETATE exhibenda ceteris *ascendentibus*, imo *fratribus* et *sororibus*, propter communitatem sanguinis.

CAP. III. De obligatione parentum erga filios, ubi de scholis, quas neutras appellant.

Q. 120. Ad *quid* obligentur *parentes* erga *filios?*

R. Parentes debent filiis : tum AMOREM, scilicet *internum*, *externum* et *ordinatum*, tum EDUCATIONEM duplicem, *temporalem* et *spiritualem*. PRIMA importat *providentiam victus* et *status*. SECUNDA *instructionem*, *exemplum* et *correptionem*. Ad haec tenentur parentes ex PIETATE, quoniam correlativae sunt obligationes parentum ad obligationes filiorum, ita ut defectus in hac materia, si sint peccaminosi, praeter malitiam communem induant malitiam specialem contra virtutem PIETATIS.

Resolvitur 1. Peccant *defectu* **amoris** : si filios odio pro sequuntur ; mala ex animo imprecantur ; omnia ipsis concedunt aut permittunt ; vel dum uni totum affectum impendunt, alios ut adulterinos vel extraneos despiciunt. **Resol. 2.** Peccant *defectu* **educationis temporalis** : qui sedulo non cavent quidquid abortus periculum praestat ; qui proles exponunt publicis locis misericordiae causa aedificatis, nisi id fecerint ex gravi causa ; qui ipsis non ministrant necessaria ad victum et amictum juxta suum statum ; qui non curant ut addiscant disciplinam qua honeste vivant ; qui omnia dilapidant prolesque miseras relinquunt. Ut autem hic notant DD., mater filiolos proprio suo lacte nutrire tenetur sub levi, nisi necessitas, notabilis utilitas aut consuetudo apud magnates, eam excuset ; sed in hoc casu, *sub gravi* tenetur sibi substituere nutricem bonam quoad mores et valetudinem. **Resol. 3.** Peccant *defectu* EDUCATIONIS **spiritualis** : si per se vel per alios non instruant filios in necessariis ad salutem ; si eos honestis moribus imbuere, a malis sociis vel peccandi occasionibus avocare non satagant ; in domibus suspectis habitare permittant ; aut sine gravi causa, periculoque manente proximo, liberos suos hisce scholis instituendos tradant, in quibus datur, « *ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta ;* » si eis scandalum afferant, blasphemias vel verba obscena proferendo, etc. ; si delinquentes raro, aut indulgentius quam par est, corripiant, vel contra continuo in omnibus reprehendant ex ira potius quam charitate.

Scholion 1. Merito damnata fuit in SYLL. haec propositio sub n. XLVIII : « *Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectat.* » Est enim haec juventutis instituendae ratio « *etiam* EX SE *periculis plena ac perquam adversa rei catholicae,* » ut declaravit *Inst.* S. C. *de Propag. Fid.* a PIO IX approb. (24 Nov. 1875) ap. N. R. T. (X, 18 seqq.). Quod nuperrime confirmavit Magnus LEO XIII in Enc. « *Nobilissima* » (8 Febr. 1884), haec inter alia pronuntians : « *Interest quam maxime susceptam e conjugio christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudiri ; et eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, cum institutione religiosa esse* CONJUNCTAS.

Alteras SEJUNGERE *ab altera idem est ac reipsa velle, ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur : quae disciplina* FALLAX *est, et praesertim in primis puerorum aetatulis* PERNICIOSISSIMA, *quod revera viam atheismi munit, religionis obsepit.* » Unde quoque addit idem Pontifex : « *Ecclesia... semper scholas quas appellant* **mixtas** *vel* **neutras** *aperte* DAMNAVIT, *monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum.* » Quam *damnationem* renovat in Enc. « *Quod multum* » ad Episc. Hungariae 22 Aug. 1886). Cum igitur scholae publicae, quas NEUTRAS, MIXTAS seu LAICAS ideo nuncupant, quod sub praetextu libertatis diversorum cultuum omnem doctrinam religionis ex professo excludant, ab Ecclesia fuerint *damnatae*, utpote *ex se* seu *intrinsece* malae, patet ab earumdem frequentatione generatim esse abstinendum, etsi non omnes aequale periculum adferant. **Hinc 1. Parentes** eorumve locum tenentes, qui aut **1°**) suos liberos frequentare sinunt tales scholas NEUTRAS « *in quibus animarum ruina evitari non potest,* » i. e. quae sunt *positive* noxiae, « *velut quoties ibi aut docentur quaedam aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria ;* » aut qui **2°**) licet schola in eodem loco idonea adsit, aut facultatem habeant in alio loco prolem catholice educandi, nihilominus committunt scholis NEUTRIS, non quidem positive, sed *negative* noxiis, i. e. in quibus nihil fidei aut moribus contrarium docetur, « *sine sufficienti causa* » ac « *sine necessariis cautionibus quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat,* » tales, inquam, parentes, « *si contumaces fuerint, absolvi non posse in sacramento poenitentiae, ex doctrina morali catholica manifestum est.* » uti declaravit eadem citata *Instructio*. **Hinc 2.** Quod ad **magistros** attinet, nefas est fungi officio docendi in scholis NEUTRIS, si sint *positive* noxiae, i. e. si praelegendi sint libri fidei moribusve contrarii ; secus, *per se loquendo,* si omnes noxii libri excludantur : quia munus magistri non importat approbationem methodi quae in scholis NEUTRIS adhibetur, et religiosa institutio ex sola necessitate omittitur ; quin imo, noxium foret, si hocce modo non liceret catholicis eo fungi officio. Dixi : *per se loquendo ;* nam excipe : si et quatenus episcopus id prohibuerit. Possunt enim episcopi in aliqua regione ob bonum commune omnes omnino scholas NEUTRAS prohibere, aut easdem nonnisi sub certis conditio-

nibus tolerare, ut si v. g. praeviderent, hujusmodi scholas brevi evasuras omnes *positive* noxias; vel alumnos, etiamsi positive noxiae non forent, spiritu tamen irreligioso imbuendos, eo ipso quod noverint scholas illas ab eorumdem auctoribus ad religionis subversionem fuisse erectas. Jam vero lex fundata *in praesumptione periculi universalis* obligat eique parendum est, licet periculum cesset in re praesenti : quia motivum adaequatum legis adhuc subsistit (pag. 141 et S. Lig. I, 100). **Hinc 3.** Non licet munus **inspectoris** suscipi, si agatur de scholis NEUTRIS quae sunt *positive* noxiae, quia vi muneris inspectores cooperantur ad malum. Excipe tamen, si sit spes fundata fore, ut tali munere auctus posset quis eas suo influxu notabiliter minus damnosas reddere, quo in casu malum pro viribus impediret, quod bonum est. Secus dicendum, casu episcopalis prohibitionis excluso, si scholae non sint positive noxiae; quin et laude digni sunt, qui eo fine munus acceptant, ut libri et magistri, fidei aut moribus periculosi, a schola arceantur. **Hinc 4.** Demum quod scholas publicas attinet, **normales** nuncupatas, in quibus juvenes ad munus magistri in scholis publicis aliquando obeundum informantur, patet iterum eas adiri non posse, si sint *positive* noxiae; secus dicendum, extra casum tamen episcopalis prohibitionis, si sint tantum *negative* noxiae, et alumni sibi firme proponant in officio magistri obeundo ab iis abstinere, a quibus magister catholicus abstinere debet.

Scholion 2. Circa frequentationem **universitatum acatholicarum** instructio prodiit ex S. C. DE PROP. FIDE (6 Aug. 1867) ap. N. R. T. (XVII, 440), in qua legitur : « *In re de qua agitur, cui, ex summi Pontificis declaratione, intrinsecum gravissimumque inest periculum, non pro morum tantum honestate sed praesertim pro fide, quae ad salutem omnino est necessaria, quis non videt* VIX AUT NE VIX QUIDEM *dari posse adjuncta illa in quibus absque peccato acatholicae universitates frequententur? Levitas ingenii atque instabilitas adolescentium, errores, qui quasi cum aura in dictis institutis hauriuntur absque antidoto solidioris doctrinae, maxima vis quam in juvenes exercent humani respectus ac sodalium irrisiones, tam praesens tamque proximum in adolescentes inducunt labendi periculum, ut nulla* GENERATIM *sufficiens ratio concipi queat, propter quam adolescentes acatholicis universitatibus committantur.* »

CAP. IV. De obligationibus inferiorum erga superiores.

Q. 121. Ad *quid* obligentur *inferiores* erga *superiores?* R. Inferiores seu subditi debent superioribus, tanquam auctoribus gubernationis, OBSERVANTIAM, quae ex S. THOM. (2. 2. q. 102, a. 1, est virtus specialis, sub PIETATE contenta, per quam personis in dignitate constitutis honorem et obedientiam exhibemus, non in omnibus quidem, sed in iis ad quae eorum potestas et officium se extendunt, adeo ut peccent contra superiores eo proportionali modo, quo dictum fuit filios peccare contra parentes, eos odio, contemptu, injuriis, subsannationibus, verberibus, etc., afficiendo, et iis inobediendo intra limites suae potestatis. Et si peccatum sit *mortale*, debet haec circumstantia superioritatis exprimi in confessione, quia est speciale peccatum contra OBSERVANTIAM.

Explanatur. Nomine **superiorum**, quos respicit OBSERVANTIA, veniunt : 1° *Superiores temporales*, quales sunt reges, principes, gubernatores, magistratus et similes, qui jure aliis praeficiuntur in ordine ad bonum publicum. 2°) *Tutores* et *curatores*, qui jure et loco parentum succedunt quoad educationem minorum et pupillorum et bonorum illorum administrationem. 3°) Qui dicuntur *patres spirituales* : episcopi, pastores et patrini. 4°) *Magistri*. 5°) *Heri*. 6° *Maritus* respectu uxoris et *uxor* respectu mariti, quantum ad debitum conjugale. 7°) *Senes*.

Scholion. Ex Encycl. LEON. XIII « *Rerum novarum* » 15 Maii 1891) ap. N. R. T. (XXIII, 244 seqq.), inter obligationes inferiorum erga superiores, illae **proletariorum** atque **opificum** attingunt : 1° « *Quod libere et cum aequitate pactum opere sit, id integre et fideliter reddere.* » 2°) « *Non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum.* » 3°) « *In ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam.* » 4°) « *Nec commisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose jactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes.* »

Q. 122. An aliquando *licitum sit* : 1°) NON OBEDIRE *auctoritati temporali* ; 2°) REBELLARE?

R. Ad 1um) Sicut evidens est ex doctrina S. Th. et Leon. XIII (p. 122), *nunquam* OBEDIENDUM esse auctoritati humanae in iis quae evidenter *contra legem* Dei sunt; ita est *omnino* OBEDIENDUM Principibus, etiam *discolis*, et qui sua auctoritate abutuntur, in iis quae *per se* licita sunt; excepto casu quo, licet nihil mali praecipiat, lex tamen esset evidenter contraria bono communi, quod praesertim accidere potest, quando non servat *justitiam distributivam*, ita ut cederet in grave et injustum onus *magnae partis* civium.

Explanatur. Dico : **magnae partis**; nam si tantum *quidam* subditi plus aequo gravarentur, lex non censetur injusta, cum non possibilis sit omnimoda proportio, et consequenter legi parere tenentur non tantum non gravati, sed etiam injuste gravati, saltem vi legis naturalis jubentis ut quis, ad vitanda scandala vel perturbationem in societate, aliquid propter bonum commune cedat de jure suo proprio.

R. Ad 2um) Nunquam omnino licitum est « *proprio marte* » REBELLARE, etiamsi regimen Principis esset tyrannicum. Quod hisce verbis declarat Leo XIII in Enc. « *Quod Apostolici muneris* » (28 Dec. 1878) : « *Si tamen quandoque contingat temere et ultra modum publicam a Principibus potestatem exerceri, catholicae Ecclesiae doctrina in eos insurgere* PROPRIO MARTE *non sinit, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas majus exinde detrimentum capiat.* »

Explanatur. Dicitur : « **proprio marte,** » i. e. privata auctoritate; nam, ut recte scribit Bill. : « Notant Auctores posse *Rempublicam* contra nimis insolentem Tyrannum, congregatis regni comitiis procedere, ipsum deponere aut occidendum proscribere, si aliter occurri non possit. Quia, inquiunt, rex habet a *Republica* auctoritatem regiam, non in destructionem, sed in aedificationem et conservationem, per quam proinde potest tolli, si in apertam perniciem vergat. » Et hanc esse sententiam S. Thom. (1),

(1) Opusc. *de regim. princ.* lib. 1, c. 6. Quod praeclarum opus gallice vertit : Isid. Van Overstraeten, vir ingentis ingenii, de patria, religione et scientiis optime meritus, qui ortus Lovanii 1817, Pisis obiit 1878.

quam et exemplis illustrat, negari non potest, quidquid hac de re autumaverint nonnulli cum S. Lig. (H. A. VIII, 13). «Verum, addit Bill., saepe mala, ipsa tyrannide majora, ingruere solent : quapropter potius patienter toleranda est oppressio, et ad Deum recurrendum.» Unde quoque suis citatis verbis incontinenter subjungit Leo XIII : «*Cumque res eo devenerit, ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae patientiae meritis et instantibus ad Deum precibus remedium esse maturandum.*» Cui sententiae praiverat S. Thom. *ibid.*, inquiens : «*Quod si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum ad regem Deum, qui est adjutor in opportunitatibus... Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem.*»

Resolvitur. Merito damnata fuit in Syll. haec propositio sub n. LXIII : «*Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare, licet.*» Item jure ut haeretica proscripta fuit in Conc. Constans. (Sess. 15 sequens propositio : «*Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque praestito juramento, seu confoederatione facta cum eo, non exspectata sententia vel mandato judicis cujuscumque.*»

CAP. V. De obligationibus superiorum erga inferiores.

Q. 123. *Quaenam* sint obligationes *superiorum* erga *inferiores?*

R. Sunt generatim eaedem, data proportione et modificatione debita, ac obligationes *parentum* erga *filios*. Unde si illorum defectus in hac materia sint peccaminosi, praeter malitiam communem, specialem adhuc contrahunt contra JUSTITIAM : quia ad has obligationes tenentur ex officio.

Resolvitur. Hinc 1°) *Superiores temporales* debent suis exemplo praelucere, leges tantum ferre pro communi subditorum utilitate, omnibus justitiam recte administrare, Ecclesiam Christi defendere, mores christianos conservare et pravos exstinguere. 2°) *Superiores spirituales* debent pascere exemplo conversationis, verbo praedi-

cationis, et fructu orationis. 3°) *Tutores* tenentur procurare educationem, gerere curam bonorum pupilli sui. 4°) *Magistri* debent discipulis amorem, doctrinam sanam, correctionem et bonum exemplum. 5°) *Heri* tenentur famulos benigne tractare, instruere et corripere, justum pretium eis solvere. 6°) *Maritus* debet uxori curam et gubernationem in his quae spectant salutem et rei domesticae administrationem. Et *uxor* ex sua parte debet in his obedientiam marito.

Scholion 1. Ex citata supra (pag. 425) encyclica « *Rerum novarum* » inter obligationes superiorum erga inferiores, ista ad **divites** spectant ac **dominos** : 1° « *Non habendos mancipiorum loco opifices.* » 2° « *Vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque.* » 3° « *Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex ; non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi, neque ullo pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere.* » 4° « *Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat.* » 5° « *In maximis autem officiis dominorum illud eminet, justa unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex aequitate modus, caussae sunt considerandae plures ; sed generatim locupletes atque heri meminerint, premere emolumenti sui caussa indigentes ac miseros, alienaque ex inopia captare quaestum, non divina, non humana jura sinere. Fraudare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e coelo ultrices clamore devocat.* Ecce merces operariorum... quae fraudata est a vobis, clamat ; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. » 6° « *Postremo religiose cavendum locupletibus ne proletariorum compendiis quicquam noceant nec vi, nec dolo, nec fenebribus artibus ; idque eo vel magis quod non satis illi sunt contra injurias atque impotentiam muniti, eorumque res, quo exilior, hoc sanctior habenda.* »

Scholion 2. Ex eadem Encycl. « *Rerum novarum* » quod *justum* **pretium** attinet operariis solvendum, haec **duo** veniunt notanda. A Imprimis **rejicitur** sequens propositio : « *Videlicet salarii definitur libero consensu modus : Itaque dominus rei, pacta mercede persoluta, liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri injuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret : his caussis rectum esse potestatem politicam intercedere, ut suum cuique jus incolume sit, sed praeterea nullis.* » Tum **norma justi pretii** sequentibus verbis stabilitur : « *Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant : subest tamen semper aliquid* EX JUSTITIA NATURALI, *idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius, scilicet* ALENDO OPIFICI, FRUGI QUIDEM ET BENE MORATO, HAUD IMPAREM ESSE MERCEDEM OPORTERE. *Quod si necessitate opifex eo actus aut mali pejoris metu permotus duriorem conditionem accipiat; quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui justitia reclamat.* » Porro circa hanc propositionem ab Em. Card. Goossens, Arch. Mechl., (quem pro Ecclesiae, societatis ac studiorum bono diutissime Deus incolumem sospitemque conservet, **tria dubia** fuerunt proposita, quibus jussu Pont. Max. Leonis XIII a Theologo Romano (quem referunt esse Em. Card. Zigliara Ord. Praed.) responsum fuit in litteris datis ab Em. Card. Rampolla, Secret. Status (25 Sept. 1891). Haec dubia cum responsionibus harumque explanationibus, prout reperiuntur ap. N. R.T. (XXIV, 287 seqq., pro rei gravitate miraque in dicendo perspicuitate, in subjecta nota (1) ex integro retulimus. Ut autem legenti patebit, doctrina S. Thom. solutionem praestitit.

(1) **Dubium I.** — Num verbis : « *justitia naturalis* » intelligitur justitia commutativa, an vero aequitas naturalis ?

Ad dub. I. — *Per se loquendo intelligitur justitia commutativa.*

Explanatio. — Equidem opus operarii plurimum differt a mercimonio, sicut merces differt a pretio. Opus enim operarii est opus procedens a libertate humana, iduens propterea rationem meriti et juris ad mercedem, seu praemium ; et ideo longe nobilius mercimonio et pretio, quae sola permutatione absolvuntur. Nihilominus, gratia perspicuitatis opus operarii consideratur ut quaedam merx, et praemium, seu merces, ut quoddam pretium. — Nec immerito : nam licet opus operarii nobilius quid sit merce, totam tamen retinet rationem mercis, ex qua parte haec dicit ordinem ad pretium. Rectissima ergo est ratiocinatio **S. Thomae,** I-II, Q. CXIV, art. 1 : « Id enim merces dicitur quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ejus. Unde sicut reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo est actus justitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus justitiae. » Actus justitiae, inquam, commutativae. Sicut enim emptio et venditio, ita opus et merces pro communi utilitate contra-

DE QUINTO PRAECEPTO.

« *Non occides* » (EXOD. XX, 13).

CAP. I. De natura illius praecepti.

Q. 124. *Quid* importet QUINTUM decalogi *praeceptum?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Quatenus **negativum** prohibet *directe* et *explicite* homicidium, i. e. injustam tam *proximi* quam *sui ipsius* occisionem ;

hentium sunt, dum scilicet unus indiget re vel opera alterius et e converso. Quod autem est pro communi utilitate, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius, et ideo debet secundum aequalitatem rei, quae est proprietas justitiae commutativae, inter dominum et operarium contractus justitiae institui (Cf. II-II, Q. LVII, art. 1.). — Quod si quaeratur criterium, quo statui debeat illa aequalitas rei inter opus manuale operarii et mercedem dandam a domino, respondemus : criterium illud in Encyclica dicitur petendum esse ex operarii fine immediato, qui imponit ei naturale officium seu necessitatem laborandi, ex victu nempe et vestitu ad convenienter vitam sustentandam, et ad quem primo et principaliter labor manualis ordinatur. (*Ib.*, Q. CLXXXII, art. III.) Quoties igitur opus tale sit, quod operarius per ipsum satisfaciat praedicto suo officio naturali consequendi finem immediatum laboris sui, ac merces ad consequendum hunc finem, victum nempe ac vestitum convenientem, impar sit ; per se loquendo et considerata rerum natura, habetur objectiva inaequalitas inter opus et mercedem, et ideo laesio justitiae commutativae. — Duo tamen hac in re sunt generatim consideranda. Alterum est quod sicut pretium rerum venalium non est punctualiter determinatum a lege naturae, sed magis in quadam communi aestimatione consistit, ita et de mercede generatim est dicendum. Unde firma manente exigentia ex ratione finis, victus nempe ac vestitus convenientis, mercedi operarii ex communi aestimatione fit, aut saltem fieri potest, salva justitia, modica additio vel diminutio ex publica aestimatione, non videtur tollere aequalitatem justitiae (II-II, Q. LXXVII, art. 1, ad 1.). Alterum est quod in assignanda aequalitate justitiae inter mercedem et opus manuale, non solum attenditur a communi aestimatione tum qualitas tum quantitas operis, sed etiam tempus durationis ejus, item pretia rerum quae emi ab operario debent, ad convenientem victum et vestitum ; quae pretia non sunt ubique eadem. — Quod si denique sine laesa justitia erga operarium, juxta dicta, multum juvatur herus ex opere ejus, potest hic quidem, propria sponte ac laudabiliter, aliquid operario supererogare, sed hoc pertinet ad ejus honestatem quin teneatur ex justitia. Valent scilicet in re nostra principia quae dantur pro justa emptione et venditione. (*Ibid.*, in corp. art.)

Dubium II. — An peccabit herus qui solvit quidem mercedem opificis sustentationi sufficientem, imparem ipsius familiae alendae, sive haec constet uxore et numerosa prole, sive haec non ita numerosa sit? Si affirmative, contra quamnam virtutem ?

Ad dub. II. - *Non peccabit contra justitiam, poterit tamen quandoque peccare vel contra charitatem, vel contra naturalem honestatem.*

Explanatio. — Ex hoc ipso quod, juxta declarata in responsione ad primum dubium, aequalitas mercedis et operis observatur, plene satisfit exigentiis justitiae commutativae. Opus autem est opus personale operarii et non familiae ipsius, nec ad familiam ipsam refertur primo et per se, sed secundario et per accidens, quatenus mercedem acceptam operarius cum suis distribuit. Sicut ergo famil a opus, in casu, non auget, ita ex justitia non requirit ut merces debita operi ipsi augeatur. — *Poterit tamen peccare contra charitatem*, etc.; at non generatim et per se, sed per accidens, et in aliquibus casibus Unde in responsione dictum est : « quandoque. » — *Contra charitatem*, non solum modis illis omnibus quibus homo circa charitatem erga proximum peccare potest, sed peculiari etiam modo. Etenim opus operarii cedit in emolumentum heri. Quoties ergo hic ad exercenda charitatis officia in singulis casibus ex praecepto charitatis adigitur, ordinem etiam charitatis observare tenetur. Qui quidem ordo proximiores facit hero operarios diuturnum opus exercentes in ejus utilitatem, quam pauperes alios nihil pro ipso agentes Quocirca herus potens charitatis officia exercere operarios suos praeferre debet, eis ex charitate elargiendo, quod justitia minime exigit, ut merces sic aucta ex charitate, sustendandae familiae etiam operarii minus insufficiens evadat. Haec autem generice et quasi theorice sunt habenda ; in praxi enim non temere judicandum est an herus peccet vel non peccet contra charitatem. — *Contra honestatem*, cujus proprium est retribuere sponte scilicet et non ex justitia. Nolumus intelligere hic honestatem gratitudinem inducentem ex beneficio accepto ; opus enim operarii non est beneficium, quia mercede secun-

indirecte vero et *implicite* omnem injustam laesionem, vulnerationem aut mutilationem corporis sive *proprii*, sive *alieni*, et consequenter ea omnia quae proxime ad haec disponunt, ut *odium*, *dissentiones*, *rixas*, etc., juxta illud (1 Joan. III, 15) : « *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* » Unde quoque ait S. Thom. (2. 2. q. 122. a. 6 ad 2 : « *Omnia nocumenta quae in personam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in* HOMICIDIO *sicut in principaliori.* » Quatenus vero *virtualiter* est **positivum**, praecipit vitae conservationem necnon virtutes supradictis peccatis oppositas : *mansuetudinem*, scilicet, *patientiam*, *pacem*, *beneficentiam*, etc.

Q. 125. *Quotuplex* sit HOMICIDIUM?

R. Multiplex distinguitur : 1°, Ratione *causae*; 2°) ratione *circumstantiarum*.

Explanatur. 1° Ratione **causae** : aliud est *casuale*, quod casu accidit, absque ullo influxu voluntatis, ut si venator volens occidere feram, occidit hominem, quem inculpabiliter nescivit ibi esse; et aliud *voluntarium*, et hoc quidem vel *directum* vel *indirectum*. 2°) Ratione **circumstantiarum** : aliud est *simplex*, nullam peculiarem deformitatem habens, et aliud *qualificatum*, aliam nempe peccati speciem adnexam habens. Hujusmodi est : A) *Sacrilegium*, sive ratione personae occisae, sive ratione loci, in quo fit occisio. B) *Parricidium* seu caedes ascendentium et descendentium, ad quod reducuntur : *Fratricidium*, *Conjugicidium* et *Regicidium*, quae omnia specialem malitiam habent contra virtutem pietatis et

dum aequalitatem rei compensatur; sed quod herus ex opere operarii magnum beneficium et emolumentum percipit, quando reapse percipit, et ideo ex quadam naturali honestate recompensare per supererogationem quodammodo tenetur sicut in resp. ad I, § « Quod si denique », nullo tamen jure in operario ad illam supererogationem existente, ut patet.

Dubium III. — An et qua ratione peccant heri, qui, nulla vi aut fraude utentes, minus dant salarium, quam opera praestita meretur, ac honestae sustentationi sufficit, ideo quod plures operarii sese offerunt, qui parvo illo stipendio contenti sunt seu in illud libere consentiunt?

Ad dub. III. — *Per se loquendo peccant contra justitiam commutativam.*

Explanatio. — Dictum est quod opus operarii, quamvis merx proprie non sit, merci tamen, perspicuitatis gratia, comparari potest, quia in ordine ad mercedis aequalitatem habet totum id quod habet merx ad pretium, et aliquid etiam amplius. Unde recta instituitur argumentatio a minori ad majus. Atqui in emptione non licet, per se loquendo, emere rem minus quam ex communi aestimatione, spectata temporum ac locorum ratione, valet. Ergo a fortiori neque licitum est, sed est contra justitiam, minus dare salarium quam praestita opera meretur, id est honestae sustentationi sufficit. De hoc dubio videatur Encyclica, p. 38 et 39, — Dixi « per se loquendo »; per accidens possunt dari casus particulares, in quibus heri conducere licite valent operarios inadaequata mercede contentos. Puta si herus aut nullum aut omnino suae vitae convenienter sustentandae insufficiens beneficium retraheret, si mercedem adaequatam largiretur, imo etiam damnum exinde caperet. Hoc enim in casu ac in similibus etsi quaestio sit prima facie de justitia, revera tamen est quaestio magis de charitate, qua herus et sibi et aliis providet. (Cf. Expl. ad. 1ª dub., § Duo tamen).

observantiae. C. *Latrocinium*, i. e. occisio aut vulneratio ex praedandi voluntate, specialem habens deformitatem contra justitiam. D *Veneficium magicum*, cum nempe ope daemonis malum corporale aut etiam mors alicui infertur; quod addit speciem malitiae superstitionis contra virtutem religionis. Hisce homicidiis qualificatis accenseri solent : a) homicidium *proditorium (guet-apens)*, cum quis hominem occidit ex insidiis, ut cavere sibi non possit, vel sub specie amicitiae fallendo occidendum, ut infausta die (7 Sept. 1884. **Bruxellis** accidit; b *assassinium*, cum quis aliquem pretio conducit ad alterum occidendum; c) *veneficium simplex*, quo homo inscius veneno propinato occiditur. Hae tamen distinctiones quoad forum conscientiae circumstantiam mere aggravantem constituunt.

CAP. II. De occisione sui seu de suicidio.

Q. 126. An *licitum* sit *directe* OCCIDERE *seipsum?*

R. Ex S.Th. (2.2.q.64,a.5) *propria auctoritate* numquam licet seipsum *directe* OCCIDERE. Nam praecepto : «*non occides*,» omnis hominis, adeoque a fortiori sui ipsius OCCISIO prohibetur, nec licet auctoritate propria disponere de re, cujus aliquis non est dominus. Hinc non licet ad vitandum peccatum vel mortem acerbiorem se veneno perimere, nec militi licet seipsum occidere, ne ab hostibus crudeliter trucidetur.

Explanatur. Dixi : **propria auctoritate**; nam a) id licere *ex mandato vel certo instinctu Dei*, probant exempla Sanctorum, tum in Scripturis, tum in historiis sacris, veluti SAMSONIS, ELEAZARI, APOLLONIAE, etc.; b) utrum vero id liceat *auctoritate judicis*, v. g. si ille jubeat malefactori justa morte damnato, ut seipsum gladio trajiciat aut veneno perimat, disputatur (pag. 145). Alii *affirmant*, cum tunc seipsum occidens non se puniat ut judex, sed ut minister judicis auctoritate publica constitutus; alii communius *negant*, quia nihil probat Deum reipublicae dedisse potestatem imperandi, ut quis reus seipsum occidat, etiamsi ad exsequendam sententiam justam. Cfr. BILL.

Q. 127. An *liceat* se OCCIDERE *indirecte?*

R. Non licet *sine justa causa* se OCCIDERE *indirecte*, seu aliquid facere aut omittere, ex quo mors praevidetur secutura; bene vero *ex justa causa*.

Explanatur. *Ratio* **primi** est : quia, quod non licet facere directe, non licet per se facere indirecte, nisi justa causa excuset. **Hinc** peccant mortaliter : 1°) qui noxia ac vetita sumendo, aut intemperanter vivendo, mortem sibi causant, vel notabiliter ac vitiose accelerant. Peccant mortaliter : 2°) funambuli, gladiatores, tornatores, etc., artem suam cum certo periculo suae occisionis exercentes; non item si in illa sint periti. Peccant mortaliter : 3° qui in gravi ac periculoso morbo nolunt adhibere remedia ordinaria et commode parabilia; non item, qui nolunt uti mediis extraordinariis, insolitis, multumque difficilibus : aut ob cruciatum, v. g. abscissionem membri, aut ob pretium valde excessivum, aut ob alia gravantia, v. g. mutatione habitationis solitae, usu ciborum vel potus peregrini, assumptione status matrimonialis alias ingrati, et apud honestam puellam curatione admittenda in partibus verecundis. *Ratio* **secundi** est : quia, licet homo non sit dominus vitae suae, nullibi tamen prohibetur ex gravi causa vitam periculo exponere. **Hinc** 1°, *propter bonum commune* possunt milites se exponere evidenti periculo mortis, imo incendere navim, suffodere turrim, licet cum certa vitae propriae jactura, ne cum damno communi in manus inimicorum transeant. 2°) *Ad vitandam mortem certiorem*, v. g. grassante incendio, persequente inimico, potest quis e sublimi seipsum praecipitem dare, sperans utcumque hac ratione posse salvari. 3°, *Ad exercendam charitatem* potest quis non se defendere contra invasorem; item exponere se periculo mortis ad conservandam vitam temporalem amici et a fortiori Principis, conjugis, parentum, vel pro iis injuste ad mortem damnatis seipsum tradere occidendum. 4°) *Fidei christianae causa* possunt ad mortem damnati non fugere, tametsi via pateat ad fugiendum, ut de SS. Martyribus passim legitur. 5°) *Ex motivo virtutis* licitum est seipsum carnis afflictionibus macerare, quamvis praeter intentionem ideo vita forte abbrevietur; in quo tamen non licet imprudenter modum excedere, cum notabili vitae aut virium detrimento. Similiter potest virgo se exponere certo mortis periculo, ne violetur, etiamsi absit proximum consensus periculum. 6°) *Ex amore justitiae* licet reo non fugere, cum possit, et etiam se judici praesentare, ut puniatur, quamvis morte mulctandus sit. Cfr. p. 144; Bill.

Q. 128. An *liceat* se MUTILARE?

R. Extra casum necessitatis, illicitum est seipsum MUTILARE seu membro aliquo privare, sive per se, sive per alium fiat : quia nemo est membrorum suorum dominus, sed custos et usufructuarius.

Explanatur. Dixi : **extra casum necessitatis** ; necessitas enim mutilationem excusat, si v. g. fiat ad salvandum totum corpus alias periturum, licet membrum sit nocivum tantum extrinsece : v. g. alligatus es catenae et nisi abscindas manum, es igne comburendus vel aliter necandus. Ratio exceptionis ex S. THOM. (2. 2. q. 65, a. 1) est : « *Quod, cum membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis secundum quod expedit toti.* » Hinc potest quis, non tamen *tenetur* permittere abscindi sibi pedem, quamvis alioquin moriturus, si hoc fieri non possit sine magnis doloribus : quia non tenetur per tam extraordinaria media vitam conservare. — Equidem S. LIG. (III, 374) non rejicit ut improbabilem opinionem affirmantem : licitum esse ob vocis suavitatem conservandam indeque lucrum vel sustentationem acquirendam, **castrare** pueros, « *modo absit morale periculum vitae et non fiat pueris invitis.* » ET BENED. XIV (*De Synod.* l. XI. c. 7. n. 5-6), licet adhaereat opinioni, quam communiorem dixit, *ultroneam evirationem a peccato excusandam non esse*, tamen hortatur episcopos, ne ejusmodi cantores a choris musicis eliminando molestias et offensiones sine causa sibi parare velint.

Q. 129. *Quaenam* sint *poenae* canonicae seipsos OCCIDENTIUM vel MUTILANTIUM?

R. 1°) SUICIDAE, qui se deliberate occiderunt, carent sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem signa dederint poenitentiae. In dubio : an deliberate id fecerint, hoc praesumendum est, nisi contrarium probabile videatur, v. g. si mane suicida confessus fuerat, si tristitiae se dederat, etc., vel si antea fuerat vir spectatae virtutis et famae, de quo tale factum voluntarium prudenter praesumi non potest. E contra, in dubio : utrum ipsi se occiderint, de hoc constare debet evidentissime ; et hinc, si quis veneno interemptus, vel laqueo suspensus, vel in puteo submersus inveniatur, in dubio tenendum est, ab alio

fuisse interemptum, nisi graves conjecturae in contrarium praecessissent (Voit). R. 2° Quocumque casu ex mutilatione alterius incurritur irregularitas, etiam a fortiori incurritur ex mutilatione sui ipsius; imo hic minor sufficit mutilatio v. g. digiti, nasi, auriculae vel castratio sui ipsius praetextu castitatis servandae facta, aut, juxta communiorem, ad vocem conservandam. Certe tamen ex delicto mutilationis eam non incurrit mutilans se vel alium ex necessitate conservandae vitae, esto adhuc eam incurrere possit ex defectu corporis, ut si manus vel pes sibi amputatus sit.

CAP. III. De occisione proximi. Scilicet : 1° de occisione rei, seu malefactoris; 2° aggressoris; 3° innocentis, ubi de abortu.

Q. 130. *An* et *quibus* liceat OCCIDERE *malefactores?*

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 64, a. 3) est *in republica* potestas OCCIDENDI *malefactores*; quia hoc est necessarium ad salutem et conservationem illius. Sed, *extra casum necessariae defensionis*, nemini licet *auctoritate privata* OCCIDERE *malefactorem*. Constat ex propositione damnata ab Alex. VII sub n. 19 : « *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* »

Resolvitur. Hinc, si quae leges civiles illud videantur permittere, ut justae sint, debent ita intelligi, ut tantum liberent interfectorem a poena judiciaria ob justum dolorem et vehementem animi passionem.

Q. 131. An *liceat* OCCIDERE *tyrannum?*

R. 1°) Non licet, *proprio marte*, OCCIDERE tyrannum *regiminis*, i. e. legitimum principem, sed tyrannice regnantem, juxta dicta superius (p. 126 seq.). R. 2°) Nec licet sic OCCIDERE tyrannum *usurpationis*, si jam *in regni possessionem* venerit. R. 3°) Nec licet OCCIDERE tyrannum *usurpationis*, etiamsi *nondum* sit *in possessione regni*, nisi ex auctoritate legitimi Principis, aut ex justa defensione, aut in actu belli reipublicae adversus ipsum. Cfr. S. Th. (in 2. d. ult. q. 2, a. 2 ad 5).

Q. 132. Sitne *licitum* OCCIDERE *injustum* aggressorem *vitae suae* vel *alterius impotentis?*

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 64, a. 7) AFFIRMATIVE, modo quis *se defendere intendat* et servetur *moderamen inculpatae tutelae*, i. e. ea defensionis moderatio, ut non magis noceas adversario, quam necesse sit ad injuriam propulsandam. Nec refert aggressorem inde damnandum : non enim idcirco privaris jure te ipsum defendendi, neque teneris etiam ex charitate, cum vitae jactura, ipsius saluti consulere, cum in ejus potestate sit se salvare. Quod si tamen injustus aggressor non sit sui ipsius compos, utpote *ebrius* vel *amens*, et certo scias, quod rarissime eveniet, eum in statu peccati mortalis versari, cum tunc sit in extrema necessitate, charitas exigit, ut salutem ejus aeternam vitae tuae temporalis conservationi praeferas, modo moraliter credas, te esse in statu gratiae, et insuper prudens spes effulgeat, aggressorem, si ei parcatur, salutem consecuturum esse.

Explanatur. Dixi : 1°) *modo quis* **se defendere intendat** ; quia nullo modo possumus *intendere mortem* invasoris, neque *directe* ut medium, neque *indirecte* ut effectum. Dixi : 2°) **servato moderamine** *inculpatae tutelae ;* hinc, si vitam tuam satis tueri possis solis verbis, minis, imploratione auxilii, verberibus, vulneratione, aut mutilatione, respective ad id teneris. Similiter si potes fugere absque periculo quod fugiendo sis a tergo occidendus, teneris fugere, *saltem* si sine dedecore et magno incommodo possis ; quod addo, quia, « *si qui invaditur sit vir militaris aut nobilis, cui fuga esset ignominiosa, non tenetur fugere, neque incurreret irregularitatem, si invasorem occidat, quia non tenetur cum tanto suo damno mortem injusti invasoris vitare,* » inquit TABERNA S. J. Hanc sententiam vocat *communissimam* LACROIX (III, p. 1, n. 803 . Addit VOIT ex JANSEN : « Clericis vero, religiosis, imo laicis plebeiis fugere non est probrosum ; imo nemini, vel nobili, vel ignobili, fuga vitio vertitur, si aggressor sit amens, ebrius, pater, vel superior, ideoque tunc erit fugiendi obligatio. »

Resolvitur. Ex doctrina, quam hoc loco tradit S. THOMAS, desumptum est famosum TT. **axioma,** de quo supra (pag. 17 seq.)

Placeat doctrinam ejus ex integro audire : « *Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est praeter intentionem, cum sit per accidens.... Ex actu ergo alicujus seipsum defendentis duplex effectus sequi potest : unus quidem conservatio propriae vitae ; alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriae vitae, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet* in esse *quantum potest. Potest autem aliquis actus, ex bona intentione provenens, illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio ; nam secundum jura :* vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. *Nec est necessarium ad salutem ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius ; quia plus tenetur homo vitae suae providere quam vitae alienae. Sed quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate propter bonum commune,... illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem ; qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes et in ministro judicis pugnante contra latrones, quamvis etiam et isti peccent, si privata libidine moveantur.* »

Q. 133. Sitne *licitum* OCCIDERE *aggressorem bonorum fortunae?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°, Si ista bona sunt **extreme necessaria** ad vitam, licet. 2°, Si sunt bona **parvi momenti,** non licet ; patet ex prop. damnata ab INNOC. XI sub n. 31 : « *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* » 3°) Si sunt bona **magni momenti,** i. e. quae, spectatis circumstantiis, necessaria sunt pro sustentatione vitae vel saltem conservatione status, inter DD. *disputatur.* Alii **negant** cum BILL. Alii communius **affirmant** cum S. ANTON., SYLVIO, D. SOTO, SYLVEST., si adsint sequentes **conditiones** : A) Ut sint bona jam *acquisita,* non vero

acquirenda tantum. Hinc damnatae sunt ab Innoc. XI sequentes propositiones, tum sub n. 32 : « *Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.* » Item sub n. 33 : « *Licitum est tam haeredi quam legatario contra injuste impedientem ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti in cathedram vel praebendam contra eorum possessionem injuste impedientem.* » B) Ut non possis *aliter* res tuas servare aut etiam ablatas recuperare sine magna molestia et sumptibus, v. g. via juris, occulta compensatione. C) Ut fur rem *actu* adhuc invadat, aut fugientem ita insequaris, ut adhuc censearis esse in possessione civili ; non autem dum jam rem tuam in tuto posuit : quia esset vindicta, non defensio.— Ratio hujus sententiae est : quia alias licentia furum et praedonum nimis invalesceret, nec charitas exigit, ut quis faciat magnam jacturam bonorum temporalium pro vita proximi, nisi is esset in necessitate gravi vel extrema, quod hic non est, quia voluntarie se mortis periculo subjicit. Hanc sententiam « *probabilissimam et communem* » vocat S. Lig. (III, 385).

Q. 134. An *liceat* alterum occidere in defensionem *pudicitiae?*

R. *Disputatur.*

Explanatur. Alii **negant** cum Bill. : quia pudicitia cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet, ideoque nemo eam formaliter potest auferre, nobis invitis (pag. 31 seq.). Materialis autem pudicitia non est tanti facienda, ut propter illam liceat invasorem occidere. Alii communius **affirmant** cum S. Antonino contra S. Aug. id licere, si quis aliter se defendere non valeat ; et quidem a fortiori quam pro tuendis bonis temporalibus : quia praeter periculum consensus in delectationem, adeoque peccandi periculum, pudicitia ac integritas est bonum praestantius divitiis et in aestimatione multorum bono vitae aequiparandum, et aliunde si amittatur, irreparabile. Non licet tamen puellae occidere agressorem honoris sui post oppressionem, sed potest illum percutere maleque tractare, ad ostendendam suam constantiam et displicentiam, et ne invasor facile ad sollicitationem redeat. Et quoniam

lege charitatis licet pro alio facere, quod pro se facere permissum est, ideo fas est OCCIDERE invasorem pudicitiae *alterius*, sicuti ipsi vim patienti licet. Si autem mulier positive consentiat, non potes OCCIDERE, quia tunc invasor cessat esse injustus aggressor respectu ipsius. Excipitur a nonnullis casus quo illa esset tibi conjuncta, et tu non posses tuo dedecori consulere, nisi aggressorem vulnerando aut occidendo. « Sed haec intelligenda, ait S. LIG. (III, 391), ante factum : nam in ipso facto vel post, certe non licet occidere, ut patet ex prop. 20 damn. ab ALEX. VII quae dicebat : *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* » Pariter ad quaestionem : *an maritus possit occidere eum qui vult cum sua uxore adulterari*, respondet S. LIG. (Elen. qq. refor. n. 22 : « id non reprobatur, si vir *ante factum* occidat, ne adulterium eveniat. »

Q. 135. Sitne *licitum* OCCIDERE ad *calumniam repellendam* vel *conservandam famam?*

R. *Negative* : alias innumeris caedibus pateret aditus. Praeterea occisio infamatoris non reparat honorem laesum, siquidem non probat falso aut injuste dicta fuisse quae objecta sunt, sed solum ea iniquo animo ab infamato accepta fuisse. Accedunt damnatae propositiones ab ALEX. VII tum sub n. 18 : « *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* » Tum sub n. 17 : « *Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defensionis non suppetit.* » Item ab INNOC. XI sub n. 30 : « *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit : idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.* »

Q. 136. An aliquando *liceat* OCCIDERE *innocentem?*

R. *Directe* nunquam licet, nisi Deus concedat; *indirecte* vero aliquando licet, urgente necessitate et bono publico.

Resolvitur 1. Hinc non licet OCCIDERE lethaliter vulneratos nec

alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; nec hostium legatos vel obsides, etsi hostis occiderit nostros. **Resol. 2.** Nefas est infantem proxime moriturum in flumen projicere; vel, ut tradit S. Th. 3. q. 68. a. 11 ad 3, matrem ejus proxime morituram occidere, ad eum baptizandum. **Resol. 3.** Nec licet directe procurare **abortum**, i. e. ejectionem foetus immaturi, etiamsi foetus nondum animatus supponatur : « quia si foetus sit *animatus*, ejus abortus est homicidium corporale et spirituale; si *nondum* sit animatus, quamvis non sit proprie homicidium, ad illud tamen reducitur; unde vocatur a Tertulliano : *Festinatio homicidii* » Bill. . Constat ex prop. damn. ab Innoc. XI sub n. 34 : « *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.* » **Resol. 4.** E contra, si tyrannus minatur civitatis excidium, nisi innocens occidatur, ut olim quoad S. Athanasium fecisse narratur Constantius, quamvis non liceat innocentem occidere, permissum tamen est, eum tradere tyranno, si ipse se praesentare renuit : quia tunc ille ut evitet commune damnum tenetur se praesentare, et si ire nolit, tanquam reum potest respublica eum tradere Bill. . **Resol. 5.** Si quis equo sedens fugiendo nequit mortem evadere ab inimico persequente, nisi conculcando pueros per viam fusos, potest fugere cum eorum interitu, modo sint baptizati Sass. . **Resol. 6.** Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde etiam aliqui innocentes mortem passuri essent S. Lig. III. 395 . **Resol. 7.** Licitum est *aliquando* mulieri gravidae sumere pharmaca ad propriam salutem directe ordinata, ut sunt purgatio corporis, scissio venae, balneum, etc., licet inde praevideatur secutura mors foetus. Hoc autem ex S. Lig. III. 394 *duplici in casu* licite contingit : 1° « Quando aliter, *certo moraliter*, judicatur mater cum prole moritura. » 2° Si « *aequale* sit periculum **abortus**, sive medicina sumatur, sive non. » Ratio est : quia in utroque casu « sine majori foetus periculo juste consulitur vitae matris. » At vero si aliqua rationabilis spes affulgeat, matre a medicamentis cum certo vitae suae periculo abstinente, perducendi foetum ad baptismum; et e contra, adhibitis matri medicamentis, proles sine baptismo esset peritura, teneretur mater per se loquendo, ex charitate ab ejusmodi medicamentis abstinere : quia ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis foetus

in extrema necessitate praeferatur vitae corporali matris. Dixi : *per se loquendo;* nam ex Spor. (*de sacr.* p. IV, n. 713), Laym., Dian., *per accidens* etiam tunc excusaretur mater, si ipsamet ob absentiam confessarii et imperitiam contritionis eliciendae in periculo aeternae damnationis versaretur. Ceterum monet S. Lig. (l. c.), *medicos* quoad pharmaca praestanda matribus non esse scrupulose angendos, eo quod *moraliter impossibile* sit, pereunte matre, prolem supervivere : quia, matre laborante lethali morbo, humores corrumpuntur et inficiunt alimentum foetus. Quam *moralem impossibilitatem* **non admitto**, si mulier sit partui proxima, vel morbus sit brevissimus. Cfr. dicta de **abortu**, t. IV, *Adn.* in Bull. « *Apost. Sed.* »

Q. 137. Utrum aliquando *licitum* sit NECARE *foetum*, ad salvandam vitam matris, si alias et sibi et filio pereundum sit?

R. *Negative.*

Explanatur. Hac de re olim disputatum fuit. At « *Responsa Roma venerunt : res finita est.* » Nimirum, ad propositum dubium : « *An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam quam* **Craniotomiam** *appellant, quando scilicet ea omissa mater et filius perituri sint, ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte?* » S. U. I. « *omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta ac transmissa sunt,* » respondit 28 Maii 1884 : « *Tuto doceri non posse.* » Quam responsionem confirmavit SS. D. N. Leo PP. XIII. Accedunt Litterae S. U. I. 19 Aug. 1889, in quibus legitur : « *In scholis catholicis* TUTO DOCERI *non posse licitam esse operationem chirurgicam quam* CRANIOTOMIAM *appellant, sicut declaratum fuit die 28 Maii 1884, et quamcumque chirurgicam operationem* **directe occisivam** *foetus vel matris gestantis.* » Quod autem *tuto doceri non potest*, omnique destituitur *intrinseca* probabilitate, ut eruitur ex praecitatis verbis, id quoque *tuto practicari nequit;* et ideo craniotomia seu embriotomia, dilaceratio uteri, et si quae alia adhibeantur, quae vi sua et necessario foetum abigunt et abigendo, *nondum septimestrem*, interimunt, haec omnia, inquam, nullo modo, etiam ad salvandam matrem, alias simul cum prole perituram, sunt licita. Sunt enim actiones per se et directe occisivae; atqui, ut ex S. Thom. 2. 2. q. 64, a. 6, recte concludit Bill. :

« Nulli unquam, nec etiam Reipublicae, licet innocentem occidere *directe* et *ex intentione*, nisi sit ipsi facta a Deo specialis auctoritas. » Unde, sicut ait S. THOM. (3, q. 68, a. 11 ad 3) : « *Dicendum, quod* non sunt facienda mala, ut veniant bona, *ut dicitur* (ROM. III, 8) : *et ideo non debet homo* OCCIDERE *matrem, ut baptizet puerum ;* » ita quoque ex eodem apostolico oraculo concludimus, et quidem *a fortiori*, cum in casu agatur etiam de vita spirituali foetus : *et ideo non debet homo* OCCIDERE *puerum, ut salvet matrem*. Cfr. N. R. T. (IX, p. 85 seqq.). Dixi : **nondum septimestrem** ; nam post septimum mensem foetus regulariter nedum *vivus* editur, sed et *vitalis*. Quare hunc abigere est potius *partus acceleratio*, quam etiam licite practicant medici ac chirurgi, quoties, si tempus naturale foret exspectandum, foetus vitalis, ob pravam feminae conformationem aliamve rationem, nonnisi difficillime egressurus praevidetur.

CAP. IV. De duello et bello.

Q. 138. *Quid* 1°) sit DUELLUM et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1um) DUELLUM, graece MONOMACHIA, *proprie*, i. e. prout accipitur in jure et in ordine ad censuras ecclesiasticas, definitur : « *Singulare certamen armis lethalibus ex condicto susceptum :* » seu, ut alii loquuntur; « *periculosa duorum pugna ex condicto praecedente de loco, tempore et armis.* » Quae particulae sunt stricte interpretandae : odiosa enim sunt restringenda.

Explanatur. *Requiritur* itaque : 1°) Ut sit certamen seu pugna **singulorum,** i. e. *unius contra unum ;* adeoque si plures *agmine facto* concurrerint, DUELLUM non intelligitur ; secus si bini, terni aut plures hinc inde concurrerint, nempe unus adversus unum, etsi plures successive cum eodem commiserint. *Requiritur :* 2°) Ut **ex condicto** susceptum fuerit, i. e. electis communi consensu *certaminis loco, tempore* et *armis*. Unde si tantum *locus*, vel *tempus*, vel *arma*, indicta fuerint, DUELLUM dici non solet ; immo nec omnibus indictis, si de his in rixa convenerint, et egressi statim commiserint, ut si duo incipiant rixari in aliqua domo, ne injuriam faciant domino loci, se invitent ad pugnandum extra domum : quia est continuatio rixae antea exortae (ROSC.). Similiter non est DUELLUM,

ut docet Bull., si quis dicat : tecum pugnabo hoc anno, vel quando bellum erit absolutum, vel quando tibi occurram sine teste, vel ubicumque te reperero extra civitatem; quia ista designatio temporis et loci est vaga et non satis determinata. *Requiritur :* 3°) Ut certamen fiat armis **lethalibus**, imo et **paribus**; id enim lex DUELLI postulat. Dixi : *lethalibus ;* i. e. periculosis, nempe cum periculo occisionis, mutilationis vel gravis vulneris. Unde si dimicatum fuerit pugnis, levi baculo, evulsione crinium, aut ferro acie retusa aut alio instrumento non periculoso, DUELLUM cessat, etsi grave peccatum quandoque aderit et mors per accidens secuta fuerit. Contra, si cum instrumento periculoso, v. g. cum **parvo cultro** singulare certamen ineatur, quemadmodum hisce temporibus inter Germaniae Universitatum alumnos fieri solet, etiamsi non videatur inducere proximum ac facile mortis periculum, duellum intelligitur et poenae a duellantibus eorumque patrinis incurruntur. Constat ex S. C. C. (9 Aug. 1890) ap. N. R. T. (XXII, p. 582 seq.). — Quod si nihil horum desit, nihil refert qua de causa DUELLUM initum fuerit, v. g. spectaculi, ut olim, aut virtutis ostendendae causa.

R. Ad 2um DUELLUM aliud est 1°) *solemne* seu *publicum*, quod adhibitis patrinis, et *simplex* seu *privatum* quod absque his committitur; 2° aliud est *fatale*, in quo usque ad alterius internecionem dimicatum est, et *non fatale*, quod prima alterutrius sanguinis effusione finitur.

Q. 139. DUELLUM sitne aliquando *licitum?*

R. DUELLUM *auctoritate privata* susceptum, nunquam licet, cum et HOMICIDII et SUICIDII reatum habet, quippe utriusque periculum continet. Unde BENED. XIV (in Bull. « *Detestabilem* » 10 Nov. 1752, § IV) ait : « DUELLA *omnia tam publica quam privata, et* NATURALI, *et* DIVINO, *et* ECCLESIASTICO *jure, prorsus illicita, vetita atque damnata censeri deberent.* » Quod egregie evolvit LEO XIII in « *Epistola de prava duellorum consuetudine* » (12 Sept. 1891) ap. N. R. T. (XIII, p. 469 seq.). Et CONC. TRID. (sess. 25 de ref. c. 19), poenis gravissimis MONOMACHIAM puniens, ita eloquitur : « *Detestabilis* DUELLORUM *usus, fabricante* DIABOLO *introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur.* »

Explanatur. Dixi : *auctoritate* **privata** ; quia *auctoritate* PUBLICA susceptum licitum est, si fiat *ob bonum commune*, v. g. ad finiendum bellum, ad avertendam ignominiam a toto exercitu, ad erigendos animos suorum, quo modo DAVID duellavit cum GOLIATH, et S. WENCESLAUS cum DUCE CURIMENSI, ut suorum saluti prospiceret ; non vero ad finiendam litem privatam, ad manifestandam veritatem, innocentiam, objecti criminis purgationem, prout olim fieri consuevit : tum quia princeps non habet potestatem in vitam innocentium ; tum quia DUELLUM est medium inutile ad hos fines, cum in illo aeque cadere posset innocens ac nocens ; unde veritatis manifestatio exspectatur vel a diabolo, et est superstitio ; vel a Deo, et est tentatio. — Licitum tamen est DUELLUM, si judex, quamvis male, deferat duobus reis mortis DUELLUM, ut victori vita condonetur : quia tunc hoc faciunt ut sententiae quoad substantiam justae exsecutores. Ita SASSERATH.

Resolvitur 1. Merito damnatae fuerunt a BENED. XIV in Bulla « *Detestabilem* » **quinque** sequentes propositiones : 1°) *Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet* DUELLUM, *tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitae ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet* DUELLUM. » 2°) « *Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia,* DUELLUM *acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* » 3°) « *Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiae, acceptans* DUELLUM *ex gravi metu amissionis famae et officii.* » 4°) « *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre* DUELLUM *ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.* » 5°) « *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.* » **Resol. 2.** Non licet DUELLUM suscipere ea lege, ut uno vulnerato aut certo numero ictuum completo pugna cesset : tum quia etiam in eo maximum adest vulneris mortalis periculum ; tum quia CLEMENS VIII prohi-

buit etiam DUELLA *non fatalia* ; tum denique quia istud DUELLI genus scandalum creat et DUELLIS *fatalibus* occasionem praebet.

Q. 140. *Quaenam* sint *poenae* DUELLANTIUM?

R. 1° Qui DUELLUM *perpetrant*, sive sit *solemne* seu *publicum*, sive sit *simplex* seu *privatum*, sive sit *fatale* seu *non fatale* ; aut qui simpliciter ad illud *provocant*, quamvis alter non acceptet DUELLUM, ideoque illud non sequatur ; aut qui illud *acceptant*, sive inde sequatur, sive non, hi omnes aliique *citati* in BULL. « *Apostolicae Sedis* » incurrunt excommunicationem latae sententiae R. Pontifici simpliciter *reservatam*. 2°) Qui ex vulnere accepto in DUELLO, sive in DUELLI loco sive alio, vitam finierint, arcentur ecclesiastica sepultura, quamvis absoluti decesserint, uti constat ex BULL. « *Detestabilem* » BENED. XIV. Praeterea 3° duellantes eorumque patrini incurrunt irregularitatem ex *infamia juris* ; et si ex duello homicidium vel mutilatio sequatur, irregularitas ex *homicidii vel mutilationis crimine* insuper contrahitur. Cfr. N.R.T. (XXII, 584 seqq.). — Poenas *civiles* pro Belgio tradit *Nov. Cod. poen.* art. 423 seqq.).

Resolvitur. Ex Bulla « *Apostolicae Sedis* » praeter DUELLUM **perpetrantes,** aut simpliciter ad illud **provocantes,** vel ipsum **acceptantes,** eidem excommunicationi subjacent : 1°) *quilibet* **complices** *vel qualemcumque* **operam aut favorem praebentes** ; ut patrini, testes, consilium dantes, socii, litteras provocatorias aliaque id genus scripta, manifesta, scribentes, dictantes, deferentes, evulgantes, imprimentes aut scribi, deferri, etc., mandantes, suadentes vel in his se quomodolibet immiscentes ; 2°) *qui* **de industria** *spectant* ; immo et qui adeunt locum certaminis, ut illud dirimant cum primum alteruter vulneratus fuerit vel sanguinem fuderit ; non vero qui vel casu transeunt, vel in secreto vel a longe DUELLUM spectant, multo minus qui comitantur, ut certamen impediant. 3°) DUELLUM **permittentes** *vel quantum in illis est* **non prohibentes,** *cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.* — Porro, ad TRIA sequentia dubia, scilicet : A) « *Potestne medicus rogatus a duellantibus* DUELLO *assistere cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem Summo Pontifici simpliciter re-*

servatam? » B) « *Potestne saltem quin* DUELLO *sit praesens in domo vicina vel in loco propinquo sistere, proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium si duellantibus opus fuerit?* » C) « *Quid de confessario in iisdem conditionibus?* » S. U. I. (28 Maii 1884) respondit : « *Ad 1um) : Non posse et excommunicationem incurri; ad 2um) vero et 3um) quatenus* EX CONDICTO *fiat, item non posse et excommunicationem incurri.* »

Q. 141. *Quid* 1°) sit BELLUM; 2°) *quotuplex*, et 3°) quomodo *differat* a RIXA et SEDITIONE?

R. Ad 1um) BELLUM est *pugna multitudinis contra multitudinem extraneam.*

R. Ad 2um) Duplex est : 1°) *defensivum*, quo vis per injuriam illata vi repellitur; 2°) *offensivum*, seu *aggressivum*, quod ad vindicandam vel compensandam injuriam suscipitur.

R. Ad 3um) Differt autem : tum a RIXA, quae est pugna paucorum contra paucos; tum a SEDITIONE, quae est tumultus vel conflictus inter subditos et principem, seu, aliis verbis, pugna multitudinis contra multitudinem ejusdem communitatis.

Q. 142. An BELLUM sit *licitum?*

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 40, a. 1) *bellum* non solum *defensivum*, quod fit solius defensionis causa, sed et *offensivum*, quod ad vindicandam vel compensandam injuriam suscipitur, est licitum et honestum, si adsint conditiones requisitae.

Explanatur. *Ratio* **1**mi est : quia jure naturae licitum est vim vi repellere. *Ratio* **2**di est : quia quandoque expedit injuriae vindictam sumere, aut laesionis compensationem quaerere, quod non potest fieri sine BELLO, dum damnificantes requisiti nolunt aliter satisfacere. — Porro **conditiones** requisitae sunt, nempe : 1°) *legitima auctoritas*, quae debet esse suprema, nullum alium in civilibus superiorem agnoscens, quia ubi major auctoritas habetur, haec de lite judicare debet; 2°) *justa causa*, i. e. injuria accepta cujus reparatio vel depulsio haberi alio modo non potest, quaeque tam gravis sit, ut ingentibus malis, quae BELLUM adfert, praeponderet; 3°) *recta intentio*, ita ut non fiat ex odio, vana gloria, privata vindicta, sed amore boni communis; defectu tamen hujus conditionis, si priores adsint, non erit obligatio restitutionis : « sicut, ait BILL.,

si judex legitimus sententiam justam, sed ex odio ferat in aliquem, peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem; » 4°) *debitus bellandi modus*, ita ut ante BELLUM a parte adversa petatur condigna satisfactio, quae si offeratur, offensus tenetur ex justitia acceptare, et ab inchoato BELLO desistere, si offeratur condigna simul pro expensis jam factis; si negetur, potest bellum prosequi et inferre hostibus omnia mala quae ad debitam satisfactionem et compensationem necessaria juxta rectam conscientiam judicantur.

Resolvitur 1. « BELLUM non potest esse *materialiter* justum ab utraque parte : quia res vel competit uni vel alteri; potest tamen esse justum ex parte utriusque *formaliter*, ex invincibili ignorantia vel bona fide. » Ita Sass. cum BILL. **Resol. 2.** Gravissime errant, qui putant ampliationem regni, gloriam et celebritatem nominis, imminuendam potentiam principis vicini vel partis adversae, ne aucta valeat et nocere possit, esse justam causam BELLI. « *Hoc, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?* » inquit S. AUG. (l. 4. *de civ.* c. 6). Non enim licet occidere homines, ne nocere possint : alias caedibus miscerentur omnia.

Q. 143. An BELLUM adhuc reputetur *justum*, in casu quo princeps non habeat nisi *probabilitatem* sui juris?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Sententia ex S. LIG. (III, 404) « *longe probabilior* » **negat** : quia possessor bonae fidei nequit spoliari re possessa, nisi constet illum injuste eam retinere, et quia ad ponendam causam gravissimorum BELLI malorum, ab agente requiri videtur moralis certitudo sui juris. Sic contra plures, quorum alii sufficere dicunt *majorem*, alii *aequalem* probabilitatem.

Q. 144. An milites BELLIGERARE possint : 1°) cum *dubio de justitia* BELLI; 2°) in BELLO patenter *injusto?*

R. Ad 1um) Miles in dubio, an BELLUM sit *justum*, potest, et si sit subditus vel antecedenter inscriptus, tenetur militare : praesumere enim debet principem satis hoc considerasse; attamen si sint indicia valde probabilia et rumores de iniquitate BELLI, miles non subditus, ut licite det nomen, tenetur juxta captum suum morali diligentia inquirere et dubium speculati-

vum ex principiis practicis deponere : quia alias temere se injicit in periculum gravissimas injurias inferendi.

R. Ad 2um) In BELLO autem patenter *injusto*, nulli, nec subditi nec extranei, belligerare possunt, quia forent injusti cooperatores. Quamdiu tamen ex BELLO sine gravi suo periculo recedere nequeunt, excusantur a culpa; sed abstinere debent, quantum sine periculo aequali possunt, ab omni injusto damno inferendo, ita ut solam partem defensivam sui Principis teneant, actiones vero de se indifferentes exercere non prohibeantur.

DE SEXTO ET NONO PRAECEPTO.

« *Non moechaberis* » (EXOD. XX, 14).
« *Non desiderabis uxorem proximi tui* » (EXOD. XX, 17).

CAP. UNIC. De quidditate istorum praeceptorum.

Q. 145. *Quid* prohibeant SEXTUM et NONUM decalogi *praeceptum?*

R. SEXTUM prohibet non solum ADULTERIUM, quod proprie dicitur *moechia;* sed etiam omnem aliam LUXURIAM *externam*, i. e. opere patratam. NONUM vero prohibet etiam omnem LUXURIAM mere *internam*, i. e. patratam sive per gaudium, sive per desiderium, sive per delectationem morosam. De istis omnibus egimus, ubi de peccatis *capitalibus* (pag. 234 seqq.).

Nota. « *Praecipue vero*, ait CAT. ROM., *ob eam rem* **adulterium** *diserte vetitum est, quia praeter turpitudinem, quae illi cum aliis intemperantiae generibus communis est, injustitiae quoque peccatum non solum in proximum, sed etiam in civilem societatem adjunctum habet. Est illud item certum, qui se a ceterarum libidinum intemperantia non abstinet, eum ad hanc quae adulterii est, incontinentiae facile labi.* »

Resolvitur 1. Itaque quod SEXTO praecepto prohibetur *in opere*, illud NONO prohibetur *in affectu;* proindeque duobus istis praeceptis prohibentur omnes actus luxuriae, sive *externi*, sive *interni*. Ut autem constat ex antedictis (pag. 238 seqq.) actus **externi** luxuriae *consummatae* communiter *septem* numerantur, videlicet : *simplex*

fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium et *vitium contra naturam* ; quorum ultimum subdividitur in *mollitiem, bestialitatem, sodomiam* et *indebitum concumbendi modum*. Ad actus externos luxuriae *non consummatae* pertinent : *tactus, oscula aspectus, sermones* et *lectiones turpes*, et aliquando *choreae* et *spectacula*. Actus vero **interni** luxuriae sunt sequentes : *delectatio morosa rei turpis, turpe desiderium* et *gaudium de actu turpi patrato*. **Resol. 2.** Quamvis duo illa praecepta formaliter et in terminis sint *negativa*, virtualiter tamen et implicite etiam sunt *affirmativa*, et eatenus praecipiunt **castitatem** cuilibet statui proportionatam.

Scholion. Ex S. Thom. (2. 2. q. 151, a. 2 seq.) **castitas** proprie dicta est species virtutis *temperantiae*, seu virtus moralis specialis, quae moderatur inordinatum appetitum usumque venereorum. *Triplex* **distinguitur** : *conjugalis, vidualis* et *virginalis*. Castitas **conjugalis** est, quae in matrimonio concessis voluptatibus secundum praescriptum rationis utitur, et abstinet ab aliis illicitis. Haec castitas est *de praecepto*, ceterae vero sunt de *consilio*. Castitas **vidualis** est, quae post solutum matrimonium firmo proposito in posterum abstinet ab omni re venerea. Castitas **virginalis** est, quae semper abstinuit ab omni delectatione venerea voluntaria et proponit perpetuo abstinere ab illa. Et haec est castitas excellentissima diciturque **virtus virginitatis** seu virtus specialis a castitate communi distincta, sicut magnificentia distinguitur a liberalitate. *Duo* quidem **importat.** Unum, velut **materiale** virginitatis, est integritas corporis, in tantum, ut nunquam consentiatur in carnis corruptionem, qualis corruptio fit per fornicationem aut pollutionem voluntariam. Unde nihil obstat virginitati si claustra pudoris violenter infringantur per involuntariam pollutionem aut passivam oppressionem virginis, si desit consensus ejus in ipsam. Quin imo tunc locum habet illud S. Luciae virginis et martyris dictum ad Paschasium Praefectum : « *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* » (Pag. 31). Utrum vero carnis corruptio fiat per tactus impudicos voluntarios, habitos absque clausti virginalis violatione aut absque seminis resolutione, non conveniunt DD. *Affirmat* Bill., si tactus taliter sint libidinosi ut per se et ex natura sua procurarent claustri vir-

ginalis violationem aut pollutionem, « *saltem in iis qui attenta aetate sunt capaces seminationis.* » Quod addit ob auctoritatem S. Thom. (in 4. d. 33. q. 3, a. 1 ad 4), qui videtur excipere *impuberes* seminationis incapaces his verbis : « *Si luxuria contra naturam tempus perfectae aetatis praeveniat, cum non adsit seminis decisio et per consequens nec delectatio completa mentem suffocans, non amittitur virginitas quantum ad id quod est materiale in ipsa.* » Alterum, quod velut **formale** et completivum, virginitas importat, est propositum observandi integritatem corporis in perpetuum. Unde, ut notat Reiff., « vere virgines non sunt parvuli, quantumvis carne integri, quia hujusmodi propositum non habent ; neque adulti volentes aliquando nubere, eo quod propositum perpetuo servandi integritatem non habeant ; nec etiam illi, qui mentaliter consentiunt in rem veneream sine opere subsecuto, ob rationem proxime dictam. » Denique virtus virginitatis **amittitur** : 1°) per quodcumque peccatum mortale venereum sive externum sive internum; 2°) per mutationem propositi perpetuo abstinendi ab omni delectatione venerea, et consequenter per intentionem nubendi. At amissa virginitate, ea **recuperari** potest : non quidem quoad suam partem *materialem :* cum impossibile sit quod ille qui expertus sit voluntarie delectationem veneream, eam non sit expertus ; sed quoad suam partem *formalem,* i. e. quoad propositum perpetuo abstinendi ab ea delectatione, per poenitentiam scilicet et reassumptionem dicti perpetui propositi.

DE SEPTIMO ET DECIMO PRAECEPTO.

« *Non furtum facies* » (Exod. XX, 15).

« *Non concupisces domum proximi tui,... nec omnia quae illius sunt* » (Exod. XX, 17).

CAP. UNIC. De quidditate istorum praeceptorum.

Q. 146. *Quidnam* septimo et decimo praecepto prohibeatur?

R. Septimum prohibet omnem injustitiam *externam* in bonis fortunae proximi ; i. e. omnem injustam damnificationem proximi in bonis fortunae, qualis fit per injustam acceptionem et usurpationem aut retentionem rei alienae, per damnum

proximo in bonis fortunae illatum, per omissionem reparationis illius damni, per iniquos contractus, etc. Ideo autem *furtum* explicite et signanter prohibetur, quia in furto injustitia evidentius patet. DECIMUM prohibet in his bonis omnem INJUSTITIAM *internam*, i. e. bonorum horum concupiscentiam seu desiderium injustae damnificationis proximi in bonis fortunae; aliis verbis: prohibet omnem injustam voluntatem alienum usurpandi aut alieno nocendi. De istis agetur, ubi de *jure et justitia*.

Resolvitur 1. Quod SEPTIMO praecepto prohibetur *in opere* seu *facere*, illud DECIMO prohibetur *in affectu* seu *desiderare*. **Resol. 2.** Non peccas contra DECIMUM praeceptum si optes alienum fieri tuum per *justum* titulum, v. g. per donationem, emptionem; sicut nec peccant, qui videntes aliorum divitias desiderant fieri aeque divites, cum tunc objectum illius desiderii non sit bonum alienum (SASS.). Contra peccas desiderando calamitates aut miserias proximi sub specie lucri proprii, cum tunc desideratur damnificatio proximi. Et ideo hoc praeceptum violant: *mercatores*, qui ut sua carius vendant penuriam annonaeque caritatem expetunt; *medici* qui morbos desiderant, sicut et *parochi* ac *editui* desiderantes mortuos turpis lucri gratia; *milites* qui bellum exoptant, ut furari ipsis liceat; *advocati* et similes qui causarum litiumque copiam concupiscunt; *artifices* qui quaestus avidi omnium, quae ad victum cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucri faciant Cfr. Cat. Rom.). **Resol. 3.** Quatenus sunt *affirmativa*, SEPTIMUM praeceptum praecipit *justitiam* quae est virtus reddens unicuique quod suum est, ac proinde praecipit restitutionem bonorum quae alterius sunt atque reparationem damnorum injuste illatorum; praeterea praecipitur hoc praecepto, sed secundario, *benignitas* et *liberalitas* in proximum; similiter DECIMUM praeceptum imperat, ut justitiam exsequendi *voluntatem* habeamus; praeterea hoc praecepto Deus praecipere videtur, ut si divitiae affluant, *cor non apponamus*; si desint, *aequo animo feramus*. Porro, cur non ponantur praecepta specialia prohibentia *concupiscentiam* HOMICIDII et FALSI TESTIMONII, sicut ponuntur prohibentia *concupiscentiam* CARNIS et RERUM TEMPORALIUM, ratio est ex S. THOM. (2. 2. q. 122, a. 6 ad 4): «*Quod* HOMICIDIUM [idem dic de FALSO TESTI-

MONIO] *secundum se non est concupiscibile, sed magis horribile, quia non habet de se rationem alicujus boni. Sed* ADULTERIUM *habet rationem alicujus boni, scilicet delectabilis;* FURTUM *etiam habet rationem alicujus boni, scilicet utilis. Bonum autem de se habet rationem concupiscibilis. Et ideo fuit specialibus praeceptis prohibenda concupiscentia* FURTI *et* ADULTERII, *non autem concupiscentia* HOMICIDII [et FALSI TESTIMONII].

DE OCTAVO PRAECEPTO.

«*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*» (Ex. XX, 16).

CAP. UNIC. De quidditate istius praecepti.

Q. 147. *Quaenam* OCTAVO praecepto *prohibeantur?*

R. Prohibetur *primario,* ne dicatur FALSUM TESTIMONIUM sive in judicio sive extra judicium. Prohibetur *secundario* et *indirecte,* ne laedatur honor et fama proximi per MENDACIUM, DETRACTIONEM, CONTUMELIAM, JUDICIUM TEMERARIUM et SUSPICIONEM INJURIOSAM ac VIOLATIONEM SECRETI. De singulis dicemus, excepto PERJURIO, de quo satis in SECUNDO praecepto.

Nota. Quatenus est *affirmativum,* hoc praecepto praecipitur *veracitas* et *cordis simplicitas.*

ART. I. De mendacio, ubi et de aequivocatione, restrictione mentali et simulatione.

Q. 148. *Quid proprie* sit MENDACIUM?

R. Juxta mentem S. THOM. (2. 2. q. 110, a. 1) MENDACIUM definiri potest : «*sermo cum intentione falsum dicendi prolatus.*»

Explanatur. Ratio *essentialis* MENDACII sumitur a *formali* falsitate, ex hoc scilicet quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi sive verbis, sive scriptis, sive illis signis quibus dicimur loqui. « *Unde et* MENDACIUM *nominatur ex eo quod contra mentem dicitur,* » ut ait S. THOM. (l. c.). Hinc MENTITUR, qui falsum se dicere putat, etsi verum dicat : e contra non MENTITUR, qui falsum dicit, quod verum putat. Ex quibus sequitur male a quibusdam defendi

intentionem fallendi esse *essentialem* MENDACIO. Licet enim qui MENTITUR regulariter intendat alterum fallere et MENDACIUM ex natura sua sit fallax, haec tamen intentio non est necessaria ad rationem *essentialem* MENDACII. « Patet in eo, ait BILL., qui praesente judice crimen commisit, et tamen ne convincatur ei perstricte negat se illud commisisse: mentitur indubie et tamen non habet intentionem fallendi judicem. »

Q. 149. *Quotuplex* sit MENDACIUM?

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 110, a. 2) MENDACIUM ex parte *finis* seu *effectus*, ex quo culpa MENDACII minuitur vel aggravatur, *triplex* distinguitur, et est divisio quae communiter circumfertur, nimirum : *jocosum*, quod ludendi causa profertur, ut si, ait DENS, « quis mentitur se esse **Mechliniensem**, ut ad risum moveat; » *officiosum*, quod prodest, seu quod fit ob aliquam utilitatem sive propriam sive alienam sine ullius offensione, ut si quis dicit, se non habere pecunias, ne iis spolietur a militibus; *damnosum* seu *perniciosum*, quod nocet, seu damnum alicui infert. — Si tamen *jocosum* neque decipiendi animo dicitur, neque ex modo quo dicitur decipere alterum potest, magis JOCUS est quam MENDACIUM.

Resolvitur. Ut recte notat BILL., *duplici modo* falsum dicitur **joco** : 1° ita ut ex circumstantiis et modo pronuntiandi verba habeant aliam significationem ab ea quam secundum se considerata prae se ferunt, ut si dicam, ridendo amicis : *tota hac nocte pugnavi cum Turca;* vel *hac nocte ivi Romam et redivi;* 2°) ita ut verba, etiam attentis circumstantiis retineant suam naturalem et obviam significationem, ut si conversationis fovendae gratia serio narrem, me heri venatum fuisse leporem mira industria huc illuc gyrantem, canibus illudentem, etc. Quae 1°) modo dicuntur *joco* non sunt MENDACIA : quia loquens non tantum non habet intentionem fallendi, nec falsum dicendi, sed nec etiam falsum dicit, attenta saltem verborum significatione ex circumstantiis. Quae vero 2°) modo dicuntur *joco*, sunt MENDACIA : quia, etsi loquens non intendat fallere, habet tamen intentionem falsum dicendi et revera attenta significatione verborum etiam in talibus circumstantiis falsum dicit.

Q. 150. Dic : 1°) *An* et 2°) *quantum* peccat. sit MENDACIUM?

R. Ad 1um) MENDACIUM proprie dictum est malum natura seu ex genere suo : tum quia, ut habet S. THOM. (*ibid.* a. 3) : « *innaturale est et indebitum quod aliquis voce significet id quod non habet in mente;* » tum quia est publice nocivum : si enim fas esset MENTIRI, ruit dictorum fides, qua sublata, vix est, ut hominum societas consistere possit, aut ne vix quidem.

R. Ad 2um) Ex S. THOM. (*ibid.*) MENDACIUM *officiosum* et *jocosum* per se sunt leve : quia praecise secundum se neminem graviter laedunt nec evertunt vitam socialem, etsi illi nonnihil noceant ; *dannosum* vero est ex genere suo mortale : quia secundum se repugnat charitati, per quam anima vivit Deo conjuncta. Potest tamen esse veniale : vel ex imperfectione actus, vel ex levitate damni.

Resolvitur 1. Insigniter errant qui cum PLATONE et ORIGENE existimant : quandoque, urgente necessitate, licitum esse uti MENDACIO tanquam medicamine. Cum enim MENDACIUM sit intrinsece malum, per se et ex natura sua, illud in nullo casu licitum esse potest, nequidem ad avertendum mortem, aut interitum reipublicae vel quaecumque alia mala (pag. 36). Unde obstetrices Aegyptiacae (EXOD. I, 19) non sunt excusandae a MENDACIO, et si fuerunt a Deo remuneratae temporaliter, id quidem factum est non propter MENDACIUM, sed pro timore Dei et benevolentia ex qua processit MENDACIUM, ut signanter dicitur (ibid. v. 20) : « *Et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit illis domos.* » Ad reliqua vero quae ex SS. LL. objiciuntur, generatim respondemus cum S. AUG. (*contr. mend.* c. XV, n. 32) : « *Quando nobis de Scripturis sanctis* MENTIENDI *proponuntur exempla, aut* MENDACIA *non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur; aut si* MENDACIA *sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt.* » Sic JACOB dicendo (GEN. XXVII, 19) : « *Ego sum primogenitus tuus Esau* » non est mentitus, eo quod esset jure primogenitus ; nam jus primogeniturae in ipsum translatum fuerat venditione et divina ordinatione. Similiter ABRAHAM (GEN. XX, 11), dicendo SARAM esse sororem suam, non est mentitus, eo quod esset ejus consanguinea, quae illo tempore vocabatur quoque soror, sicut in Evangelio consanguinei Christi vocati sunt ejus fratres (MATTH. XII, 47) : « *Ecce mater tua et fratres tui foris stant*

quaerentes te.» **Resol. 2.** Ex verbis Scripturae (Ps. V, 7 « *Perdes omnes qui loquuntur* MENDACIUM ; » et (SAP. I, 11) : « *Os, quod* MENTITUR, *occidit animam* » immerito quis concluserit : ergo omne MENDACIUM est *mortale*. Haec enim cum S. THOM. (ib. a. 4 ad 1) intelligenda sunt de MENDACIO *pernicioso* seu *damnoso*. De utroque constat ex contextu ; nam in primo loco sequitur immediate : « *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus ;* » et in secundo praecedunt verba : « *A detractione pareite linguae.* » Addi potest : peccata *venialia* occidere animam dispositive (p. 198 seq.). **Resol. 3.** Omnia MENDACIA *damnosa* seu *perniciosa* non sunt ejusdem speciei : nam praeter malitiam MENDACII assumunt speciem malitiae ex nocumento seu malo ex quo dicuntur *damnosa*. Sic MENDACIUM, quo detrahitur famae proximi per impositionem falsi, annexam habet malitiam injustitiae ; sic MENDACIA in materia doctrinali, falsa miracula, falsas indulgentias, falsas reliquias annuntiando aut vitam Sanctorum corrumpendo, annexam habent malitiam contra religionem. **Resol. 4.** Nonnulli dixerunt : omne mendacium esse peccatum mortale in viris perfectis. « *Sed hoc irrationabiliter dicitur,* » ait S. THOM. ib. a. 4 ad 5 : « *Nulla enim circumstantia aggravat in infinitum, nisi quae transfert in aliam speciem* (pag. 56). *Circumstantia autem personae non transfert in aliam speciem, nisi forte ratione alicujus annexi, puta si sit contra votum ipsius ; quod non potest dici de mendacio* OFFICIOSO *vel* JOCOSO. *Et ideo mendacium* OFFICIOSUM *vel* JOCOSUM *non est peccatum mortale in viris perfectis, nisi forte per accidens ratione scandali.* » Sed eo casu non vocatur amplius mere *officiosum* vel *jocosum*, sed *damnosum* seu *perniciosum*.

Q. 151. *Quid* 1°) sit AEQUIVOCATIO seu AMPHIBOLOGIA ? 2°) *Quid* vero RESTRICTIO MENTALIS ?

R. Ad 1um) AEQUIVOCATIO seu AMPHIBOLOGIA est locutio habens *sensum duplicem*, eaque locum habet, dum quis ambiguo sermone utitur, sive ambigua sit verborum pronuntiatio, ut si quis interrogatus de aliquo, quod vult celare, respondeat : *dico non*, i. e. profero verbum *non ;* sive verba ipsa sint ambigua, ut si viro quaerenti, an adulterium commiserit, uxor respondeat : *se non fregisse matrimonium*, vel si jam illud confessa fuerit, *se innoxiam esse*. AEQUIVOCATIONES aliae

sunt stricte *dictae*, quarum sensus nulla ratione manifestatur, seu nullatenus ab audientibus deprehendi potest; aliae sunt *late dictae*, quarum sensus verus a loquente intellectus facile potest cognosci ex circumstantiis et variis exterioribus indiciis.

R. Ad 2um) RESTRICTIO vero MENTALIS est mentis conceptus, quo verba exterius prolata ad alium quam quem prae se ferunt sensum a loquente restringuntur, estque iterum duplex : *pure mentalis* seu *stricte dicta*, et *non pure* seu *late mentalis*, juxta dicta superius (pag. 383).

Q. 152. Sitne *licitum* uti RESTRICTIONE MENTALE vel AEQUIVOCATIONE ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Nunquam* licet uti RESTRICTIONE **pure** seu **proprie mentali**, ut si hero reprehendenti famulum quod vas fregerit, is a se fractum neget, subintelligens : *mense praecedenti;* nec AEQUIVOCATIONE seu AMPHIBOLOGIA humano modo non perceptibili, ut si ea quae usurpatur significatio sit a re de qua agitur sic absona, ut AEQUIVOCATIO animadverti nequeat. *Ratio* est : quia tunc locutio non verbis solis, nec verbis cum circumstantiis exprimit judicium tuum, sed aliud quod non habes; ergo est difformis menti et MENDACIUM intrinsece malum, et quidem PERJURIUM, si jurato loquaris. Constat ex propositionibus ab INNOC. XI damnatis : « 26. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine* JURET, *se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non* MENTITUR, *nec est* PERJURUS. » « 27. *Causa justa utendi his* AMPHIBOLOGIIS *est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.* » 2°) Licet tamen aliquando, *ex justa causa*, uti RESTRICTIONE **late** seu **improprie mentali**, et verbis AEQUIVOCIS, ex quibus sensus a loquente intentus inteiligi potest. *Ratio* est : quia bonum commune exigit, ut sit modus aliquando occultandi veritatem, saepe autem alius non est. Deinde utens tali RESTRICTIONE seu AEQUIVOCATIONE non MENTITUR, nec per se decipit :

quia sensus loquentis ex verbis AEQUIVOCIS aut circumstantiis colligi potest; quod autem audiens illum non intelligat, imputet suae simplicitati et ignorantiae vel etiam malitiae, dum injuste interrogat.

Resolvitur 1. *Reus*, a judice non *juridice* aut non *legitime* interrogatus, potest respondere se crimen non commisisse, subintelligendo tale, *de quo possit inquiri*, seu *quod teneatur manifestare*. Imo, si agatur de poena *capitali* vel alia huic quasi aequivalente, docent graves DD. pag. 585) posse juridice interrogatum sine peccato negare crimen, etiam cum JURAMENTO, subintelligendo : *se non commisisse quatenus teneatur illud fateri*, modo adsit spes per hoc evadendi : quia leges et praecepta humana non obligant ad moraliter impossibile, quale hoc esse videtur; ac proinde judex non habet jus praecipiendi rem tam arduam. Similiter *testis* juridice interrogatus potest respondere *se nihil scire*, si aliunde testari non teneatur, v. g. si ideo ipsi grave damnum immineret, vel si ipsi constet crimen caruisse culpa, vel si sciat crimen, sed sub secreto, cum nulla praecesserit infamia, vel si crimen sit omnino occultum SALM. ELBEL, CARD., STRUGGL. **Resol. 2.** Qui occidit hominem inculpabiliter, potest cum JURAMENTO respondere : *non occidi;* intelligendo in sensu quo judex interrogat, scilicet culpabiliter, sum omnino innocens. **Resol. 3.** Possunt uti RESTRICTIONE *late* MENTALI et AEQUIVOCATIONE omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt *secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices;* et generatim loquendo : quoties tenetur quis occultare famam alterius, licite dicit : se *nescire*, scilicet non habeo scientiam utilem ad respondendum. **Resol. 4.** Licitae sunt variae formulae usu vulgari receptae quibus respondetur v. g. mutuum vel eleemosynam petenti : *non habeo*, nempe ad tibi dandum; vel *non possum*, i. e. non mihi placet, non convenit; vel *omnia mea tua sunt;* vel *dominus non est domi*, nempe ut a te videri possit, etc.

Q. 153. *Quid* 1°) sit SIMULATIO et 2°) quomodo differat a DISSIMULATIONE?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (2. 2. q. 111, a. 1) « SIMULATIO *proprie est* MENDACIUM *quoddam in exteriorum signis factorum consistens*, » seu brevius : *Mendacium facti;* et locum habet

quando aliquis per exteriora signa factorum vel rerum significat aliquid quod in mente non est. Unde quoque ait : « *cum omne* MENDACIUM *sit peccatum, consequens est etiam, quod omnis* SIMULATIO *est peccatum.* »

R. Ad 2um) Differt a DISSIMULATIONE, qua mentem occultamus, vel *negative* : per omissionem ; vel *positive* : faciendo aliquid quod mentem occultet ; et haec potest esse sine peccato, quando est tantum celatio veritatis quam aperire non expedit, etiamsi inde praevideatur aliquis decipiendus, deceptione ejus ex causa permissa, non intenta (BILL.). Unde quoque docet S. THOM. (2. 2. q. 110, a. 3) : « *Non est licitum mendacium ; .... licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione.* » Sic fidem DISSIMULARE saepe melius est quam confiteri, imo necessarium, si degens inter haereticos praevideat se sic melius posse prodesse.

ART. II. De detractione et calumnia.

Q. 154. Quid sit *detractio?*

R. Ex mente S. THOM. (2. 2. q. 73, a. 1) definiri potest : *injusta denigratio alienae famae per occulta verba.* Fama autem est bona multorum opinio de alio concepta ; quae si violetur revelatione criminis *veri*, detractio dicitur *simpliciter talis ;* si vero impositione criminis *falsi*, dicitur *calumnia.*

Explanatur. Dicitur 1°) **injusta** : quia DETRACTIO non fit, si ob justam causam imminuatur fama proximi, v. g. illius crimen deferendo ad superiorem, quando ad emendationem vel ad impediendum aliquod grave damnum id necesse est ; 2°) **denigratio famae** : quia non DETRAHIT, qui de peccato proximi loquitur sine laesione famae : v. g. narrando crimen coram eo cui scis aliunde esse notum ; interim, ut quis sit reus peccati detractionis, non debet fama *actu* esse diminuta ; sed satis est, quod ille per verba infamantia, aut aliter, posuerit causam, licet infamia per accidens non sit secuta ; 3°) **aliena** ; per quod verbum laesio *propriae* famae excluditur a ratione detractionis proprie dictae, cum et aliunde non fiat per verba occulta ei de quo detrahitur ; quapropter nonnisi *reductive* pertinet ad detractionem aut ad infamiam in ge-

nere; 4° **per occulta verba** : quia DETRACTIO fit vel fieri intenditur in occulto, ita ut ignoret is de quo DETRAHITUR; et per hoc distinguitur a **contumelia**, quae fit in praesentia diffamati vel saltem cum intentione, ut ad ejus notitiam perveniat. Hinc CONTUMELIA se habet ad DETRACTIONEM sicut RAPINA ad FURTUM, cum inferatur praesenti renitenti estque caeteris paribus gravior DETRACTIONE, a qua specie differt : quia honor est bonum a fama notabiliter diversum. — DETRACTIO vocatur **susurratio**, si fiat ad occulte et injuste solvendam vel laedendam amicitiam, discordiam disseminandam inter eos quibus facta revelantur et eos de quibus revelantur. Estque peccatum mortale ex genere suo, dicente Script. (ECCL. XXVIII, 15 : « *Susurro et bilinguis maledictus;* » et quidem tanto gravius, quanto amicitia inter illas personas est magis necessaria, ut v. g. inter conjugatos, inter parentes et liberos, inter superiorem et inferiores, etc. Sed potest ab omni peccato excusari, si ob justam causam fiat, v. g. ad removendum amicum a consortio ei noxio.

Q. 155. *Quotuplici* modo fieri possit DETRACTIO?
R. EX S. TH. (2. 2. q. 73, a. 1 ad 3) fit *directe* vel *indirecte*.

Explanatur. Et quidem **directe** fit praesertim *quatuor* modis, hoc versiculo expressis : IMPONENS, AUGENS, MANIFESTANS, IN MALA VERTENS. 1°) *Imponens* intelligitur qui alteri falsum crimen vel defectum affingit; qui modus est omnium pessimus, continens mendacium perniciosum, vocaturque **calumnia** seu IMPOSITIO FALSI CRIMINIS. Sic UXOR Putipharis detraxit Josepho (GEN. XXXIX, 14) et duo senes Susannae (DAN. XIII, 37) et impia Jezabel Naboth (III Reg. XXI, 13). 2°) *Augens*, qui alterius verum crimen exaggerat, vel quoad rem ipsam, ut si de leviter ebrio, dicas quod fuerit graviter ebrius; vel quoad numerum, ut si de semel vel iterum ebrio, dicas quod sit ebriosus; vel quoad personas, ut si crimen unius multitudini impingas, quod frequens est ubi agitur de crimine unius ecclesiastici vel religiosi; 3°) *Manifestans*, qui crimen occultum detegit, estque DETRACTOR stricte et in rigore sensus. 4°) *In mala vertens*, qui alterius facta bona vel indifferentia coram aliis sinistre interpretatur. — **Indirecte** fit similiter *quatuor* modis, videlicet : QUI NEGAT, AUT MINUIT, RETICET, LAUDATIVE REMISSE. 1°) *Negat*, qui narranti bona de proximo contradicit. 2°) *Minuit*, qui similia

extenuat. 3°) *Reticet*, qui in iis circumstantiis non laudat, in quibus silentium pro tacita vituperatione vel recensiti defectus confirmatione vel approbatione sumitur. 4°) *Laudat remisse*, qui in facto alterius valde laudabili ita frigide loquitur, ut cedat in ejus vituperium.

Q. 156. *Quantum* peccatum sit DETRACTIO?

R. Ex S. Th. (2. 2. q. 73, a. 2) DETRACTIO, sive sit *simpliciter* talis, sive sit CALUMNIA, in materia gravi lethale peccatum est.

Explanatur. Constat 1°): Ex Script. Dicitur enim (Prov. XXIV. 9) : « *Abominatio hominum detractor;* » et (Rom. I, 30 et 32) detractores dicuntur « *digni morte*, » et « *Deo odibiles.* » Constat 2°) : ex SS. PP. Notissimum est disticum quod S. Augustinus, teste Possidio in ejus vita, ad suam mensam scripserat :

« Quisquis amat dictis absentem rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi. »

Constat 3°) : ex ratione. Utraque enim charitatem et justitiam laedit ; sed **calumnia** *semper*, et ideo nunquam licita est, nec ad injuriam propulsandam, v. g. ad elidendam detrahentis auctoritatem magnam tibi noxiam, vel ut honorem tuum defendas, ut constat ex propositione ab Innoc. XI damnata tum sub n. 43 : « *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere;* » tum sub n. 44 : « *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat ; et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* » **Detractio** simplex *non semper* justitiam laedit, sed interdum charitatem tantum, v. g. quando proximus amisit jus ad famam ; interdum ne charitatem quidem, si fiat ob justas causas, scilicet : 1°) Ad emendationem delinquentis, ita ut alia via emendari non posse videatur, quam revelando ipsius crimen duobus aut tribus testibus, vel superiori, servato ordine correctionis fraternae. 2°) Ad petendum consilium vel auxilium a prudente confessario aut altero viro docto ac probo. 3°) Ad vitandum damnum nedum publicum, sed et privatum injustum et grave, sive tuum, sive alterius, licet minus grave eo quod imminet diffamato ; et sic licet v. g. reum prodere ad liberandum innocentem ; monere proximum, furem vel corruptam

esse, quam sibi famulam petit aut sponsam. **Nec dicas** : non licet auferre rem alienam nisi in extrema necessitate : ergo nec famam. **Respondetur** enim : *Neg. conseq.* Disparitas est, quod dominus rei non sit nocens, aut saltem res ejus non noceat, ut suppono. Is autem, cujus crimen revelatur, est nocens et fama ejus seu saltem crimen occultum nocet.

Resolvitur 1. Qui refert alterius grave crimen non quidem **assertive,** sed *tanquam dictum* ab aliis licet vilibus personis, raro excusatur a mortali : quia experientia constat homines in malum proclives similibus facile credere sufficienter ad gravem proximi laesionem : et quoniam *fama crescit eundo*, si primus narret ut relatum ab aliis, secundus vel tertius narrabit ut certo factum. Hinc licet primus forte non laederet graviter famam proximi, illam tamen exponit evidenti periculo notabilis laesionis. **Resol. 2.** Reus est gravis detractionis, qui famam personae **defunctae** notabiliter minuit : quia defunctus aeque habet jus ad famam suam ac vivus, cum juxta communem hominum aestimationem censeatur adhuc in fama sua vivere; ideoque sicut illius memoria capax est gloriosae recordationis, ita et ignominiosae detractionis. Quin imo, juxta multos, cum defuncti non possint suum honorem tueri, gravius peccant qui eorum famam laedunt. Quod tamen alii negant : quia defuncti minus indigent fama apud nos et minus aegre fertur ejusdem jactura. **Resol. 3.** Eo gravior evadit detractio, quo longius infamia spargitur et difficilius reparari potest, ut si detrahatur coram *garrulis* vel per *libellos famosos*. Est autem **libellus famosus** signum vel scriptura continens infamiam occultam alicujus, ut publica fiat. Sub nomine signi veniunt quaecumque emblemata, imagines, figurae hominem dedecorantes (vulgo *caricatures*, *pasquinates*). **Resol. 4.** Detractio per se **gravius peccatum** est furto : per hoc enim auferitur pecunia vel aequivalens, per detractionem tollitur fama ; sed « *melius est nomen bonum quam divitiae multae*, » ait sapiens (Prov. XXII, 1); unde quoque Poeta cecinit :

« *Omnia si perdas, famam servare memento.* »

Q. 157. *Quaenam* sit *materia gravis* in DETRACTIONE?

R. *Materia gravis* intelligitur quae ejus cui detrahitur

existimationem graviter onerat; quod proinde varie ex personis potius quam ex crimine imposito vel revelato metiri convenit.

Resolvitur. Hinc **lethale** est de viro gravi dicere eum mendaciis, etsi levibus, assuetum esse; de adolescente morigerato, eum amare puellas; e contra non est grave dicere agricolam inebriari, militem concubinam fovere : nam hi de similibus non erubescere, sed gloriari solent. Nihilominus famae jactura semper **modica** existimatur : 1°) Si alicui detrahas penes unum tantum vel alterum virum probum ac taciturnum, etiam sine causa, cum illud detrimentum famae apud unicum hominem in communi aestimatione sit modicum, nisi aliud suadeant circumstantiae, v. g. si crimen tale detegeretur superiori, domino, vel benefactori committentis, aut alteri, quem reus maxime latere vult. (Cfr. Cajet). 2°) Si crimen prodas quod brevi proditurum erit, nisi haec brevis anticipatio divulgationis ei cui detrahitur graviter nocere possit. Ratio est : quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certe non magnae aestimationis est, et moraliter loquendo jam censetur abjecta. 3°) Qui scit sibi non credi, facile a peccato injustitiae effectivo excusatur, uti plerumque mulierculae conviciis se mutuo onerantes, cum jurgia miscent.

Q. 158. An *specie* differant DETRACTIONES in materiis *specie* diversis?

R. Controvertitur.

Explanatur. Alii **affirmant** : quia fama constat partibus specie distinctis; alia enim est v. g. fama de castitate, et alia de justitia, proindeque laesiones famae debent differre specie, prout partes diversae speciei violant. Alii **negant** cum Cajet. : quia hae variae DETRACTIONES laedunt unam famam, sicut variae CONTUMELIAE unum honorem. Nec refert quod hae diversae detractiones tollant famam per defectus specie distinctos : quia hi diversi defectus, quatenus tollunt famam quod intendit detrahens sunt ejusdem rationis; secundum se autem considerati et ut specie differunt, se habent tantum materialiter ad detractionem : sicut bos et equus, quamvis in se specie distincti, non tamen diversificant specie furtum, quia in ordine ad nocumentum sunt ejusdem rationis; quatenus autem sunt in se diversae speciei se habent tantum materia-

rialiter ad furtum. Negandum autem est fundamentum primae sententiae : nimirum famam constare partibus diversae speciei ; sed dicendum constare partibus ejusdem rationis proindeque famam v. g. de castitate non differre specie a fama de justititia sed tantum secundum magis et minus. Cfr. Bill.

Resolvitur. Ex quo sequitur : 1°) satis esse in confessione dixisse : *detraxi* ; 2° eum qui alteri eodem sermone in pluribus detrahit, unum dumtaxat peccatum admittere. Quod autem quidam putant, peccata multiplicari ex audientium numero, probabiliter rejicitur : una enim unius existimatio laeditur unico actu. Cfr. p. 210.

Q. 159. *Quotuplicitèr* crimen alicujus possit esse PUBLICUM?
R. *Tripliciter* : PUBLICITATE *juris, facti* et *famae*.

Explanatur. PUBLICUM **jure** est, de quo constat per confessionem rei in judicio factam vel per sententiam judicis subsecutam. PUBLICUM **facto** est, quando coram pluribus est perpetratum, ita ut videatur non posse celari. PUBLICUM **fama** est, quod, licet occulte commissum, ad notitiam majoris partis communitatis per divulgationem devenit.

Q. 160. An *liceat* crimen PUBICUM ubique *evulgare?*
R. *Distinguendum est.*

Explanatur. 1°) Si crimen sit PUBLICUM **jure,** tunc, post publicatam sententiam condemnatoriam, licitum est illud omnibus sive ejusdem, sive diversorum locorum hominibus evulgare : quia magistratus habet jus aliquem in vindictam criminis spoliandi bonis, sicut vitae et fortunae, ita et famae, quod eo ipso facere censetur, quando reum publica sententia coram populo condemnat. Dixi : *post publicatam sententiam ;* quia quamdiu crimen solum inter cancellos judicii est notorium, nisi paulo post sit publicandum, non potest sine injuria evulgari, cum tunc nondum censeatur PUBLICUM relate ad populum. 2°) Si crimen sit PUBLICUM **facto** vel **fama,** illud evulgare licet non tantum in loco ubi crimen PUBLICUM est, sed etiam in illis locis ubi facile et brevi publicandum est, nec ex anticipatione sequatur grave damnum pro infamato. Si vero agatur de aliis locis, tunc vel crimen hominem reddit *perniciosum* et ab aliis vitandum, ut sunt crimina homicidii proditorii, leno-

cinii, scandalosae impudicitiae et similium, vel non. Si *primum*, nullo modo peccat, qui illud alibi evulgat, quia bonum publicum postulat facinorosos homines dignosci, ut ab eis caveant omnes. Si *secundum*, probabilis sententia est, *justitiam* non laedere qui crimen *absolute* NOTORIUM in aliquo loco communi alibi evulgat : quia infamia undecumque orta fuerit, existimationem consumit. Dixi : *absolute* NOTORIUM. Si enim sit NOTORIUM cum limitatione intra certam privatam communitatem, monasterium, non potest alibi manifestari, ne in alio quidem monasterio ipsius ordinis, quod cum illo frequentem haberet communicationem. At *charitatem* laedit, qui sine ulla justa necessitatis vel saltem utilitatis causa alibi hujusmodi crimen prodit (sed utrum *leve*, an *grave* sit, disputatur) ; vel obliteratum refricat (et hoc est *grave*).

Q. 161. An *liceat* seipsum INFAMARE?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative*, si fiat **ob justam causam**, v. g. ob humiliationem, consilium, secluso scandalo et aliorum damno, quemadmodum S. AUGUSTINUS in 13 libris *confessionum* et alii fecerunt. 2°) **Sine rationabili causa** seipsum infamare *per se* est veniale PRODIGALITATIS. *Per accidens* etiam mortale contra JUSTITIAM, si ejus infamia redundet in tertium, ut infamia religiosi in ordinem, patris in filium innocentem, complicis in complicem ; vel si bona ejus fama necessaria sit ad rite praestandum munus suum, ut v. g. est in parocho vel praelato ad bene regendum subditos.

Q. 162. *Quomodo* peccet DETRACTIONIS *auditor?*
R. EX S. TH. (2. 2. q. 73, a. 4) audiens DETRACTIONEM peccat, quatenus consentit detractioni.

Explanatur. *Dupliciter* autem consentire potest : **directe** et **indirecte.** Et quidem **directe** consentit, quando vel ad DETRAHENDUM inducit, vel ipsi placet DETRACTIO ; **indirecte,** quando ipsi non placet DETRACTIO, eam tamen non impedit dum potest et debet.

Resolvitur 1. Qui ita audit, ut interrogando, excitando, avide attendendo, complacentiam ostendendo aut simili modo alterum *inducat* ad DETRAHENDUM vel DETRACTIONEM continuandum, non tantum detrahentem *scandalizat*, sed etiam, quia cooperatur positive, pec-

cat pro ratione materiae graviter vel leviter contra *justitiam*, cum onere restitutionis in defectu detrahentis. **Resol. 2.** Qui simpliciter *gaudet* de DETRACTIONE gravi ab alio facta, peccat graviter contra *charitatem*, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe, si gauderet tantum de auditione rei novae vel curiosae, aut de facundia detrahentis, non vero de ipsa detractione. **Resol. 3.** Qui nec inducit, nec laetatur, *non impedit* tamen quando commode potest, dupliciter peccat contra *charitatem* : et quoad eum cui detrahitur, quia infamiam ejus non prohibet; et quoad detrahentem, quippe cui occasionem praebet peccatum exterius consummandi. Non item contra *justitiam*, licet sit superior, sive ejus cui detrahitur, quippe cujus fama credita sibi non est; sive detrahentis, quia volenti non fit injuria. Si tamen mercedem accipit, laedit *justitiam* ex alio capite, nempe quia officio suo deest. Sed, quia *charitas* A) non cogitat malum; nec B) obligat cum gravi incommodo; nec C) frustra, eoque minus contra seipsam, obligat; idcirco aut ab omni aut certo a lethali culpa is excusatur ex *primo* capite, si nesciat utrum sint occulta quae a DETRACTORE proferuntur; vel ex *secundo* capite, si timeat OBTRECTATORIS offensam, aut verecundia vel pusillanimitate prohibeatur ei obloqui; vel ex *tertio* capite, si vereatur ne DETRAHENS nihilominus pergat, aut, si destiterit, ne auditores gravius aliquid suspicentur.—At si tristis audit, nedum non peccat, sed meretur, dicente Scriptura : (PROV. XXV, 23) *Ventus aquilo dissipat pluvias et facies tristis linguam detrahentem.* »

Q. 163. Quare CALUMNIA sit peccatum gravius DETRACTIONE *simplici?*

R. Quia, cum crimen falsum imponatur, superadditur malitia MENDACII, sicque justitia et charitas magis laeduntur. Dein, si CALUMNIA sit judicialis, i. e. in judicio proferatur, superadditur malitia PERJURII in casu quo praestetur JURAMENTUM.

Nota. Quoad **restitutionem** *famae* Cfr. Tractatus de JURE ET JUSTITIA.

ART. III. De contumelia.

Q. 164. *Quid* 1°) sit CONTUMELIA. et 2°) *quot modis* fieri possit?

R. Ad 1um) Ex S.Th. (2. 2. q. 72, a. 1) CONTUMELIA definiri potest : *injusta ablatio vel diminutio honoris alterius facta praesenti vel quasi praesenti; aut si absenti, ea saltem intentione, ut ad notitiam ejus perveniat.*

Explanatur. Dicitur : 1°) **injusta**; ut significetur nec contumeliam esse, nec peccatum, si ex justa causa et auctoritate alicui objiciantur verba duriora, v. g. propter correptionem aut disciplinam, servatis debitis circumstantiis; quomodo Christus vocavit Apostolos *stultos* (Luc. XXIV, 25) et Apostolus Galatas *insensatos* (Gal. III, 1). Raro tamen, ut notat S. Thom. (2. 2. q. 73, a. 2 ad 3) similes objurgationes adhibendae sunt, quia difficile est in his non excedere et frequentius subditos ad iram commovent quam corrigant. Dicitur : 2°) **honoris alterius**; i. e. externae reverentiae quae alicui debetur propter ejus excellentiam aut dignitatem. Dicitur : 3°) **quasi praesenti**; v. g. dum inhonoratur minister aut imago alicujus, vel alia res quatenus ad ipsum spectat.

Resolvitur 1. Contumelia differt a detractione tum quoad modum : quia detractio fit occulte, contumelia vero aperte; tum quoad objectum : quia contumelia directe laedit honorem, detractio autem famam. **Resol. 2.** Contumelia differt a blasphemia, sicut magis commune a minus communi : quia omnis blasphemia est contumelia in Deum vel Sanctos, prout habent relationem ad Deum.

R. Ad 2um) *Dupliciter* fieri potest : *negative*, omittendo honorem debitum; *positive*, per verba, facta aut signa seu scripta contumeliosa manifestando malam de altero existimationem.

Explanatur. Contumelia *positiva* fit **per verba**, quando alicui quodvis vitium vel defectus objicitur in ejus inhonorationem; et quidem si objicitur alicui vitium culpae vel poenae, v. g. vocando furem, adulterum, furca dignum, etc., est tunc contumelia stricte dicta. Fit **per facta**, quando quis ipso facto laeditur in persona propria vel admodum conjuncta, v. g. per impactam alapam, aut fractionem imaginis. Fit per **signa** seu **scripta**, quando quis animo infamandi alterius crimen vel defectum scripto, emblemate, pictura aut alio signo publice affixo vel in vulgus sparso evulgat, et dicitur in jure *libellus famosus* de quo supra (pag. 461) diximus. Ad CONTUMELIAM *positivam* referuntur : 1°) **Convitium**, cum alicu

objicitur vitium naturale corporis vel animi, ut vocando stultum, gibbosum, truncum, etc. 2°) **Improperium,** quo alicui per contemptum objicitur vel exprobatur defectus natalium aut defectus indigentiae in bonis animae, corporis, famae vel fortunae velut ab ipso objiciente sublevatae. 3°) **Irrisio,** qua aliquis contemptim ridetur, ad proximi erubescentiam et confusionem excitandam. Quod si fieret non ex contemptu seu animo pudefaciendi, sed recreationis causa, ut dum amici quaedam levia sibi invicem objiciunt, pertinet tunc ad virtutem *eutrapeliae*. Id tamen periculo non caret : « Sunt enim, ait Bill., plerique qui dum libenter alios derident, ad minimam sui derisionem excandescunt. » 4°) **Subsannatio,** qua quis ludibrio habetur motibus corporis vel membrorum. Sic Judaei subsannarunt Christum in cruce (Marc. XV, 29) « *moventes capita sua.* » Haec quatuor : *convitium*, *improprium*, *irrisio* et *subsannatio* saepius pro eodem sumuntur; reipsa tamen distinguuntur tum a se invicem, tum a contumelia stricte dicta.

Q. 165. *Quale* peccatum sit CONTUMELIA?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Contumelia **negativa** ordinarie *per se* est tantum veniale peccatum contra virtutem observantiae, quae virtus nec pro semper obligat, nec per se graviter. *Per accidens* laedit pietatem, si honor omittitur erga parentes, et saepe est mortale, si omissio fiat ex contemptu, odio, vindicta, vel cum gravi scandalo aliorum. 2°) Contumelia **positiva** est peccatum mortale ex genere suo contra justitiam, *specie* distinctum a detractione : quia honor est bonum a fama notabiliter distinctum. Et quamvis detractio et contumelia ordinarie sint conjunctae, aut *in ipso actu*, ut si alteri coram aliis crimen falsum vel occultum in faciem objicias, aut *in effectu*, ut quia ob contumeliam illatam apud alios diminuitur fama ipsius; saepe tamen separari possunt, veluti si quis soli in occulto crimen objiciat, vel in praesentia coram aliis, nemine credente; in quibus casibus est contumelia sine detractione. Ceterum contumelia saepe excusatur a mortali ex imperfectione actus vel ex parvitate materiae, quae ex circumstantiis ipsius actus contumeliosi verborum, factorum et praesertim personae, cui infertur, desumi debet.

Resolvitur. Eo gravior fit contumelia, quo infertur majori a

minore; et e converso eo levior, quo infertur minori a majore : quia cum honor debeatur propter excellentiam, eo gravior est dehonoratio quo fit majori a minore, et eo levior quo fit minori a majore. Unde quoque saepe excusantur a mortali mulierculae et infimae sortis homines, qui rixando invicem se in platea CONVITIIS et CONTUMELIIS afficiunt, quidquid in buccam venerit evomantes : quia quae sic effutiuntur non apprehenduntur ut vera, nec inde graviter laeduntur aut laedunt. Cfr. BILL.; SASS.

Q. 166. An omnes CONTUMELIAE sint *ejusdem speciei* peccata?

R. AFFIRMATIVE *per se* : cum CONTUMELIA omnis sit contra idem bonum seu jus, ne dignitas minuatur; et ideo non teneris in confessione exprimere qualitates CONTUMELIAE, v. g. appellavi adulterum, furem, etc., sed tantum : gravibus contumeliis alterum toties affeci. *Per accidens* tamen saepe annexam habent aliam speciem peccati, necessario in confessione exprimendam, ut si simul laedatur fama, vel bonum corporis aut fortunae; vel si fiat ex odio vel contemptu; vel alicui detur scandalum, commovendo eum ad iram, vindictam, blasphemiam; aut exercentur actus contra religionem, irridendo caeremoniis sacris; vel contra pietatem, irridendo parentibus, et sic de aliis.

Nota. De **restitutione** honoris agetur in Tract. *de jure et justitia*.

ART. IV. De judicio temerario. suspicione et dubitatione temeraria.

Q. 167. *Quid* sit JUDICIUM TEMERARIUM?

R. Est *assensus firmus de aliquo defectu alterius ex levibus indiciis procedens.*

Explanatur. Dicitur : 1°) **assensus,** et sic distinguitur : A) a SUSPICIONE TEMERARIA, quae est mentis inclinatio ad sentiendum male de proximo ex insufficienti ratione; B) a DUBITATIONE TEMERARIA, qua quis absque sufficienti indicio, citra assensum determinatum de vitio vel crimine alterius, aut *positive* judicat esse dubium; aut *negative* suspendendo omne judicium, dubium relinquit crimen vel vitium alterius. Dicitur : 2°) **firmus,** ita ut judicans, si inter-

rogatus esset, responderet sine dubitatione se ita credere, et sic differt ab OPINIONE, qua assentimur quidem, sed non firmiter, ideoque cum formidine de opposito. Dicitur 3°) **de aliquo defectu alterius**, i. e. vel naturali, vel morali, ratione cujus proximus potest vilipendi. Dicitur : 4°) **ex levibus indiciis**, i. e. quae regulariter non habent connexionem cum tali defectu. Si adsunt sufficientes rationes, JUDICIUM dicitur PRUDENS.

Nota. Ex S. THOM. 2.2.q.60,a.3) **temeraria** JUDICIA, SUSPICIONES, DUBITATIONES oriuntur praecipue ex his tribus : 1°) quod aliquis judicans in seipso malus sit ; 2°) quod aliquis male afficiatur erga alterum ; 3° ex longa experientia : unde senes solent esse maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Ex his tribus causis sola *tertia* excusat in tantum, in quantum experientia argumentum subministrat.

Q. 168. *Quale* peccatum sit JUDICIUM TEMERARIUM?

R. Est peccatum mortale ex genere suo contra charitatem et insuper contra justitiam : quia quilibet habet jus, ut sine fundamento non perdat bonam aestimationem apud alium. Hinc Scriptura ait MATTH. VII, 1 : « *Nolite judicare, ut non judicemini.* » Ut tamen in praxi sit mortale, *quatuor* requiruntur.

Explanatur. Requiritur : 1°) Ut sit **verum judicium**, non mera rei repraesentatio. 2° Ut sit **plene deliberatum**, ita ut voluntas consentiat, postquam intellectus apprehenderit malitiam ac temeritatem JUDICII ; hinc, si v. g. videndo mulierem fabulantem cum milite, subito apprehendas aliquid mali, vel erit nuda repraesentatio, vel actus JUDICII imperfectus, et ad summum veniale ; aliud est, si facta reflexione, illud approbes. 3°) Ut sit **in materia gravi, de persona determinata et cognita**, quia alias non esset graviter proximo injuriosum ; et hinc, non est mortale, si fiat in materia levi, v. g. quoad defectum qui spectatis circumstantiis non magnam affert famae jacturam, ut si quis hominem infimae conditionis judicet fuisse ebrium, militem esse duellatorem, etc. ; vel si fiat de indeterminato aliquo inter plures, v. g. in coetu vel communitate aliqua ; vel si quidem de determinato, sed judicantibus ignoto. 4°) Ut fiat **ex levibus conjecturis** : nam si adsint indicia graviora vel vere sufficientia, parva vel nulla aderit temeritas, et proin veniale erit vel nullum peccatum.

Q. 169. *Quantum* peccatum sint SUSPICIO et DUBITATIO TEMERARIAE?

R. SUSPICIO TEMERARIA, et a fortiori DUBIUM TEMERARIUM *positivum* de malo proximi, *per se* non sunt peccata mortalia, maxime si procedant ex errore intellectus, quo indicia ut sufficientia apprehenduntur. Ratio est : quia famam non tollunt; manet enim in mente aliquo modo bona existimatio, sed tantum minuunt et dubiam reddunt. *Per accidens* possunt esse mortalia : 1°) Si oriantur ex maligno affectu vel gravi odio erga proximum. 2°) Si procedant in effectum externum graviter damnosum, ut si superior ex suspicione subditum puniat, ab officio amoveat, suffragium neget, etc. 3°) Si aliis manifestentur cum gravi damno famae proximi. 4°) Si crimen sit tam enorme et rationes tam leves, ut laesus merito graviter doleat, quod talia etiam tantum de ipso suspicemur. — At DUBIUM *negativum* nullo modo peccatum est : quia negative dubitando de malo proximi, nulla ei infertur injuria. Quod vero DUBIA in meliorem partem interpretanda sint, intelligendum est *negative* tantum, ut non in malam partem accipiantur, vel *ex hypothesi*, si velis JUDICIUM aliquod ferre; non autem *positive* et *absolute*. Demum, cavere solum sibi vel alteri, si forte malus esset proximus, non est peccatum, cum hoc neque sit JUDICARE, neque SUSPICARI vel DUBITARE positive, sed solum supponere, quod proximus possit esse malus, quod verum est, nec ulli injuriosum. Hinc licite occludo pecunias, quia fieri potest, quod socius, famulus vel hospes sint fures, licet tales non judicem.

ART. V. De violatione secreti.

Q. 170. *Quid* 1°) sit SECRETUM et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1um) SECRETUM in genere est res arcana; plerumque vero ipsa cognitio rei arcanae SECRETUM dicitur.

R. Ad 2um) Praescindendo a SECRETO *sacramentali* seu SIGILLO, *triplex* distinguitur : A) *naturale*, dum res ex se postulat manere occulta, ut si quis casu aliquid videt vel audit, quod manifestari non potest sine gravi damno tertii; B) *commissum*, dum aliquid non manifestandum committitur ex-

presse, vel etiam tacite, prout medicis, advocatis, theologis consultis; C) *promissum*, si rem, quam jam nosti, te non revelaturum promiseris.

Q. 171. *Quomodo* obligat SECRETUM?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) SECRETUM **naturale** in re gravi obligat per se sub gravi et ex justitia, nisi justa causa excuset. Hinc si casu fortuito cognoscas, ubi alter habeat thesaurum occultum, et ex revelatione praevideas surripiendum, revelando peccas graviter contra justitiam et teneris ad restitutionem damnorum. 2°) SECRETUM **promissum** obligat prout promittens se obligare voluit, ex justitia vel fidelitate tantum; et hoc in dubio praesumitur, ideoque illud revelare per se est veniale tantum. 3°) SECRETUM **commissum** in re gravi per se obligat sub gravi et ex justitia, ob contractum onerosum intervenientem, nisi iterum justa causa excuset. Hinc graviter peccant contra justitiam *Visitatores* apud religiosos, si personas, a quibus defectus corrigendi delati sunt, directe vel indirecte manifestent, ex quo multa mala sequuntur, et subditi retrahuntur a manifestatione defectuum necessario corrigendorum. Item *Definitores* in capitulo, si postea declarent, quos patronos vel adversarios quis habuerit in ordine ad officium, ad quod fuit propositus; aut dicant: ego et talis non fuimus tibi contrarii; satis enim indicant qui se opposuerint; ex quibus oriri possunt discordiae et aversiones animorum; magis adhuc peccant, si haec saecularibus amicis revelent.

Q. 172. *Quaenam* sint generatim *justae causae* SECRETUM *manifestandi?*

R. Sint quatuor sequentes.

Explanatur. 1°) Consensus legitime praesumptus illius cujus interest SECRETUM occultare. 2°) Divulgatio rei aliunde facta. 3°) Si SECRETUM vergeret in grave damnum commune, vel innocentis, vel ipsius committentis; imo in his casibus, etiamsi jurasses illud servare, ex ordine charitatis recte illud revelas. Hinc, si sub SECRETO scias impedimentum dirimens matrimonium, et non possis volentem contrahere aliter impedire, teneris revelare, ut impedias ejus peccatum et sacramenti irreverentiam. 4°) Si vergeret in manifes-

tantis grave damnum proprium. Hinc SECRETA non obligant cum dispendio propriae vitae, famae, aut alterius gravis mali, nisi eorum revelatio cederet in grave damnum communitatis. et ita miles non potest ob quaevis tormenta vel mortis periculum revelare SECRETA reipublicae aut exercitus, quia bonum commune privato praevalet. Quod si promiseris servare SECRETUM, etiam cum vitae dispendio teneris illud servare cum gravi tuo damno ; imo probabilius cum periculo vitae, modo negotium SECRETO servandum sit gravissimi momenti : secus enim promissio foret prodigua, quam servare non teneris.

Q. 173. An *interrogatus* a superiore vel judice teneatur SECRETUM revelare?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirmative*, si agatur de SECRETO **promisso,** etiamsi promissioni additum fuerit juramentum. *Negative* generatim, si agatur de SECRETO explicite aut implicite **commisso** ; imo interrogatus nequit tunc illud revelare, sed uti debet restrictione late mentali, dicendo v. g. *se nihil scire*, puta ad revelandum, ne homines metu revelationis priventur commodo quaerendi consilium aut auxilium necessarium. Dixi : *generatim ;* quia servare non teneris, si adsit justa causa illud revelandi.

Q. 174. An *peccet* qui SECRETUM alienum *delegere* quaerit aut illud *expiscatur?*

R. Non peccat contra justitiam, si simpliciter, et absque dolo aut vi, eum interroget cujus est SECRETUM. Secus vero si malitiose, absque justa causa, id extorquere velit, cum unicuique competat jus ad suum SECRETUM.

Resolvitur. Hinc peccat contra justitiam, et quidem graviter *per se*, qui alterius literas aperit vel ad candelam vel solem legit. Excipe *per accidens :* 1°) Si adsit consensus tacitus aut praesumptus illius qui scribit vel ad quem scribitur. 2°) Si cognoscatur vel recte praesumatur literas continere res minoris momenti. 3°) Si id justa de causa fiat : v. g. ad damnum publicum vel privatum avertendum; sicque rex aut dux potest aperire literas non tantum hostium, sed etiam aliorum omnium, quae tempore belli a locis hostium finiti-

mis circumferuntur. Sic quoque superior domus religiosae, collegii, etc., licite aperit literas suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas; non tamen literas quas subditi religiosi superioribus majoribus, ac vicissim hi superiores subditis mittunt. 4° Si putes aliquid contra te literis contineri; dummodo hoc vere probabile sit, et sit grave, et epistola ab eo missa fuerit a quo SECRETUM licite extorqueri posset. 5° Si literae ex levitate aut defectu perfectae advertentiae aperiantur. Cfr. SASS., STRUGGL.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

PRAEAMBULUM. Multa sunt praecepta Ecclesiae **particularia**, quae scilicet versantur circa materiam specialem et fideles tantummodo alicujus status seu conditionis specialis respiciunt, v. g. episcopos, presbyteros, clericos, beneficiatos, etc. De istis porro legibus agitur tum in *jure canonico*, tum etiam ubi de *statibus particularibus* movetur quaestio. At in praesenti tractatu agitur tantum de praeceptis Ecclesiae **generalibus**, quae nimirum toti christiano populo sunt communia omnibusque ideo fidelibus a pastoribus sunt exponenda seduloque commendanda, prout enixe hortatur SYN. TRID. (sess. XXV, *contin. sess.*). Sequens erit **ordo** tractatus: primum tradentur quaedam *notiones praeviae*; dein agetur de singulo *Ecclesiae praecepto*.

Notiones praeviae.

Q. 1. An *Ecclesia* habeat *potestatem* statuendi PRAECEPTA sub gravi obligantia?

R. *Affirmative*. Constat: 1°) ex eo quod a Christo potestatem acceperit legislativam; 2°) ex praxi Ecclesiae quae, teste jure canonico, multas leges seu praecepta instituit respectu tum fidelium, tum clericorum, tum omnium simul. Hinc TRID. (sess. VI, can. 20): «*Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum* DEI *et* ECCLESIAE, *...anathema sit.*»

Q. 2. *Quot* sint PRAECEPTA Ecclesiae *generalia*, seu clericos et fideles simul obligantia?

R. PRAECEPTA Ecclesiae, toti christiano populo communia, *quinque* vulgo numerantur.

Explanatur. Sunt : 1°) Sanctificatio festorum quae ab Ecclesia sunt instituta ; 2°) Missae auditio diebus dominicis et festis ; 3°) Observantia jejuniorum et abstinentia a carnibus certis diebus ; 4°) Sacramenti poenitentiae receptio semel in anno ; 5°) Receptio Eucharistiae in Paschate. Quae omnia hisce versiculis continentur :

Festa colas, praesens Sacro ; jejunia serves ;
Annua sit confessio ; sit communio Paschae.

In his versiculis praeceptum abstinentiae a carne in praecepto jejunii continetur. Olim enim unicum erat praeceptum individuum. In praesenti vero Ecclesiae disciplina haec duo sunt distinguenda, cum saepe urgeat obligatio abstinendi a carnibus absque jejunio. Hinc quandoque *sex* Ecclesiae PRAECEPTA numerantur, sequenti versiculo denotata :

Festa, Sacrum, caro, jejunans, confessio, Pascha.

Scholion. Haec *quinque* praecepta **non sunt pure ecclesiastica** : nam, quoad *substantiam* praeceptam, continent aliquid juris *naturalis* vel *divini*, cui Ecclesia determinationem temporis superaddidit. Sic 1°) circa *dies festos*, de jure naturali et divino est, aliquod tempus impendi cultui divino, quia natura sumus servi Dei. 2°) Circa *Missam*, de jure naturali et divino est, Deum, ut primum rerum omnium principium, recognosci debere per sacrificium externum ; jure autem divino omne sacrificium in N. L. redactum est ad sacrificium Missae. 3°) Circa *abstinentiam* et *jejunium*, de jure naturae est, carnem subjicere spiritui, uti tradit S. THOM. (2. 2. q. 147, a. 3 et 8). 4°) Circa *confessionem* et 5°) circa *communionem*, de jure divino seu de lege Christi est, confitenda esse peccata et Eucharistiam esse sumendam. — **Perperam** tamen exinde quis concluserit, hujusmodi *quinque* praecepta esse simplicem declarationem juris divini vel nudam determinationem temporis quo obligat jus divinum aut naturale : nam ipsa substantia sive ipse actus etiam cadit directe sub praecepto Ecclesiae ; et hinc, licet quis communicando die sabbati ante dominicam Palmarum satisfecisset praecepto divino, tenetur nihilominus in quindena Paschali

Eucharistiam sumere, ut satisfaceret praecepto Ecclesiae; et ille qui toto anno omitteret communicare, peccaret contra praeceptum divinum et Ecclesiae. Cfr. DENS.

DE PRIMO ET SECUNDO ECCLESIAE PRAECEPTO.

CAP. UNIC. De observatione festorum per abstinentiam ab operibus servilibus et auditionem missae.

Q. 3. Cur FESTA ab Ecclesia sint *instituta?*

R. « Ut Christiani beneficiorum Dei memoriam pie recolant et mysteria nostrae religionis commemorent, vel ad celebrandam memoriam Beatae Virginis, Apostolorum, Martyrum et aliorum Sanctorum. » *Catech. ad ord.*

Q. 4. *Quis* in Ecclesia *instituere* possit FESTA, quorum sanctificatio obliget in conscientia?

R. 1°) Papa vel etiam Concilium generale instituere possunt FESTA universam Ecclesiam obligantia; 2°) Episcopi vero, FESTA propriam dioecesim spectantia. Ab his tamen de novo indicendis eos valde dehortatur URBANUS VIII in Const. « *Universa.* » Imo S. C. RIT. (23 Jun. 1703) ad quaestionem : « *An episcopus, in sua dioecesi, possit alia festa instituere de praecepto praeter illa quae in dicta Bulla* (Urbani VIII) *expressa sunt?* » respondendum censuit : « *Negative.* » Verum, decursu temporis multa FESTA olim instituta in desuetudinem abierunt, vel auctoritate Ecclesiae, praesertim ad providendum indigentiae **pauperum,** abolita fuerunt.

Q. 5. *Quaenam* sint FESTA hodie de praecepto celebranda?

R. FESTA, quae adhuc de jure communi, praeter diem dominicam, servanda sunt, et tum *per abstinentiam ab operibus servilibus* (ex 1mo PRAECEPTO), tum *per Missae auditionem* (ex 2do PRAECEPTO) a populo christiano sanctificanda, exhibentur sequentia : *Nativitas* Domini, ejusdem *Circumcisio, Epiphania, Ascensio* et ejus *Corporis* solemnitas. *Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas* et *Immaculata Conceptio B. M. V.*; FESTA *SS. Apostolorum Petri et*

Pauli, omnium Sanctorum et *Patroni* dioecesis et paroeciae, praeter solemnitates *Paschae*, *Pentecostes* et *SS. Trinitatis*, quae diei Dominicae affixae sunt.

Nota. Pro **Gallia** vero et **Belgio,** post *indultum* CARD. CAPRARA (9 Apr. 1802), ex concessione PII VII, *quatuor* tantum FESTA de praecepto fidelibus supersunt, praeter ea quae diei Dominicae sunt affixa, scilicet : FESTA *Nativitatis Domini*, ejus *Ascensionis. Assumptionis B. M. V.* et *Omnium Sanctorum*. « *Ita ut in reliquis* FESTIS *diebus omnes Gallicanae Reipublicae incolae non solum a praecepto audiendi Missam vacandique ab operibus servilibus, sed a jejunii etiam obligatione in diebus, qui* FESTA *hujusmodi praecedunt, prorsus absoluti censeantur,* » ut in praefato *indulto* dicitur. Praeterea ex eodem *indulto* in Dominicam proxime occurrentem transferenda sunt FESTA *Epiphaniae, Corporis Domini, SS. Apostolorum Petri et Pauli* et *Sancti patroni* cujuslibet dioecesis et parochiae. Attamen nihil per hoc immutatum fuit quoad obligationem Pastoribus impositam missam *pro populo* celebrandi, ut expresse PIUS IX declaravit per Const. « *Amantissimi* » (3 Maii 1858), ideoque standum est adhuc Catalogo URBANI VIII ; neque per abrogationem praecepti abstinendi ab operibus servilibus et missam audiendi, sublata fuit *solemnitas liturgica* FESTORUM suppressorum aut translatorum, ut expresse asserit Card. Legatus.— Quoad *abstinentiam a servilibus*, quae PRIMO PRAECEPTO, et *auditionem Missae*, quae SECUNDO PRAECEPTO praecipitur, vide supra *De tertio Decalogi* praecepto (p. 405-418). In **Anglia** festa de praecepto sunt *octo :* scilicet praeter *quatuor* numerata pro Gallia adsunt : *Circumcisio, Epiphania, Corpus Domini* et festum *SS. AA. Petri et Pauli*. In **Hibernia** sunt *decem :* nempe *octo* mox citata et *Annuntiatio* et festum *S. Patritii*. In **Prov. Fœd. Amer. Sept.** ex concessione LEON. XIII 25 Nov. 1885) *sex* tantum festa observanda sunt : nimirum *quatuor* servata pro Gallia et insuper *Circumcisio* et *Immaculata Conceptio*. Cfr. N. R. T. (XVIII, 540). Notandum quoque est, quod in **Hispania** et in regionibus ei subjectis, sicut etiam in pluribus **Italiae** regionibus, festum *S. Joseph* de praecepto iterum sit servandum.

DE TERTIO ECCLESIAE PRAECEPTO.

CAP. I. De abstinentia carnis extra jejunium.

Q. 6. *An* et *quale* exsistat PRAECEPTUM *abstinendi a carnibus* extra jejunium, certis diebus?

R. Datur PRAECEPTUM *ecclesiasticum* : 1°) in universo orbe, omnibus diebus *veneris*, nisi in hanc diem incidat *Nativitas Christi*, juxta declarationem HON. III (*Decret.* l. 3, tit. 46, c. 3); quo casu carnibus vesci possunt qui *nec voto nec regulari observantia sunt obstricti;* 2°) diebus *Sabbati*, tribus diebus *Rogationum* ac die *S. Marci*, in permultis locis; secus vero in multis aliis. In Belgio, ex concessione pontificia, episcopi concedunt facultatem, quotannis renovandam, diebus *Sabbati*, *Rogationum* ac *S. Marci* vescendi carnibus. Unde attendendum est ad speciales facultates vel consuetudinem locorum.

Q. 7. *Quantum* obliget hoc PRAECEPTUM?

R. *Per se* obligat sub gravi in materia gravi, i. e. quae notabiliter nutrit. Quaenam vero haec sit, valde *disputatur*.

Explanatur. Alii cum S. LIG. (H. A. XII, 20) tenent esse gravem, si excedat *octavam* partem unciae; alii, si excedat *dimidiam* unciae partem. Sed haec dicunt de diebus, in quibus praeterea JEJUNIUM est servandum; unde parum sunt ad rem, et etiamsi de JEJUNIO sermo sit, difficile componentur cum iis quae infra dicentur de materia gravi in cibo, qui die JEJUNII sumatur extra refectionem et coenulam (q. 15). Numquid enim dimidia uncia carnis plus nutriet, quam duae aut tres alterius cibi v. g. panis unciae nutriant? Insuper notandum est quod in regionibus ubi usus butyri communis est, juxta persuasionem fidelium minor sit prohibitio adipis seu pinguedinis (*graisse fondue*) quam ipsius carnis, praesertim si adhibeatur loco butyri vel ad alios cibos praeparandos.

Q. 8. *Quosnam* obliget hoc PRAECEPTUM?

R. Obligat omnes dictorum locorum fideles qui ad usum rationis pervenerunt, et *septennium* compleverunt (p. 130),

nisi justa de causa excusentur, vel legitime dispensentur.

Q. 9. *Quinam* censeantur *excusari?*

R. 1°) *Pauperes mendicantes*, modo sint in vera necessitate; nam manducare possunt quidquid eleemosyna accipiunt. 2°) *Pauperes operarii*, qui cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis aut laridi quantitate utuntur ad offam aut lactucas condiendas. 3°) *Aegroti*; item ita *debiles stomacho* vel *laboribus adeo arduis dediti*, ut cibos licitos digerere vel iis vires sufficienter reficere nequeant; et ita excusantur mulieres gravidae aut lactantes, si sint valde debiles, aut proles aegrotet; item operarii in fodinis vel officinis vitri aut ferri, ob extraordinariam laboris improbitatem. 4°) *Viatores*, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, nec alio facile divertere possunt. 5°) *Milites* denique in castris vel contuberniis versantes, et expensis gubernii in communi nutriti; non autem duces, qui propriis expensis privatim se reficiunt, nec milites iter agentes, aut in domo paterna, licet ad breve tempus, degentes. In pluribus tamen dioecesibus permittitur ab episcopis, ut omnes indiscriminatim milites singulis diebus, si *feriam sextam* majoris hebdomadae excipias, carnes manducent.

Resolvitur 1. Cum sola ratio itineris a lege abstinentiae non eximat, etiamsi forte a jejunio dispenset ob nimiam defatigationem, patet **viatores** non excusari ob timorem humanum, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque hujus generis difficultates. Tenentur praeterea serio ac instanter cibos licitos petere et ad illos obtinendos alio divertere, si commode possent. **Resol. 2.** Quoad **invitatos** ad prandium, « istos quoque excusarem, ait Berardi (*Praxis*, n. 523, 15°), si, *praeter exspectationem*, prandium ex vetitis epulis paratum inveniant. (Intellige : **1°**) nisi in odium religionis id factum fuerit; **2°**) nisi invitatus sit sacerdos [religiosus] vel talis, qui, manducando, grave scandalum ingerat; **3°**) nisi propter confidentiam aliae epulae peti possint). Porro discedere, aut toti prandio assistere, nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex alia magnam turbationem, imo ut plurimum inimicitiam, provocaret. »

CAP. II. De jejunio ecclesiastico.

Q. 10. *Quotuplex*, generice loquendo, distinguatur JEJUNIUM?
R. *Triplex.*

Explanatur. Aliud est **spirituale**, quo abstinetur a peccatis; aliud est **naturale**, quo abstinetur ab omni re sumpta per modum cibi, potus vel medicinae, a media nocte praecedente, quale requiritur ad dignam communionem; aliud **ecclesiasticum**, quo abstinetur a certo ciborum genere pluribusque in die refectionibus, juxta formam ab Ecclesia injunctam, tempore praesertim *Quadragesimae*, quatuor *Temporum* et quarumdam *Vigiliarum*, scilicet *Pentecostes*, *SS. Apostolorum Petri et Pauli*, *Assumptionis B. M. V.*, *Omnium Sanctorum* et *Nativitatis Domini*. — Porro, **convenienter** indicta fuisse jejunia illis temporibus ostendit S. THOM. (2. 2. q. 147, a. 5). Quibus allatis a S. Th. rationibus adde cum BILL. ex S. LEONE: « pro *quadragesima*, aptissimum esse tempus ratione castitatis: quia verno tempore libido maxime incenditur ob sanguinis et spirituum augmentum et fervorem. Et pro *quatuor temporibus* etiam specialiter convenientia sunt, ut Deo supplicemus pro frugibus terrae, aut pro iisdem gratias agamus. His enim temporibus aeris temperies maxime variatur et fructus omnes aut seruntur, aut nascuntur, aut maturantur, aut colliguntur. » — Cfr. BENED. XIV Const. « *Non ambigimus* » ubi traditur jejunii quadragesimalis origo, utilitas et scopus. **Objectiones** vero quas movent libertini antiqui et moderni, item *Lutherani*, *Calvinistae*, alii, contra jejunium et abstinentiam a carne, ovis et lacticiniis praeclare solutas reperies ap. BILL.

Nota. Ex decreto S. C. R. (29 Jul. 1780) ap N. R. T. (XII, 606) jejunium, pridie **consecrationis ecclesiae**, in Pontificali Romano praescriptum, *strictae obligationis* est pro Episcopo consecrante et pro iis tantum qui petunt ecclesiam sibi consecrari; ergo etiam pro rectore ecclesiae; at pro eo solo, si ipse solus supplicem libellum ad petendam consecrationem porrexerit.

Q. 11. Dic: 1°) *In quo* consistat JEJUNIUM *ecclesiasticum*; et 2°) *quantum peccatum* sit ejus *transgressio?*

R. Ad 1um) Consistit in *tribus*, scilicet: 1°) *in unica tantum intra diem naturalem refectione*, excepta collatione.

2°) *In delectu ciborum*, i. e. in abstinentia a carne et cibis vetitis. His accedit 3°) *certa refectionis hora*, quae modo est circa meridiem, seu, in pluribus locis, circa undecimam.

Explanatur. PRIMUM est pars jejunii **substantialis,** et vulgo JEJUNIUM simpliciter dici solet. SECUNDUM est pars **integralis,** ut patet ex eo quod hi qui ea solum tenentur, veluti adolescentes et senes, non dicuntur jejunare; et, ex diverso, qui ab ea dispensati, unicam comestionem servant, jejunare intelliguntur. Plerumque haec pars *abstinentiae* appellatione significatur. TERTIUM est magis quaedam **accidentalis** *circumstantia* JEJUNII : qui enim mane immemor JEJUNII plene se refecit, adhuc tenetur et potest servare JEJUNIUM. Cur autem, diebus jejunii, Ecclesia permittat *unicam* tantum refectionem, et esum *carnis* prohibeat, tradit S. TH. (2. 2. q. 147. art 6 et 8).

R. Ad 2um. Transgressio PRIMAE et SECUNDAE partis est peccatum ex genere suo mortale; non sic, juxta *probabilem* sententiam, transgressio TERTIAE, ideoque horam refectionis sine causa *notabiliter*, v. g. per integram horam praeveniens peccat contra usum Ecclesiae, sed *probabiliter* venialiter tantum : salva enim manet JEJUNII substantia. Nec obstat, quod minuatur difficultas JEJUNII : quia haec diminutio non reputatur gravis, cum finis praecepti non cadat sub praecepto. Quod si causa legitima adsit, v. g. iter, negotium, debilitas stomachi, etc., nullum est peccatum, sicut et si per quadrantem circiter praeveniat. Et si in vesperam majoris mortificationis causa differas, auges meritum, ut per se patet. Ceterum obligatio JEJUNII ex receptis cujusque regionis moribus aestimari debet; et ita in multis locis ex consuetudine fieri potest collatio hora decima seu undecima matutina, et refectio vespere, uti constat ex responsione S. POENIT. (10 Jan. 1834).

Explanatur. Dixi : *juxta* **probabilem** *sententiam* (quam tenent SASS., BUS., LESS., TOL., BOX., PAL., LAYM., SALM., SPOR., ELBEL., FILL., etc.), non esse peccatum mortale sine causa *notabiliter*, i. e. per integram horam anticipare refectionem. At huic sententiae **non suffragatur** S. THOM (in 4. dist. 15. q. 3. a. 4 ad 3) inquiens : « *Qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* » Nec suffragatur S. LIG., qui postquam huic sententiae tanquam probabiliori adhae-

serat III, 1016, deinde « re melius ad frutinam revocata » se retractavit *Elen. qq* ref. q. XIII. Praeterea damnata fuit ab ALEX. VII sequens propositio sub n. 25 : « *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.* » Jam vero JEJUNIUM *ecclesiasticum*, ut dictum fuit, tribus constat, adeoque, praeter *abstinentiam* et *unicam refectionem*, etiam requirit *horam competentem*. Interim hora non *mathematice*, sed *moraliter* computanda est ex S. TH. 2. 2. q. 147, a. 7, ad 2 : « *Ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem.* »

Q. 12. *Quinam* JEJUNII praecepto obligentur?

R. Ad SECUNDAM partem seu ad *abstinentiam* tenentur omnes fideles post septennium completum et adeptum usum rationis; et ad TRES partes tenentur fideles post 21 aetatis annum completum, nisi legitime excusentur vel dispensentur.

Resolvitur 1. Qui in quadragesima complet annum 21, tenetur reliquis diebus jejunare, etsi unus tantum supersit : quia praeceptum obligat divisibiliter pro singulis diebus. Cfr. SASS. **Resol. 2.** Si obligatio jejunandi aliunde quam ex praecepto ecclesiastico oriatur, v. g. si ex voto, vel ex regula proveniat, voventes vel religiosi professi ad illud tenentur, etsi vigesimum primum aetatis annum nondum expleverint. (Card. COZZA).

Q. 13. *Quotupliciter* peccari possit contra partem praecepti de UNICA REFECTIONE?

R. *Tripliciter* : 1°) sumendo plures refectiones vel plures refectionis partes, excepta collatione; 2°) refectionem unicam longiori tempore protrahendo; 3°) eam notabiliter interrumpendo.

Resolvitur 1. Peccat mortaliter die JEJUNII, qui extra refectionem et collationem, comedit in **quantitate notabili**; non tamen toties quoties, sed tantum prima vice : quia JEJUNIUM, quatenus consistit in unica refectione, semel tantum frangi potest, scilicet in secunda refectione, qua semel peracta, impossibile est amplius servari formam JEJUNII quoad unicam refectionem, et sic per ulteriores

non amplius frangitur. Idque verum esse dicunt, sive quis *scienter*, sive *inadvertenter* altera vice se reficiendo jejunium fregerit. Quod ultimum tamen non admittit S. Lig. (H. A. XII, 20) : « quia, inquit, licet qui violat jejunium *inadvertenter*, jam *materialiter* illud frangit, nihilominus videtur, advertendo postea ad obligationem, teneri ad illud observandum, ne solvat illud *formaliter*. » Qui tamen pluries manducaret *cibos vetitos* in notabili quantitate, toties peccaret mortaliter, quoties comederet : quia toties transgrederetur praeceptum *negativum* in materia gravi. « Imo, ait Sass. cum Bill., *probabilius* peccas mortaliter secunda refectione et sequentibus, etsi cibi sint liciti : prohibentur enim plures refectiones, sicut dum sacerdoti dicitur : *semel tantum celebrabis in die*, non secunda tantum celebratione, sed et tertia, etc., peccat graviter. » Aliis verbis : lex jejunii lex *negativa* est; quia obligat ad omissionem duplicis refectionis pro tota die et omni parte diei (p. 116).— Qui vero saepius *modicam* quantitatem comedit, tunc graviter peccat, quando ad notabilem quantitatem pervenit; unde damnata est ab Alex. VII sequens propositio sub. n. 29 : « *In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* » Interim, quaenam quantitas cibi censenda sit *notabilis*, si extra refectionem et collationem seu coenulam sumatur, quaenam vero *levis*, inter DD. disputatur. Juxta Bill., quantitas notabilis, peccato mortali sufficiens, censetur : « quae aequivalet vel levi jentaculo, vel collationi, vel tertiae parti refectionis. » Certo *notabilis* censenda est, quae vespertinae coenulae addita alteram efficeret refectionem ; *levis* vero, si capiantur duae tantum unciae cibi una simul, vel tres intercise vel plus ex causa necessaria (D'Ann.). **Resol. 2.** Quamvis de **tempore,** quo prandium protrahi possit, nihil absolute statui valeat, non videtur tamen, juxta communiorem sententiam, absque aliqua culpa protrahi posse *ultra* duas moraliter horas. Unde illud protrahere ad quatuor horas per se licitum non est. « Si post duas horas sola bellaria vel leviores cibi apponantur et abstineatur a collatione, potest tolerari : quia sic haec videtur anticipari. » Ita Sass. **Resol. 3.** Leviter peccat, qui absque ulla ratione prandium **interrumpit** per spatium unius fere horae; graviter vero, si interruptio sit duarum horarum, nisi justa causa excuset, ut : si quis ex infirmitate non possit eodem

tempore integram refectionem sumere; si parochus, inchoata refectione, vocetur ad infirmum periculose decumbentem; si occurrat mercatori occasio notabile quid vendendi alias non vendendum, etc. Nihilominus si quis a mensa recessit non refectus sufficienter, et nequeat JEJUNIUM sustinere, si confecto negotio serius redeat, impune iterum accumbit, quamvis forte peccaverit in causa : quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem transigendam sine sufficienti refectione. Cfr. S. LIG. (III, 1020).

Q. 14. *Quaenam* dari possint regulae circa COLLATIUNCULAM?
R. Practice tutae sunt regulae sequentes.

Explanatur. 1° Quod cibi **quantitatem** attinet, praecipue attendendum est ad consuetudinem locorum, complexionem cujusque, munera obeunda, durationem jejunii, etc., ita ut, ex regula *generali*, liceat sumere, quantum necessarium quis ducit ad vitandam indispositionem, quae ipsum impediret quominus officia sua convenienter obeat. Sic in frigidioribus regionibus plus concedi solet, quam in calidioribus; plus debili aut voraci, quam robusto aut fame carenti : plus per totam diem laboranti, quam otio tempus consumenti. Juxta S. LIG. (H. A. XII, 16), rejectis quorumdam sententiis, « melius... est sententiam sequi aliorum, communiter hodie acceptam,... quae omnibus indiscriminatim (etiam illis qui parvo cibo indigent...) permittit quantitatem octo unciarum, et aliquid aliud nempe duas alias uncias, quod est parva materia...) adeoque **10 uncias** ei qui majori nutrimento opus haberet. » Ad haec alludere videtur GURY ubi scribit (*Cas. conse.* I, 465 : « Dicit S. LIG. decem uncias permitti posse *Germanis*, qui, ob regionis rigorem, majori quantitate cibi indigere videntur; et addit hoc etiam concedendum omnibus qui **stomachum habent germanum**. » 2°) Quod cibi **qualitatem** spectat, licite sumuntur cibi, quos juxta morem regionis ubi quis degit, timorati ut licitos sumere solent : quia cum collatio ortum habeat a consuetudine, etiam consuetudine modus ejus regi debet. 3°) Quoad **tempus**, ex consuetudine sumenda est *vespere;* qui tamen ex aliqua ratione v. g. itineris, studii, alicujus negotii peragendi, amici adventuri, aut ex contraria loci consuetudine, collationem sumit circa meridiem vel undecimam, prandium vero vespere, non peccat. (pag. 480). 4°) Qui

post prandium sumit aliquid cibi, tanto minus sumere debet in collatione, nisi per modum **medicinae**, ne potus noceat, apud haustum parum sumpserit. Cfr. Bill. ; Sass. ; Gouss. ; Scav.

Resolvitur. Apud nos sumere licet panem, caseum, butyrum, dulciaria (*confitures*), olera, fructus, poma terrestria, cocta vel assata, decoctionem prunarum, pomorum et similium, pisciculos vel etiam exiguam quantitatem, v. g. duas vel tres uncias piscis majoris. Ubi autem sumuntur ciborum **decoctiones**, minuenda est ciborum quantitas; et ita ex S. Lig. (H. A. XII, 18) non licet sumere 8 uncias panis in aqua cum oleo decocti : « quia panis, ait, per coctionem et fermentationem in aqua, certam diversam naturam acquirit ;... saltem hoc consuetudo non admittit. » Ceterum, modo non sumantur cibi vetiti, coenula magis respicit ciborum *quantitatem* quam *qualitatem ;* unde quoque notat Dens : « Certe in hac patria *sensus omnium communis* judicat in collatione obligationem servandae qualitatis cibi tanquam *non gravem*, dum scilicet sumuntur cibi usuales seu non prohibiti, in quantitate exigua collatiunculae. »

Q. 15. *Quaenam* extra refectionem et coenulam, etiam absque speciali ratione, a jejunantibus licite sumantur?

R. Licite sumuntur haec *tria* sequentia.

Explanatur. 1°, Licite sumitur **liquidum**, dummodo sit verus *potus*, seu ex communi usu sumatur per modum *potus*, ut aqua, vinum, potus confectus ex cafæo, thea, granis, ut cerevisia, vel mixtus cum parva quantitate sacchari aut succi citreorum, etc.; nec refert quod congelata sint : congelatio enim naturam rei non mutat (S. Lig. H. A. XII, 14) ; non vero si sumatur per modum *cibi*, ut lac, jus, oleum. Hinc axioma : *liquidum non frangit* jejunium. 2°) Licite sumuntur **medicinae**, quarum instar sunt *electuaria* (conserves), i. e. quae ex electis rebus conficiuntur, ut ex saccharo, cedro, junipero, si in modica quantitate sumantur, ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris foetorem tollendum, vocem conservandam, etc. Imo frustulum cibi, i. e. non ultra semiunciam, quod liquido additur, *ne potus noceat*, instar medicinae esse intelligitur, dummodo non fiat frequenter. 3°) Demum, ut constat ex resp. S. Poenit. (21 Nov. 1843) ap. N.

R. T. IV, 451 seq.) licet hodie, ex consuetudine fere ubique introducta, sumere mane **frustulum panis** et **potionem ex chocolato** ad instar densae pultis, dummodo haec sesquiunciam, et una simul cum saccharo vel frustulo panis duas uncias non excedat. Nec lac admisceri potest, nisi id concedatur per dispensationem super lacticiniis; in quo casu, ejus ratio in pondere habenda est. Quod si loco chocolati sumatur cafaeum, frustulum panis pertingere potest ad duas uncias.

Resolvitur. Licitum est, illaeso jejunio, **saepius per diem bibere**, *si agatur de illis liquidis quae de se ordinantur ad* **sitim** *sedandam*. Quod et aperte tradit S. Thom. 2. 2. q. 147, a. 6 ad 2) inquiens : « Duplex *est jejunium : unum quidem* naturae, *quod requiritur ad Eucharistiae sumptionem ; et hoc solvitur per quemlibet potum, etiam aquae, post quem etiam non licet Eucharistiam sumere. Est autem aliud jejunium Ecclesiae, quod dicitur jejunium* jejunantis, *et istud non solvitur nisi per ea quae Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis et digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat, et ideo licet pluries jejunantibus bibere.* » Unde quoque scribit Bened. XIV (Inst. XV, 7) : « *Theologi salvum et integrum jejunium, licet qualibet per diem hora vinum aut aqua bibatur, unanimes declararunt.* » Idque verum manet, licet potus **immoderate** sumeretur ; quo casu peccatur duntaxat contra temperantiam, et ideo S. Thom. (*ibid.*) immediate subjungit : « *Si autem quis immoderate potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat.* » Nimirum : si peccet mortaliter, perdet totum meritum; si venialiter, partem amittet. Immo, jejunium non frangeretur, etiamsi potus pluries sumeretur cum expressa intentione **famem** sedandi : quia lex jejunii praecipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu, et ut tradit S. Thom. (in 4. d. 15, q. 3, a. 4, q. 1 ad 3) : « *Statutum legis positivae non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in praecepto, sed est finis praecepti.* » Nec dici potest, quod ita bibens agat in fraudem legis : nam in ipso non est fraus, cum supponatur merus potus. Dixi initio : *si agatur de illis liquidis quae de se*

ordinantur ad **sitim** *sedandam;* nam si ageretur de *electuariis* (confitures), haec quidem, licet ex S. Thom. (2. 2. q. 147, a. 6 ad 3 per se « *non solvant jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio;* » solvunt tamen, si « *aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* » Cfr. Dens; S. Lig. (III, 1022).

Q. 16. *Quaenam* sint *regulae* servandae circa ABSTINENTIAM in jejunio?

R. Attendendae sunt *undecim* regulae sequentes.

Explanatur. 1°. Diebus jejunii ordinarie prohibentur **carnes** et condimenta ex **adipe carnium.** 2°. Certis diebus inhibentur omnia quae originem a carne ducunt, ut **ova et lacticinia.** Constat ex propositione ab Alex. VII damnata sub n. 52 : « *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.* » Facilius tamen materiae parvitas in his, quam in esu carnis, admittenda est. 3°. Omnibus, etiam iis quibus conceditur esus carnium, semper, praeter *unicam exceptionem,* ut mox dicetur, prohibetur **edere carnes et pisces** in eadem refectione seu in eadem mensa, ut constat ex Bened. XIV, Const. : « *Non ambigimus* » (30 Maii 1741); « *In suprema* » (22 Aug. 1741); « *Si Fraternitas* » (8 Jul. 1744 ; « *Libentissime* » (10 Jun. 1745). Constat praeterea ex pluribus decisionibus SS. CC. Sic ad DUBIUM : « *An pueri, qui non tenentur observare jejunium, possint diebus jejunii edere carnes cum piscibus, aut potius obligentur ad observandam ciborum qualitatem?* » S. Poenit. (15 Mart. 1837) respondit : « *Pueros, post septennium, teneri observare qualitatem ciborum ab Ecclesia praescriptam.* » Item ad DUBIUM : « *Utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne, diebus quadragesimae, attingat omnes qui, vi indulti, carnibus vesci possunt, vel solummodo eos qui jejunant?* » S. Off. (23 Jun. 1875) respondit : « AFFIRMATIVE, *quoad primam partem;* NEGATIVE, *quoad secundam.* » Interim ad DUBIUM : « *An dispensatus ad edendas carnes in diebus jejunii possit in eadem comestione vesci, ad consulendum suae valetudini,* PULMENTO CARNIS JURE COCTO, *et de cetero vesci piscibus, ut quantum potest observantiam jejunii servet?* » S. Poenit. (28 Febr. 1826) respondit : « *Affirmative.* » ap. De Angelis (l. III, tit. 46,

n. 5) Idem declaravit S. Poenit. (8 Febr. 1828). Unde prohibitio non miscendi carnes et pisces stricte intelligenda est de ferculo carnium. 4° Prohibitio de non edendis carnibus et piscibus in eadem mensa urget **in omnibus diebus jejunii,** sive in quadragesima, diebus dominicis non exceptis, sive extra quadragesimam in aliis diebus jejunii. Constat ex Bened. XIV (*ll. cc.*). **Unica** tantum exceptio admitti posset ex eodem Bened. XIV Const. « *In suprema,* » nimirum : « *Si certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et sic fieri necessario exigat.* » Cfr. N. R. T. (XXIII, 112 et 197 seqq.). Dixi : *in omnibus diebus* **jejunii.** Hinc ad quaesitum : « *Utrum diebus jejunii tempore Adventus a Pio VI praescripti, permissis tamen lacticiniis, ei cui propter infirmitatem licitus est esus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium?* » S. Poenit. 8 Jan. 1834 respondit : « Affirmative, *nempe non licere ejusmodi promiscuitatem.* » Contra, ad quaesitum : « *Utrum fideles dispensati a lege abstinentiae diebus veneris et sabbati, decurrente anno, quando* non urget *obligatio jejunii, piscibus simul et carnibus vesci possint,* etc.? » S. Poenit. (15 Febr. 1833) « *proposito dubio diligenter perpenso factaque relatione* SS. D. N. Greg. XVI, *de ipsius* SS. *mandato respondet :* Permitti. » Nomine autem *piscium* hic quoque veniunt *testacea marina ;* » item « *pisces sale siccati.* » Constat ex S. Poenit. (16 Jan. 1834) quae de hisce declarat : « *Vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.* » 5° Nunc, **in plerisque locis,** ex indultis apostolicis, ab episcopo conceditur fidelibus generalis dispensatio, tum in esu carnis pro plerisque quadragesimae diebus ; tum in esu lacticiniorum, paucis diebus exceptis. Unde consulenda sunt **statuta** locorum. 6° **Carnes** accipimus ex S. Th. 2. 2. q. 147, a. 8) « *animalium in terra quiescentium et respirantium* » seu animantium quae terra, **pisces** qui aqua vivunt. **Amphibia** accensentur ei cui propius accedunt, sive carni, sive pisci, quod aestimari debet ex eorum structura et vi nutriendi. Communiter non censentur prohibitae *limaces, testudines, ranae, locustae, cancri, ostreae, conchae :* quia aequiparantur piscibus. Aves tamen, licet aliquae nutriantur in aquis, habentur ut verae carnes, prout sunt *fulicae, corvi marini* et similes (S. Lig. III, 1011). Hinc Pius VII (22 Febr. 1804) indulsit *pro gratia* Minimis S. Franc. de Paula, ut *fulicibus*

vesci possint. In dubio utri magis accedant, mos regionis consulendus est, et si nec regionis mos appareat, tunc ex Bened. XIV (*De Syn.* XI, c. 5, n. 12) : « *nil tutius episcopo suaderi poterit, quam ut abstineat a decretis super ea in synodo edensis, sed potius ad Apost. Sedis judicium rem deferat.* » In praxi tamen, comedi poterunt : quia lex abstinentiae est lex negativa, adeoque nisi constet de prohibitione, possidet libertas. 7°) Dispensati ad carnes, sed *lege jejunii constricti*, obligantur, sicut ceteri jejunantes, ad unicam refectionem tempore fixo; hique, in **collatione serotina,** debent uti eodem cibo, quo alii jejunantes utuntur atque in eadem restricta mensura. Constat ex Bened. XIV Const. « *Si Fraternitas.* » Interim ad DUBIUM : « *Utrum quum... conceditur indultum pro usu laridi liquefacti solo titulo condimenti, ii qui ad jejunium tenentur, eo condimento uti possint in* SEROTINA *etiam refectione?* S. Poenit. (16 Jan. 1854) respondit : « *Quod ii, qui ad jejunium tenentur licite uti possunt in* SEROTINA *etiam refectione, condimentis in indulto permissis; quia illa, vi indulti, olei locum tenent;* DUMMODO *in indulto non sit posita restrictio, quod ea adhiberi possint in unica comestione.* » Praeterea ad DUBIUM : « *In diebus jejunii, quando ex indulto conceditur laridum per modum condimenti in* COLLATIONE VESPERTINA, *an eo ipso liceat condimentum ex butiro?* » S. Poenit. (10 Mart. 1892) respondit : « *Negative.* » Ap. N. R. T. XXIV, 402). 8°) Illi qui ratione *aetatis*, vel *laboris*, vel *infirmitatis* jejunare non tenentur, diebus jejunii, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, licite vesci possunt carne et lacticiniis **pluries in die.** Constat ex S. Poenit. (24 Febr. 1819; 8 Febr. 1828; 16 Jan. 1854; 16 Mart. 1882). Attamen ex S. Poenit. (27 Maii 1865. « *haec resolutio* **non valet** *in dioecesi cujus episcopus auctoritate apostolica concedit fidelibus, ut feria 2ª, 3ª, 5ª temporis quadragesimae possint* SEMEL IN DIE *vesci carnibus et ovis; iis vero qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, permittit ut ovis saepius in die utantur.* » Unde datur exceptio, si nimirum episcopus, auctoritate apostolica dispensans, expressam posuerit limitationem, restringendo scilicet esum carnium ad unicam refectionem pro omnibus, etiam pro iis, qui ad jejunium non tenentur. Quam limitationem ponere, nuper S. Poenit. (11 Dec. 1878) in responsione ad Episcopum Buffalensem declaravit : « *non expe-*

dire. » « Quare, ait SABETTI, licebit iis qui ad jejunium non tenentur pluries in die vesci carnibus sive Ordinarii locorum hanc liceitatem declaraverint, sive nihil dixerint. Cfr. N. R. T. (XIV, 251 seqq. . 9° Concessa per apost. indultum licentia utendi **condimento adipis** (vulgo *di grasso*), licet solum uti *condimento suino*, non vero adipe cujuscumque animantis, nec permittitur carnium jusculum. Atque hoc valet tum pro diebus jejunii, tum pro diebus veneris et sabbatti per annum, ut constat ex S. POENIT. 15 April. 1856; 19 Febr. 1841; 20 Mart. 1847; 24 April. 1855). 10° Dispensati ad *carnes* sunt eo ipso dispensati ad *lacticinia :* cui enim in eadem materia conceditur majus, etiam minus concedi intelligitur. Pariter dispensati ad lacticinia censentur eo ipso dispensati ad *ova*, nisi contrarium exprimatur. 11°) Dispensatus ad carnes non potest **extendere** suam dispensationem ad familiam suam, etiamsi sit paterfamilias; sed in his casibus ob impotentiam servandi praeceptum vel ob alium gravem causam, poterit idem a confessario permitti aliis familiae personis. Constat ex S. POENIT., ut infra videbitur.

De causis a jejunio excusantibus.

Q. 17. *Quaenam* sint *causae* a JEJUNIO *excusantes?*

R. Causae praecipuae, a JEJUNIO ex toto vel ex parte excusantes, sunt : 1°) IMPOTENTIA, tum *physica*, tum *moralis;* 2°) PIETAS; 3°) DISPENSATIO.

Q. 18. *Quinam* excusentur titulo IMPOTENTIAE?

R. Titulo IMPOTENTIAE generatim excusantur, qui vel simpliciter non possunt jejunare, vel saltem nonnisi cum gravi suo incommodo.

Resolvitur 1. Excusantur : ratione **infirmitatis,** aegroti, infirmi, convalescentes. His accensentur homines admodum infirmae complexionis qui, si jejunaverint, dolore capitis non mediocri afficiuntur, vel noctu calefieri non possunt, vel somnum, nisi aegre admodum, capere; praegnantes et lactantes mulieres, quamvis robustae. **Resol. 2.** Excusantur : ratione **aetatis,** qui nondum compleverunt annum XXI, ac probabiliter sexagenarii, etsi viribus polleant : tum quia sic fert universalis consuetudo,

tum quia senectus ipsa est morbus. Imo sexagenarius excusatur a jejuniis ex *voto* vel *regula* debitis, nisi tamen regula aut vovens observantiam jejunii expresse *usque ad mortem*, sive *toto vitae tempore* determinaverint; quia votum, cum sit lex particularis, et praeceptum regulae censentur obligare ad instar legis ecclesiasticae. Cfr. S. Lig. (III, 1038 seq. H. A. XII, 25). « Et ad excusandum sexagenarium a jejunio sufficit annum 60 esse inceptum, ut dicunt Castrop.... etc., quia in favorabilibus annus inceptus habetur pro completo. » Ita S. Lig. (H. A. XII, 25), qui alibi (libr. I, 32) scribit : « Dubitans an pervenerit ad annum 60, quo completo, probabiliter homo deobligatur a jejunio, tenetur ad jejunium, quia tunc possidet jejunii praeceptum. » Feminas autem quinquagenarias perinde excusari, ac senes sexagenarios, quippe citius senescunt, multi existimant. « Sed haec opinio nisi aliqua particularis circumstantia concurreret infirmitatis aut debilitatis est a multis reprobata.... Quare Diana dubitat de ejus probabilitate. » Ita S. Lig. (H. A. XII, 25). Hanc tamen sententiam, ut observat Sabb., « damnare non audet, nec praeterea ipsi deest aliarum auctoritatum pondus. » **Resol. 3.** Excusantur : ratione **indigentiae,** pauperes ostiatim mendicantes et quicumque alii non habentes, quo semel sufficienter reficiantur (S. Th. 2. 2. q. 147, a. 4 ad 4). Qui etiam ad carnes sunt dispensati, si aliud non habeant. **Resol. 4.** Excusantur : ratione **laboris,** qui per majorem diei partem exercent opus, quod ab ipsis sine magno incommodo exerceri non potest, nominatim : fossores, agricolae, figuli, textores, lanarii, fullones, bajuli, aurigae, fabri lignarii, ferrarii, typographi praelum versantes (non autem per se et ordinarie typos colligentes), murarii, ac generatim omnes qui artem vel laborem exercent cum gravi corporis agitatione. Imo si operi incumbunt per plures dies continenter, excusantur, ratione lassitudinis reficiendae, his quoque diebus quibus vacant, si uno vel altero tantum die laborem intermittant. Huc etiam pertinet vel maxime labor spiritualis, saepius plus atterens vires, quam corporalis. Nec refert utrum talis labor, corporalis vel spiritualis, sit debitus ex officio, sive voluntatius; sive necessarius, sive utilis, sive etiam inutilis et illicitus; sive pro mercede, sive gratis assumptus. Attamen assumens laborem inhonestum, ex quo praevideret se impotentem futurum ad servandum jeju-

nium, praeter peccatum in proprio genere etiam peccaret contra praeceptum jejunii, ponendo talem causam, licet ea posita, sit a jejunio excusatus. Item ob *laborem* excusantur iter agentes regulariter, si pedestres eunt, 12 vel 15 milliarium; bidui sin equo, tridui si curru. Ceterum haec varie ex personis, itineribus, tempestatibus aestimari debent : cum alii plus, alii minus laboris impendant ; viae aliae aliis sint difficiliores, ac tempestas aurae saepe difficultatem augeat. Unde merito damnata fuit ab ALEX. VII sequens prop. sub n. 21 : « *Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.* » Et quoniam, ut liquet ex dictis, quilibet labor a jejunio non excuset, merito quoque damnata fuit ab eodem ALEX. VII haec altera prop. sub n. 30 : « *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* » **Resol. 5.** Excusantur : ratione **metus,** uxores aut filiifamilias qui jejunando gravem mariti aut parentum excitarent indignationem, excepto si interdictio in contemptum religionis fiat. **Resol. 6.** Excusantur : ratione **impotentiae** propter eorum **statum,** filiifamilias, domestici, famuli, si pater familias, cui alias licet edere carnes, non possit aut nolit duas mensas parare, alteram ex carnibus, esurialium alteram ; dummodo non misceantur carnes cum piscibus, et modo hi qui jejunare tenentur, unicam tantum instituant refectionem. Constat ex S. Poenit. (19 Jan. 1854), quae declaravit id in casu « *posse permitti.* » Et haec resolutio « *valet ubique terrarum* » et « *sufficit permissio facta a simplici confessario.* » De utroque constat ex S. POENIT. (27 Maii 1865). Interim « *ratio permissionis non est indultum patrisfamilias, sed* IMPOTENTIA *in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum* » Ita S. POENIT (27 Maii 1865). Cfr. N. R. T. (XX, 102 seqq.).

Q. 19. *Quinam* excusentur titulo PIETATIS?

R. Ratione PIETATIS excusantur, sed regulariter quoad iteratam refectionem dumtaxat, omnes insistentes operi excellentioris virtutis cum jejunio moraliter incompossibili. Ita SPORER.

Explanatur. Hujusmodi opera sunt : 1) Opera **misericordiae,** tam spiritualia quam corporalia, Concionatorum, Lectorum,

Confessariorum, aegrotis inservientium, etc., si *multum* defatigentur. Cfr. S. Lig. (III, 1049 et H. A. XII, 54). **2**) Opera **justitiae,** ut si maritus jejunans uxori debitum reddere non posset ob infirmitatem. Cfr. S. Lig. (III, 1034 et H. A. XII, 24). Quod tamen plures non admittent, nisi propter periculum incontinentiae. **3**) Opera **charitatis, religionis,** ac **devotionis.** Peregrinatio tamen omnino libera, nec multum utilis, ex S. Thom. (2. 2. q. 147, a. 4 ad 3) non est sufficiens causa solvendi jejunium, nisi post factum; nam ante factum deberet potius intermitti, licet jam ante diem jejunii incoepta, in eo licite continuetur, etsi jejunium solvi debeat.

Q. 20. *Quinam* in jejunii lege DISPENSARE possint?

R. Papa, episcopus, pastor et superiores regulares.

Explanatur. Dispensare possunt : 1°) **Papa,** pro universa Ecclesia; qui etiam sine causa dispensat *valide*, cum dispenset in lege sua. 2°) **Episcopus,** pro sua dioecesi; qui dispensare potest : nedum *singulos*, quae certa, sed et *universos*, quae probabilis sententia est; nempe singulos ex legitima causa, universos ex gravissima et urgente necessitate, v. g. ad vitanda scandala, ut puta si aliqua vigilia incideret in postrema tempora bacchanalium, vel in aliquod festum quod solemniter celebrari solet; sed singulis vicibus tantum. Oppositam tamen sententiam dicit Bened. XIV (Const. « *Prodiit* ») non modo *communiorem*, sed etiam *magis rationi consentaneam*. Vicarii autem episcoporum non possunt dispensare nisi ex speciali facultate ipsis concessa (S. Lig. III, 1032 . 3°) **Parochus,** vi consuetudinis, cum parochianis, idque etiamsi Episcopus facile possit adiri (Cfr. N.R.T.V, 214 seq.) et 4°) **Superiores regulares,** etiam locales, cum suis subditis et cum seipsis. Sed hi singulos tantum dispensare possunt et singulis vicibus. Interim omnes Papa inferiores non possunt dispensare nisi ex justa causa : alias irrita est dispensatio; praeterea, ex Bened. XIV Const. «*In suprema* » aliisque Const. supra (p. 486) citatis, dispensationem concedere nequeunt, nisi sub his *duabus conditionibus* : A) unicae comestionis in die, nisi dipensatio propter debilitatem virium concedatur; B) non permiscendarum epularum, i. e. non possunt simul carnes et pisces manducari. Quae conditiones etiam urgent extra quadragesimam, et earum posterior dies quoque dominicos quadragesimales complectitur (pap. 487).

Resolvitur. Nec **confessarius** nec **medicus** dispensare possunt; possunt tamen pro officio suo *declarare* aliquem a jejunio vel abstinentia excusari. Sic quando quis dubitat, num possit sine gravi incommodo jejunare, poterit jejunio eximi « *utriusque medici consilio* » ut loquitur Bened. XIV (Const. « *Non Ambigimus* »), i. e. medici et parochi seu confessarii, vel alterius, si alter desit, vel boni cujusque viri, si desit uterque. Verum hodie fideles alicubi solius confessarii, alicubi solius medici consilio contenti sunt; nec sunt inquietandi (Gouss. I, 507). Quod « *si causa sit evidens, per seipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire.* » Ita S. Thom. (2. 2. q. 147, a. 4.) Cfr. S. Lig. (III, 1032).

DE QUARTO ECCLESIAE PRAECEPTO.

De annua confessione.

Q. 21. *Quodnam* sit QUARTUM Ecclesiae praeceptum?

R. Ex Conc. Lateran. IV, (an. 1215 sub Innoc. III) can. 21 sic sonat : « *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis perrenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti;* » i. e. ex S. Thom. (Opusc. *contra imp. relig.* c. 4): Papae, Episcopo, Parocho vel Sacerdoti, sive regulari, sive saeculari, ab episcopo approbato, ut fuse probat Bened. XIV (*Instit.* XVIII, n. 6 seqq. et *de Syn.* l. XI, c. XIV). Hoc autem praeceptum non est praecise propter communionem, quia diversus est finis utriusque praecepti; et hinc qui v. g. propter vomitum, vel quia nondum est satis instructus, non potest sumere communionem, debet semel in anno confiteri. E contra confessio praecise circa tempus paschale est ratione communionis, et hinc talis non tenetur confiteri in Paschate.

Resolvitur 1. Qui confitetur Regulari, ab Ordinario approbato, satisfacit praecepto confessionis annuae, ut declaravit Clem. X (Const. « *Superna* »). **Resol. 2.** Jure proscripta fuit ab Alex. VIII sequens propositio sub n. 20 : « *Confessiones apud Religiosos factae pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.* » **Resol. 3.** Merito

quoque damnata fuit ab Alex. VII prop. sub n. 13 : « *Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo injuste* reprobato. » **Resol. 4**. Si episcopus juberet, ne quis confessarius in Paschate audiret confessiones poenitentium sine licentia Curati, talis decreti nulla esset ratio habenda. Quod cum fecisset episcopus Midensis, ejus praescriptio a S. C. C. castigata fuit, teste Bened. XIV (*de Syn.* loc. cit. n. 6). Constat etiam ex declaratione ejusdem S. C. C., quae ad **dubium** : « *An episcopus Iprensis in patentibus, quibus dictos Regulares approbat ad confessiones audiendas in sua dioecesi, possit apponere hanc clausulam, videlicet : dummodo tamen quemquam ab inchoata dominica Palmarum usque ad expletam dominicam in Albis ad confessionem sacramentalem non admittas, nisi expressa scripto licentia* parochi *dirigatur?* » **Respondit** 22 Sept. 1668 : « *Negative.* »

Q. 22. *Quosnam* illud praeceptum *obliget?*

R. Obligat omnes et singulos *baptizatos*, conscientiam peccati *mortalis* habentes, eosque solos; adeoque etiam haereticum, cujus tamen, sicut et aliarum legum ecclesiasticarum transgressio, *in ordine ad confessionem*, coalescit in unum peccatum cum ipsa haeresi formali, quia per istius confessionem facile intelligitur. Item etiam *pueros*, postquam ad annos discretionis pervenerint, si in mortali lapsi sint. Censetur autem puer ex Catech. Rom. ad discretionem pervenisse : « *cum inter bonum et malum discernendi vim habet, in ejusque mentem dolus cadere potest.* »

Resolvitur 1. Si malitia suppleat aetatem et pueri peccent mortaliter ante septennium, aeque obligantur ac alii (pag. 129). In dubio, absolvantur sub conditione, ne forte in mortali remaneant et gratia sacramentali priventur. **Resol. 2.** Insigniter errant confessarii, qui sibi commissos pueros nunquam ante aetatem primae communionis absolvunt : nam alia est discretio quae sufficit ad peccatum et ad confessionem, et alia quae requiritur ad communionem.

Q. 23. An praeceptum ecclesiasticum de annua confessione *obliget* ad confessionem venialium?

R. *Negative*, juxta sententiam, quae a S. Lig. (VI, 667) vocatur « *communis* et *verior.* »

Explanatur. Nam praeceptum est **omnia** confitendi; « *quod de* VENIALIBUS *intelligi non potest*, ait S. THOM. (*Supp.* q. 6, a. 3 ad 3) : *quia nullus* OMNIA *confiteri potest;* » adeoque loquitur de *mortalibus*. Aliunde praeceptum ecclesiasticum de *annua confessione* est solum determinativum juris divini quoad confessionis tempus, nihil innovans circa ejus substantiam : praeceptum autem divinum non est nisi de mortalibus, ut patet ex TRID. (sess. XIV c. 5) dicente : *venialia* utiliter quidem in confessione aperiri, taceri tamen posse. Imo, proprie loquendo, per confessionem venialium ne quidem praeceptum *confessionis annuae* adimpletur, siquidem illa confessio venialium non sit praecepta : « sicut pueri, ait BILL., licet laudabiliter jejunent, non dicuntur tamen proprie adimplere legem jejunii, cum illa non obligentur. » Et hinc, qui nulla die anni confessus est mortale nondum rite confessum, licet saepius venialia, si ultima die peccet mortaliter vel recordetur mortalis non confessi, tenetur illa ultima die confiteri : quia necdum satisfecit praecepto, quod est de confessione peccati mortalis nondum rite confessi. Verum quidem est, obligationem illam a fidelibus passim ignorari, siquidem omnes unica confessione se praecepto satisfecisse putant, sive mortalia confessi sint, sive tantum venialia; sed bona fides praeceptum non tollit, quamvis possit fideles excusare a legis transgressione. — Quod si quis confessus fuerit mortale quidem, sed dubius an admiserit, et postea in mortale certum inciderit, qui tenent peccata quoque dubia confitenda esse, putant hunc satisfecisse. Alii contra putant, si is adhuc dubius haereat; cujus et ea ratio est, quod legi certae incerta praestatione satis non fit. Cfr. BILL.; LUG.; SUAR.; VASQ.; S. LIG. (VII, 669).

Nota. Quamvis ex communi et veriori sententia « *ille qui non habet* MORTALIA, *non teneatur ad confessionem* VENIALIUM; » sunt tamen qui existimant cum S. THOM. (*Supp.* l. c. et q. 8, a. 5 ad 4), talem ad praeceptum Ecclesiae implendum teneri saltem : « *ut se sacerdoti* [proprio] *repraesentet et se ostendat absque conscientia mortalis esse.* » Sed hanc obligationem alii cum HUTARDO non admittunt, nisi ad vitandum scandalum.

Q. 24. An *satisfiat* praecepto per CONFESSIONEM *invalidam?*

R. *Negative*, sed requiritur confessio valida, licet informis (1), quam sequitur valida absolutio.

Resolvitur. Hinc 1°, non satisfit per confessionem *voluntarie* nullam, ut constat ex prop. damnata ab ALEX. VII sub n. 14 : « *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* » Nec 2°, per confessionem *involuntarie* nullam, ut si v. g. confessus fueris non habenti jurisdictionem : quia haec non est vera confessio ; ergo non ponitur substantia praecepti, nec per eam obtinetur finis praecepti, qui est reconciliatio cum Deo (p. 149 seq . Quare advertens nullitatem tenetur illo anno repetere.

Q. 25. *Quomodo* ANNUS *computandus* sit ?

R. Controvertitur.

Explanatur. ANNUM alii numerant a prima *Januarii* ad ultimam *Decembris ;* alii, conformius praxi Ecclesiae, a *paschate* ad *pascha ;* alii ab ultima confessione. « Sufficit autem, ait SASS., quacumque anni die fiat confessio ; et ideo, juxta sententiam probabilem, qui hoc anno prima Januarii est confessus, satisfacit, si anno sequenti confiteatur ultima Decembris : quia adhuc verum manet, quod singulis annis sit confessus. » « *Sed haec interpretatio videtur* **contraria** *menti Ecclesiae et communi sensui Theologorum,* » inquit BILL., juxta quem « *videtur sufficere, si inter unam et alteram confessionem non intercipiatur plus quam annus.* »

Q. 26. An qui confessus est aliquod *mortale* nondum rite confessum, et aliud omisit *inculpate*, v. g. ex oblivione inculpabili aut alia justa causa, teneatur EO ANNO *iterum* confiteri ?

R. *Negative :* quia tantum praecipitur una confessio omnium mortalium tunc memoriae occurrentium. Secus dicendum, si confessus fuisset sola *venialia,* aut dumtaxat *mortalia jam rite confessa :* quia, ut supra dictum fuit, per talem confessionem non satisfit obligationi praecepti.

Q. 27. An qui sua culpa, vel ob legitimum impedimentum,

(1) An detur confessio valida simul et informis, inquisivi in opere : *Principia dogmatico-moralia universae theologiae sacramentalis*, p. 50 seqq. Cfr. etiam *Theol. Mor. Elem.* tom. III, de poenit. q. 30.

anno praeterito non est confessus, teneatur anno sequenti, *quam primum* commode poterit, confiteri?

R. *Affirm.* Cum enim dicatur : *saltem semel in anno*, satis significatur, quod annus ponatur non ad finiendam, sed solum ad non ulterius differendam obligationem. Unde obligatio etiam post illum terminum elapsum perseverat.

Resolvitur 1. Quo quis diutius differt confessionem ultra annum, eo gravius peccat : quia magis recedit ab intentione praecepti. Dilatio tamen probabilius erit *unicum* peccatum continuatum, nisi aliquando retractasset priorem voluntatem jam volendo confiteri, et jam iterum omittendo. **Resol. 2.** Qui praevidet se impediendum, quominus hoc anno confiteatur mortalia vel reservata habenti potestatem absolvendi, v. g. si ingrediatur longam navigationem, tenetur praevenire : quia jam adest praeceptum et impleri potest ; ergo debet, cum postea non possit. Probabilius tamen non tenetur hoc anno anticipare pro sequenti : quia obligatio anni sequentis nondum adest. **Resol. 3.** Is, qui etiam culpabiliter distulit confessionem ultra annum, unica confessione satisfacit pro utroque anno, praeterito neglecto et novo inchoato, si intra novum annum inchoatum non incidat in novum peccatum mortale ; secus vero, si incidat : quia prior confessio pertinebat ad annum priorem ; sicut ex poenitentia sacramentali obligatus ad semel in mense jejunandum, tenetur hoc mense bis jejunare, si praecedenti mense non jejunaverit. Cfr. Bill. ; Sass. ; S. Lig. (VI, 668 seq.).

DE QUINTO ECCLESIAE PRAECEPTO.

De communione paschali.

Q. 28. Ad *quid* QUINTUM Ecclesiae praeceptum *obliget?*

R. Obligat, et quidem *sub gravi*, ad haec *tria*.

Explanatur. Obligat : 1°) ad dignam communionem, **saltem semel in anno** ; 2°) ad eam faciendam **tempore paschali** ; et 3°) ad eam sumendam vel a proprio Ordinario, aut Parocho, vel **in propria ecclesia parochiali**, non qua alia, ne cathedrali quidem, nisi ex licentia Parochi, saltem tacita aut saltem prae-

sumpta.—*Secunda* obligatio cessat elapso tempore paschali, quia facta est impossibilis; *prima*, quae est principalis, et *tertia* cum adhuc impleri possint, perseverant. Et haec quidem **tria** in quinto praecepto Ecclesiae contineri, plane eruitur non solum ex conc. Later. IV Cap. cit. « *Omnis utriusque* » et Trid. (sess. XIII, can. 9); sed tum ex Const. Eugenii IV « *Fide digna* » § 2; tum ex edicto Em. Card. Vicarii generalis Urbis Romae (18 Mart. 1745) a Bened. XIV confirmato et approbato, in quo legitur : « *Omnes utriusque sexus fideles pariter tenentur communionem accipere quolibet anno, in propria parochia, saltem in Paschate.* » « Ex quibus verbis, ut recte observat P. Piatus in notis ad Theol. V. D. V. satis patet praecipuam praecepti partem esse, ut quilibet fidelis saltem semel in anno Sacram Eucharistiam sumat. »

Resolvitur 1. « Cum consensu S. Pontificis, vel Episcopi sive Ordinarii, aut ejus Vicarii generalis, vel parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine *pastoris*) extra parochiam communicando, satisfieri praecepto DD. concedunt. » (S. Lig. VI, 300). Item satisfacit qui alicubi communionem de manu sui parochi suscipit, quia pastor ubique oves suas cognoscere censetur. **Resol. 2.** Contra non satisfacit qui communicat in ecclesia cathedrali, quippe quae ecclesias parochiales suis juribus spoliare nequit, « *nisi adsit in aliquo loco communis usus, qui consensum Episcopi praesumere faciat.* » (S. Lig. *l. c.*)

Q. 29. *Quosnam* illud praeceptum *obliget?*

R. Obligat omnes fideles i. e. baptizatos; non quidem statim ac rationis usum adepti sunt, veluti ad annuam tenentur confessionem; sed tunc tantum, si mortis periculum excipias, quando sufficienti pollent usu rationis, ut tanti sacramenti cognitionem et gustum habere valeant.

Explanatur. De **primo** constat ex Trid. (sess. XIII, can. 9) : « *Si quis negaverit,* omnes... fideles... *teneri singulis annis, saltem in paschate, ad communicandum juxta praeceptum Sanctae matris Ecclesiae, anathema sit.* » Constat de **secundo** ex praxi Ecclesiae quae ad confessionem admittit septennes doli capaces, quos non admittit ad communionem. Et ideo Rit. Rom. loquens de Eucharistia ait : « *Iis qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sa-*

crameuti COGNITIONEM *et* GUSTUM *habent, administrari non debet.* » Nec obstat canon CONC. LATERAN. IV, ubi dicitur quod omnis fidelis, « *postquam ad annos discretionis pervenerit,* » teneatur non tantum ad confessionem, sed etiam ad communionem : « *Nam anni discretionis*, ait S. LIG. (VI, 301) *intelligendi sunt* RESPECTIVE *ad rationem materiae : nempe cum quis pervenerit ad discretionis annos pro confessione, confiteatur ; quando ad discretionis annos pro communione, communicet.* » Dixi : **si mortis periculum excipias**; nam pueris *in mortis periculo* constitutis, modo inter profanum et coelestem cibum utcumque discernere valeant, non solum communio dari potest, sed etiam *debet*, ut communissime docent DD. cum BENED. XIV de Syn. l. VII, C. XII, n. 3) Ratio ex S. LIG. (VI, 301 d. 2) est : « *Quia ex una parte pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare ; ex alia utilitas Ecclesiae tunc majorem dispositionem non exposcit.* »

Nota. De quaestione **cujusnam** sit *discernere*, an **pueri** sacrae communionis *capaces* sint, alii aliter sentiunt. Juxta P. PIAT. « ex Const. BENED. XIV : « *Etsi minime* » dicendum est : jus illud ad parochum pertinere. Quod instructione CLEMENTIS XIV pro parochis urbis Romae 20 Martii 1775 confirmatur. » Juxta GURY (Cas. XI *de Euch.*) : « Quoad AETATEM et ANIMAE DISPOSITIONEM, spectat ad *parentes* et *confessarium* rem dirimere. Sic CATECH. ROM. p. 2. c. 4, n. 67) ubi dicitur : *Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos pertinet explorare et a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant.* Quoad EXAMEN, de jure *communi* nihil particulare statuitur. Spectat igitur ad confessarium attendere utrum puer habeat sufficientem doctrinam. De jure autem *particulari* in aliquibus locis ab Episcopo statuto et in plerisque Galliae dioecesibus vigente, pueri ad primam Communionem admittendi ab ipso parocho vel ejus delegatis de doctrina et judicii maturitate examinari debent. » Hucusque GURY, cujus sententiae etiam assentitur MARC. — Putaverim ex *cit. Const.* BENED. XIV erui non posse, quod examen et admissio puerorum ad primam communionem de *jure communi* ad parochum **exclusive** pertineat. Id tantum eruitur : rem **praecipue** ad parochum pertinere. Unde quoque, cum ageretur de revisione Conc.

Prov. Rothomagensis, quae ibidem ad tit II de prima communione disposita fuerant, S. C. Conc. (15 Mart. 1851) reformanda decrevit et docuit : « Nulla canonica lege sancitum est, ne communio ministretur pueris ante 12 aetatis annum ; hinc satius visum est EE. Patribus.. primam periodum delere ac dicere ad formam tam Rit. Rom. quam Catech. Rom. ad Parochos jussu Conc. Trid. editi : *Nemo ad sacramentum Eucharistiae prima vice suscipiendum admittatur, qui nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habeat judicio* praesertim *Parochi ac sacerdotis cui peccata puer confitetur.* » Ap. N. R. T. (XXI, 23 seq.)

Q. 30. An huic praecepto *satisfiat* per communionem *sacrilegam?*

R. *Negative*, nisi forte communicans conteratur, antequam species in stomacho consumantur. Hinc prop. damnata ab Innoc. XI sub. n. 55 : « *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem.* » Quare sacrilege communicans in paschate, tenetur iterum communicare, non tamen iterum in parochia : quia finem partialis praecepti adimplevit.

Q. 31. Quid per *Pascha* intelligatur?

R. Intelligitur tempus a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive. Constat ex Eug. IV (Const. « *Fide digna* »).

Explanatur. Ad annuam communionem adimplendam, Ecclesia **opportune** elegit tempus paschale : tum quia illo tempore Christus hoc sacramentum instituit ; tum quia communio est memoriale Passionis et mortis ejus, quae circa Pascha contigerunt ; tum quia tunc fideles per jejunium quadragesimale ad digne communicandum melius sunt dispositi. — Episcopi autem solent privilegio, necessitate vel consuetudine plus temporis concedere, sive ad anticipandum, sive ad differendum. Utrum vero solius episcopi auctoritate id fieri possit quoad omnes dioecesanos, *affirmant* nonnulli, *negat* vero Bened. XIV (*de Syn.* l. XII, c. VI, n. 10). Praeterea, sicut statuit Conc. Later. IV, unusquisque fidelis « *de consilio proprii sacerdotis* » i. e. parochi vel confessarii ob rationabilem causam potest communionem ultra tempus paschale differre.

Sic enim sonat can. 21 Conc. Lat. IV : « *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti et sibi injunctam poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae Sacramentum :* NISI FORTE DE CONSILIO PROPRII SACERDOTIS, OB ALIQUAM RATIONABILEM CAUSAM, AD TEMPUS AB EJUS PERCEPTIONE DUXERIT ABSTINENDUM : *alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* » Rationabilis causa foret, si mulier post partum nondum venerit ad ecclesiam ; si quis itineri se accingere debeat a quo brevi sit rediturus ; si quis ita aegrotet, ut brevi post Pascha possit venire ad ecclesiam, etc.

Resolvitur. « Possunt non solum *parochi* sed etiam *confessarii* ex causa rationabili differre *particulares* ultra quindenam paschalem : cum enim in confessione excipienda gerant vices parochi, eadem pollent facultate quoad communionem » (Bill.). Praeterea, ut habet Gury (*Cas. consc.* I, 457) : « Confessarius est judex non solum dispositionis ad communionem requisitae sed opportunitatis majoris ad SS. Sacramentum suscipiendum. Potest itaque aliquam dilationem permittere vel imponere, si judicet majus bonum poenitentis id requirere, saltem si hic non sit invitus. »

Q. 32. An *praevidens* se non posse communicare *in paschate*, ante hoc tempus *communicare* debeat?

R. Alii aliter sentiunt.

Explanatur. Sententiae *negativae* adhaeret S. Lig. (VI, 298 et H. A. XII, 40). Sed mihi **praeplacet** sententia, quae cum Bill., Sass., Laym. (l. V, t. IV, c. V. n. 9), P. Piato, aliis, ad propositam quaestionem respondent *sub distinctione*, hoc modo : 1°) *Affirmative*, si isto anno **non communicavit**, nec probabiliter est habiturus occasionem isto anno communicandi : non quidem ex obligatione communionis ut *paschalis*, cum praeceptum communionis paschalis qua talis est affixum tempori illi ; sed ut *annua* est ; seu aliis verbis, ut loquitur Bill. : « non quidem ut satisfaciat praecepto communionis ut paschalis, quod nondum obligat sicut qui praevidet se non posse audire Sacrum die dominica, non tenetur audire die sabbati ; sed ut satisfaciat praecepto communionis annuae, seu non

differendi communionem ultra annum, quod urget toto anni tempore. » 2°) *Negative*, si **jam communicasset** a Paschate elapso, v. g. in festo Nativitatis Christi : quum praecepto annuae communionis jam satisfecerit, et necdum communionis paschalis urgeat praeceptum ; in quo casu, iterum communicare tenetur saltem in proximo Nativitatis festo, ne plus quam anno communione careat. Et haec quidem responsio omnino conformior est principiis supra (p. 497 seq.) allatis. Cum enim in hoc quinto praecepto unum sit *principale* ac substantiale, nempe ut communio ultra annum non differatur, alterum vero *accessorium*, ut tempore paschali, tanquam omnium congruentissimo Sacramentum suscipiatur, tametsi anticipando adimplere non possis hoc *secundarium*, potes tamen quod est *principale* ac magis substantiale.

Resolvitur. Ut patet ex quaestione, responsio procedit de casu quo *quindena paschalis nondum sit inchoata* : « quia, ut recte notat Bill., ubi semel inchoata est, urget praeceptum communionis paschalis. Unde, si praevideat futurum impedimentum ultimis diebus, debet primis diebus praeceptum adimplere, etiamsi ante quindenam communicasset : sicut si die festo mane praevidet futurum impedimentum audiendi ultimum sacrum, debet aliud prius audire. »

Q. 33. An qui *omisit* communicare intra tempus paschale, teneatur *quamprimum* commode possit communicare ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **1°) ab anno non communicavit,** et tunc *affirmative*, tantoque magis peccatum auget, quanto magis differt : quia Ecclesia tempus determinavit non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem ; vel **2°) infra annum communicavit,** v. g. in festo omnium Sanctorum, tuncque *negative ;* quia, cum elapsum sit tempus paschale, communio eo tempore facta est illi impossibilis, sicut qui non audit sacrum die dominica, non tenetur audire die lunae, quia est onus affixum diei qui transiit ; sed exspectare ei licet usque ad festum omnium Sanctorum futurum, ut sic ultra annum non differat communionem. Cfr. Bill. ; Sass. ; Lug.

Resolvitur. Allatae responsioni non obstat quod parochi urgeant ad communicandum omnes qui non communicaverint in paschate : « Sic enim, ait Bill., se gerunt parochi, quia ex com-

muniter accidentibus supponunt eos non communicasse *toto anni decursu;* sic enim plerumque accidit, ut qui non communicant in paschate, nec per anni decursum communicaverint. » Quo autem sensu praxim parochorum intelligit Bill., eodem quoque modo explicari valet praxis Ecclesiae Romanae quae vult ut ille, qui in paschate sacram communionem non recepit, quamprimum illam recipiat; alias, si ultra diem Ascensionis Domini differat, in poenas canonicas incurrisse declaretur, ut signanter dicitur in *Inst.* Em. Card. Vicarii (18 Mart. 1745).

Q. 34. An, tempore paschali elapso, communicare debeat *in sua parochia*, qui intra illud tempus vel 1°) non communicavit; vel 2°) communicavit sacrilege?

R. Ad 1um. *Affirmative* : cum finis praecepti sit recognoscere auctoritatem pastoris, cui secus gravis infertur injuria; nisi tamen parochi licentia rite praesumi possit.

R. Ad 2um *Negative* : quia finem partialis praecepti jam adimplevit.

Q. 35. *Quinam* a praecepto communicandi in sua parochia *eximantur?*

R. Dantur *sex* regulae sequentes.

Explanatur. 1°. Sacerdotes, si celebrent, ubique satisfaciunt; secus, si communicent ut laici. **2°) Religiosi** et **moniales** possunt in propriis ecclesiis satisfacere; item eorum **convictores,** modo actu inserviant, inter monasterii septa resideant et sub Praelatorum obedientia vivant, ut habetur in Trid. (Sess. 24, c. 11). **3°)** Ex concessione Episcopi, ordinarie eximuntur **alumni collegiorum** et **habitantes** *hospitiorum*, etc., qui in proprio sacello satisfacere possunt. **4°) Vagi** cum nullius sint parochiae, possunt tempore paschali communicare ubi volunt. Similiter « **peregrini** qui longe absunt a propria parochia, possunt communicare in quacumque ecclesia; nec tenentur communicare in loci parochia, ubi reperiuntur; ita communissime, » ait S. Lig. (H. A. XII, 42). Non ita tamen fert Ecclesiae Romanae praxis, juxta quam **peregrini**, quod communionem paschalem attinet, tanquam subditi habentur illius parochi, in cujus parochia commorantur, uti constat ex edicto Card. Vicarii (18 Mart, 1745, n. 5) a Bened. XIV

confirmato et approbato. Idque conformius est declarationi Eugenii IV, qua statuit peregrinos, quoad confessionem et communionem, fieri incolas illius loci, in quo tempore paschali degunt. 5° Qui **varia habent domicilia**, in quocumque communicare possunt. 6° Quicumque extra parochiam communicare potest, si habeat **licentiam proprii sacerdotis**, i. e. sive Papae, sive Episcopi, i. e. Ordinarii aut ejus Vicarii generalis (p. 498), sive parochi. Sufficit autem licentia etiam *tacita* seu *praesumpta*, dummodo consensus moraliter certus supponi possit (S. Lig. VI. 500). Et si parochus sit aut praesumatur irrationabiliter invitus, potest licite praesumi consensus Episcopi aut Pontificis.

Nota. Hoc autem notanda est declaratio S. C. C. 31 Jan. 1682, quae ad **quaesitum**: *An PP. Societatis Jesu aliique Regulares possint ministrare SS. Euch. Sacramentum personis saecularibus a Dominica Palmarum usque et per totam Dominicam in albis?* » **respondit**: Affirmative, *excepto die* paschatis; *ita tamen ut saeculares sumentes Eucharistiam in ecclesiis Regularium in aliis diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in albis inclusive, non satisfaciant praecepto Ecclesiae*. Pro urbe *Romae* etiam excipitur feria V in Coena Domini.

FINIS.

Vivat Cor Jesu Sacratissimum per infinita saecula saeculorum.

Amen!

INDEX SYNOPTICUS

EXHIBENS SERIEM TRACTATUUM ET QUAESTIONUM.

DE ACTIBUS HUMANIS.

PRAEAMBULUM 1

PARS PRIMA.

DE ACTIBUS HUMANIS CONSIDERATIS QUOAD SUUM ESSE PHYSICUM SEU MATERIALE.

CAPUT I. De quidditate, principiis et distinctione actuum humanorum.

Q. 1. Quid *proprie* sit *actus humanus?* . . . . . "
Q. 2. Quomodo cognoscatur actum, ex *deliberata* hominis *voluntate* procedere? 3
Q. 3. Quaenam igitur sint *principia* seu *elementa* actuum humanorum? . . . . . "
Q. 4. *Quotuplex* sit actus humanus? 6

CAP. II. De voluntario, quod requiritur ad constitutionem actus humani. Ubi de ejus quidditate, variis divisionibus et signanter de voluntario indirecto.

Q. 5. Quid 1°) proprie sit *voluntarium;* et 2°) *quaenam* ad illud *concurrant?* . . . . . "
Q. 6. Quomodo *voluntarium* differat a *violento, volito, naturali* et *spontaneo?* 10
Q. 7. *Quotuplex* sit *voluntarium?* 11
Q. 8. Quaenam *requirantur*, ut voluntarium *indirectum* imputetur *ad culpam?* 16
Q. 9. Quando quis non *teneatur* effectum *impedire?* . . 17
Q. 10. Quo *tempore* contrahatur *malitia* effectus in *causa* dumtaxat voluntarii? 20

CAP. III. De libero, quod ad actum humanum requiritur. Ubi de ejus quidditate, variis divisionibus et signanter de libertate indifferentiae.

Q. 11. Quid 1°) sit *libertas* in genere; 2°) *quotuplex* distinguatur; 3°) quid sit libertas *a coactione* seu *spontaneitatis?* . . "
Q. 12. Quid 1°) sit libertas *a necessitate;* 2°) *quotupliciter* distinguatur; 3°) quaenam ad *essentiam* liberi arbitrii pertineat? . 21
Q. 13. An ad actum humanum *sufficiat* sola libertas *a coactione?* 24

CAP. IV. De involuntario, seu de illo, quod voluntario opponitur. Ubi de divisione involuntarii deque causis illud causantibus.

Q. 14. Quid 1°) sit *involuntarium* et 2°) *quotuplex?* . . . 27
Q. 15. Quaenam causae *tollant*, quaenam *minuant*, quaenam *augeant* voluntarium? 28

ARTICULUS I. De vi et metu, seu de prima et secunda causa involuntarii.

Q. 16. Quid sit *vis* seu *violentia* proprie dicta? . . . 29
Q. 17. Possitne voluntas *pati* violentiam stricte dictam? . . 30
Q. 18. Quid faciat *vis* proprie dicta in ordine ad voluntarium? "
Q. 19. An mulier *vi* oppressa teneatur *clamare*, si ob clamorem subeat *vitae periculum?* 31
Q. 20. *Quid* sit *metus?* 32
Q. 21 Quaenam sit *differentia* inter *vim* et *metum?* . . 33
Q. 22. *Quotuplex* sit *metus?* . . . . . "
Q. 23. Quot *conditiones* requirantur, ut metus sit *gravis?* . 34
Q. 24. Quid faciat *metus* in ordine ad *voluntarium?* . . "
Q. 25. Metus *gravis* excusetne a *peccato?* 35

ART. II. De ignorantia seu de tertia causa involuntarii.

Q. 26. Quid *generatim* sit *ignorantia?* 36
Q. 27. *Quotuplex* sit *ignorantia?* 37
Q. 28. Quid faciat *ignorantia* in ordine ad *voluntarium?* . . 39
Q. 29. Quid faciat *ignorantia* in ordine ad *peccatum?* . . "
Q. 30. *Quanta diligentia* adhiberi debeat, ut quis *excusetur* a mortali vel etiam ab omni peccato? 40
Q. 31. Ignorantia *vincibilis* sitne *speciale* peccatum? . . 41

ART. III. De concupiscentia, seu de quarta causa involuntarii.

Q. 32. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit *concupiscentia?* . 42
Q. 33. Quid faciat *concupiscentia* in ordine ad *voluntarium* et *peccatum?* . . . . . "
Q. 34. Quid dicendum de illo qui sub motu deordinatae concupiscentiae *negative* se habet, i. e. : nec consentit, nec resistit? 43

PARS SECUNDA.

DE ACTIBUS HUMANIS CONSIDERATIS IN SUO ESSE MORALI SEU FORMALI.

CAP. UNIC. De moralitate actuum humanorum, ubi de eorum imputabilitate, de regulis morum, de speciebus moralitatis, de principiis seu fontibus moralitatis, deque requisitis ex parte voluntatis ad bonitatem vel malitiam moralem contrahendam.

Q. 35. *Quid* sit actus *moralis?* 45
Q. 36. *In quo* constituendae sint *regulae morum?* . . . 47
Q. 37. *Quot* et *quaenam* sint moralitatis *species?* . . . "
Q. 38. An igitur dentur actus humani *indifferentes?* . . 48
Q. 39. An actus *externus* addat bonitatem vel malitiam actui *interno?* 50
Q. 40. *Quid* sint *principia* seu *fontes* moralitatis? . . . 52
Q. 41. *Quot* sint *principia* moralitatis, ex quibus actus humani desumunt suam bonitatem vel malitiam? . . . . "
Q. 42. *Quid* ex parte *voluntatis* requiratur : 1°) ad actus *bonitatem* vel 2°) *malitiam* moralem contrahendam? . . . "

ART. I. De primo principio moralitatis seu de objecto actus moralis

Q. 43. *Quid* sit *objectum*, seu primum moralitatis *principium?* 53
Q. 44. *Qualis* est *moralitas* quam ex *objecto* desumit actus humanus? 54

ART. II. De secundo principio moralitatis seu de circumstantiis.

Q. 45. *Quid* sint *circumstantiae?* 55
Q. 46. *Qualem* bonitatem vel malitiam *circumstantiae* tribuant actui humano? . . . . . "
Q. 47. *Quomodo* circumstantiae *distinguantur?* . . . 56
Q. 48. *Quaenam* soleat assignari *regula*, ad dignoscendum, quandonam circumstantia *malitiam* in eadem specie aggravet *notabiliter* vel *leviter?* . . . . . "
Q. 49. *Quot* numerentur *circumstantiae?* 57
Q. 50. An circumstantia *leviter mala* totum actum bonum semper corrumpat? 59

ART. III. De tertio principio moralitatis seu de fine actuum humanorum.

Q. 51. Quid 1°) *generatim* intelligatur per *finem;* et 2°) *quotupliciter* distinguatur? . . . . . "
Q. 52. Ex *quonam fine* actus humanus desumat suam moralitatem? 60
Q. 53. Quare specialiter dicatur, actus humanos desumere suam moralitatem ex *circumstantiis* et *fine*, cum finis operantis in numero circumstantiarum contineatur? . . . . . "
Q. 54. *Qualis* moralitas desumatur ex fine? . . . . "
Q. 55. Quare in responsione dixeris : ex fine *extrinseco qua tali?* 61
Q. 56. An itaque *finis* quilibet *malus* totam actus bonitatem corrumpat? 62
Q. 57. An *bonitas* finis extrinseci tollat *malitiam* actus ex objecto pravi? . . . . . "
Q. 58. An *malus* sit actus, positus *voluptatis* causa? . . 63

Q. 59. Utrum necesse sit *dirigere* omnes actiones in *gloriam Dei*, ut moraliter bonae sint, seu non peccaminosae? . . 63
Q. 60. *Quotuplici* modo possit voluntas nostra *conformari* voluntati divinae? 64
Q. 61. *Quomodo* voluntas humana, ut bona sit, DEBEAT *conformari* voluntati divinae? . . . . . "

PARS TERTIA.

DE ACTIBUS HUMANIS SECUNDUM ESSE SUPERNATURALE SEU MERITUM THEOLOGICUM.

CAP. UNIC. De merito actuum humanorum. Ubi de quidditate meriti, de divisione meriti supernaturalis, de conditionibus requisitis, deque iis quae possumus alteri mereri.

Q. 62. Quid sit *meritum* seu opus meritorium, tum 1°) *generatim* spectatum; tum 2°) *supernaturale* seu in ordine ad vitam aeternam? 66
Q. 63. *Quotupliciter* distinguatur meritum *supernaturale?* . . "
Q. 64. Quaenam *conditiones* requirantur ad utrumque *meritum supernaturale?* 67
Q. 65. An ad meritum *de condigno* requiratur, ut actus in Deum referatur *ex charitate?* 69
Q. 66. Quid homo *sibi* mereri possit tam *de condigno* quam *de congruo?* . . . . . "
Q. 67. Quid possit homo mereri *alteri?* 71
Q. 68. *Quotuplicis* generis sint opera bona *ex gratia* facta? . 72

DE CONSCIENTIA

seu de regula proxima et intrinseca actuum humanorum.

PRAEAMBULUM 73

CAP. I. De quidditate et divisione conscientiae.

Q. 1. Quid *proprie* sit *conscientia?* . . . . . "
Q. 2. Quaenam sit *differentia* inter *synderesim* et *conscientiam?* 76
Q. 3. *Quotuplici* modo dictet conscientia? 77
Q. 4. Quomodo *distinguatur* conscientia? . . . . . "

CAP. II. De speciebus conscientiae ex parte objecti seu de conscientia recta, erronea et perplexa.

Q. 5. Quid 1°) sit conscientia *recta* seu *vera;* et 2°) *quotuplex* distinguatur? 78
Q. 6. *Quid* et *quotuplex* sit conscientia *erronea?* . . . 79
Q. 7. An *liceat* agere *contra* conscientiam? . . . . "
Q. 8. *Quale* peccatum sit agere *contra* conscientiam? . . 80
Q. 9. Si conscientia *ex errore* dictet aliquid esse praeceptum vel

prohibitum *sub censura*, an operans contra illam incurrat *censuram?* 82
Q. 10. An teneamur *sequi* seu agere *juxta* conscientiam? . "
Q. 11. Utrum *gravius* sit agere *contra* conscientiam *vincibiliter* erroneam, quam eam *sequi?* 83
Q. 12. *Quid* sit conscientia *perplexa?* . . . . . "
Q. 13. Quid agere *debeat*, qui laborat conscientia *perplexa?* . 84

CAP. III. De speciebus conscientiae ex parte subjecti.

ART. I. De conscientia certa et dubia.

Q. 14. *Quid* sit conscientia *certa?* 84
Q. 15. *An* et *qualiter* conscientia *debeat* esse *certa?* . . . "
Q. 16. *Quid* sit conscientia *dubia?* 85
Q. 17. An *dubium* differat ab *opinione?* . . . . . "
Q. 18. *Quotuplex* sit conscientia *dubia?* 86
Q. 19. Ad *liceat* agere cum *conscientia dubia?* . . . . "
Q. 20. Quomodo *speculative* dubitans de honestate suae actionis se gerere debeat, ut conscientiam *practice* certam sibi valeat efformare? 87
Q. 21. Quaenam sint principia *reflexa*, quibus conscientia speculative dubia possit deponi, et fieri moraliter certa? . . "
Q. 22. *Quare* hujusmodi principia dicantur *reflexa?* . . . 88
Q. 23. An semper *constet*, utrum et quousque unum vel alterum ex praedictis *axiomatibus* sit in casu particulari applicandum? "
Q. 24. Quomodo probetur primum principium: « *Lex dubia non obligat?* » . . . . . "
Q. 25. Quomodo intelligenda sit regula: « *In dubio melior est conditio possidentis?* » 90
Q. 26. Unde *discerni* possit, an pro *lege*, an pro *libertate* stet *possessio?* . . . . . "
Q. 27. Si *dubites*, utrum alicui obligationi *jam satisfeceris*, an *tenearis* adhuc *satisfacere?* 92

ART. II. De conscientia probabili.

Q. 28. *Quid* sit conscientia *probabilis?* 93
Q. 29. Quid *proprie* sit *opinio probabilis?* 94
Q. 30. Ad fundandam probabilitatem *extrinsecam* possitne *sufficere* auctoritas tantum *unius* auctoris? 95
Q. 31. Quid intelligas per opinionem *tutiorem* et *minus tutam?* 96
Q. 32. Possitne dari opinio, quae sit *tutior* et *minus probabilis*, aut *probabilior* et *minus tuta?* . . . . . "
Q. 33. An semper *teneamur* sequi *tutiora?* 97
Q. 34. Quandonam *teneamur* sequi *tutiora?* . . . . . "
Q. 35. An et qualem *liceat* sequi opinionem *probabilem*, ubi agitur de *sola honestate actionis?* 99

Q. 36. An aliquando sit *obligatio* sequendi opinionem *minus probabilem* et *minus tutam?* 106
Q. 37. An quis possit, in *eadem materia*, inter probabiles opiniones, modo *hanc*, modo *oppositam* sequi? . . . . . "

ART. III. De conscientia scrupulosa et laxa.

Q. 38. *Quid* sit conscientia *scrupulosa?* 107
Q. 39. Liceatne agere *contra* conscientiam *scrupulosam?* . "
Q. 40. Quid agendum sit ei, qui *scrupulis* laborat? . . . "
Q. 41. *Quaenam* sit conscientia *laxa?* 108
Q. 42. *Quotuplex* sit conscientia *laxa?* . . . . . "
Q. 43. Quaenam sint *causae* conscientiae *laxae?* . . . 109
Q. 44. Quinam sint *effectus* conscientiae *laxae?* . . . "
Q. 45. Quaenam sint praecipua *laxae* conscientiae *remedia?* . "

DE LEGIBUS

seu de regula remota et externa actuum humanorum.

PRAEAMBULUM 110

PARS PRIMA.

NOTIONES GENERALES.

CAP. UNIC. De legis quidditate, proprietatibus et divisione.

Q. 1. Quid *proprie* sit *lex?* . . . . . "
Q. 2. Quaenam sint legis *proprietates* seu *conditiones*, ut *obliget?* 112
Q. 3. An *idem* sit *lex* et *praeceptum?* 113
Q. 4. *Quotuplex* sit lex? . . . . . "

PARS SECUNDA.

DE LEGIS INSTITUTIONE.

CAP. I. De legislatore seu de iis qui possunt ferre leges.

Q. 5. An detur in hominibus *potestas* condendi leges? . . 116
Q. 6. *Quinam* possint condere leges *ecclesiasticas*, vel *civiles?* 117
Q. 7. *Undenam* illam habeant *potestatem?* 118
Q. 8. An *vim legis* habeant CC. RR. *declarationes* et *decreta?* 120

CAP. II. De objecto seu materia legis.

Q. 9. *Quaenam* sit *materia* seu *objectum* legis? . . . 121
Q. 10. An *eadem* sit *materia* legis *aeternae* ac legis *naturalis?* 122
Q. 11. *Quaenam* sit *materia* seu *objectum* legis *naturalis?* . "
Q. 12. Utrum lex *naturalis* contineat *plura* praecepta, vel *unum* tantum? . . . . . "

Q. 13. *Quotuplicis* generis distinguantur *praecepta* legis *naturalis?* 123
Q. 14. Dic : 1°) *Qualia* praecepta contineret lex positiva divina *vetus*, et 2°) quo sensu dicatur *imperfecta?* . . . . "
Q. 15. *Quid* contineat lex positiva divina *nova?* . . . 124
Q. 16. *Quaenam* sit *materia* legis positivae *humanae?* . . "
Q. 17. An lex *humana* possit prohibere *collective* omnia vitia, aut praecipere omnes actus cujuscumque virtutis? . . "
Q. 18. An lex *humana* possit praecipere actus *heroicos?* . . 125
Q. 19. An lex *humana*, tam *civilis*, quam *ecclesiastica*, possit praecipere actus *internos?* . . . . . "

CAP. III. De subjecto legis.

Q. 20. *Quisnam* sit *subjectum* legis? 127
Q. 21. An infantes *ante usum* rationis et *perpetuo* amentes alicui legi subjiciantur? . . . . . "
Q. 22. An *dormientes, ebrii* et *ad tempus* tantum *amentes* legibus subjiciantur? 128
Q. 23. *Quinam* subjiciantur legi *naturali* et *evangelicae?* . "
Q. 24. *Quinam* teneantur servare leges *humanas?* . . . "
Q. 25. Quaenam *aetas* requiratur, ut quis legibus *humanis* subjiciantur? 129
Q. 26. Quid dicendum, si *dubitetur* de puero, an adeptus sit usum rationis? 130
Q. 27. An et quomodo *legislator* teneatur *propriis* suis legibus? "
Q. 28. An *clerici* et *regulares* teneantur legibus *civilibus?* . 131
Q. 29. An *religiosi exempti* subjiciantur legibus *episcoporum?* "
Q. 30. An *peregrini* teneantur legibus *proprii* territorii, dum *extra illud* versantur? . . . . . "
Q. 31. An saltem teneatur, si peregrinus e proprio territorio *ideo praecise* discedat, ut a lege *eximatur*, alias remansurus? 132
Q. 32. Qui discedit e proprio territorio, ubi lex viget, *teneaturne* ante discessum eam *implere*, v. g. jejunare, missam audire, si eo venturus est, ubi lex non viget? 133
Q. 33. An *peregrini* et *vagi* teneantur legibus *loci in quo versantur*, licet nullum ibi acquisiverint domicilium vel quasi domicilium? 134

CAP. IV. De promulgatione et acceptatione legis.

Q. 34. *Quid* sit legis *promulgatio?* 136
Q. 35. An ad *obligationem* legis inducendam, sufficiat : 1°) legis *notitia* sine promulgatione ; vel vicissim 2°) *promulgatio* sine notitia? . . . . . "
Q. 36. An *eadem* promulgatio requiratur ad *omnes* leges? . 137

Q. 37. *Quomodo* fieri debeat promulgatio legum *humanarum?* 137
Q. 38. An sufficiat, ut leges *papales* Romae promulgentur? . "
Q. 39. *Quandonam* lex rite promulgata *incipiat* obligare? . "
Q. 40. An obliget lex *dubie* promulgata? . . . . . "
Q. 41. An leges humanae, sive canonicae, sive civiles, obligent, nulla exspectata populi *acceptatione?* 138
Q. 42. An aliquando sit licitum *appellare* a lege, vel contra illam *supplicare?* . . . . . "
Q. 43. An obliget lex *in dubio*, an sit acceptata? . . . "

PARS TERTIA.

DE LEGIS EXSECUTIONE.

CAP. I. De obligatione legis.

Q. 44. An lex *humana*, etiam *civilis*, obliget *in conscientia?* . 139
Q. 45. *Ad quid* obliget in conscientia *lex humana?* . . "
Q. 46. An obliget *sub gravi*, an *sub levi?* . . . . . "
Q. 47. An lex *humana* obliget cum *periculo vitae*, aut alterius *gravis damni* in fama, sanitate, bonis fortunae, etc.? . . 140
Q. 48. An obligent in conscientia leges principis tyranni *in regimine?* . . . . . "
Q. 49. An tyrannus *titulo*, i. e. *usurpator* regni possit obligare in conscientia? . . . . . "
Q. 50. An obliget in conscientia lex fundata *in fictione juris?* 141
Q. 51. An obliget in conscientia lex fundata *in praesumptione?* "
Q. 52. An ille, qui deliquit contra legem *poenalem*, teneatur statim poenam subire, *ante sententiam judicis?* . . . 142
Q. 53. Ad quid lex *poenalis* obliget *post judicis sententiam?* . 143
Q. 54. An *ignorantia* excuset a *poena* legis *humanae?* . . 144
Q. 55. An deliquens *poenam* effugiat, si *poenituit* facti ante effectum secutum? 145
Q. 56. Utrum *de facto* dentur leges *mere poenales*, quae scilicet ad solam poenam solvendam in conscientia obligent, saltem post sententiam judicis? . . . . . "
Q. 57. An lex *irritans* obliget in conscientia ad actum *vitandum?* 146
Q. 58. An lex *irritans* obliget ad *irritationem* in conscientia? "
Q. 59. An *grave incommodum* irritationem *impediat?* . . 147

CAP. II. De modo quo leges sunt observandae.

Q. 60. *Quomodo* lex sit *adimplenda?* . . . . . "
Q. 61. Si quis per *vim*, vel per *metum*, ponat opus a lege praeceptum, satisfaciatne legi? 148
Q. 62. Si quis *sine intentione satisfaciendi* legi ponat opus a lege praeceptum, satisfaciatne legi? . . . . . "
Q. 63. Si quis ponat opus praeceptum, sed per actum *ex aliqua*

circumstantia malum, satisfaciatne legi? 149
Q. 64. An per *unicum* actum possint adimpleri *plures* leges? . 150
Q. 65. An per *diversos* actus possint *eodem* tempore *plures* leges adimpleri? . . . . . "
Q. 66. *Quandonam* lex adimplenda sit? 151

CAP. III. De causis excusantibus a legis obligatione.

Q. 67. *Quaenam* sint *causae excusantes* a legis *obligatione?* . "
Q. 68. *Quaenam ignorantia* excuset a *culpa?* 152
Q. 69. An dari possit *ignorantia* legis *naturalis?* . . . . "
Q. 70. An ignorantia *vincibilis* transgressorem legis excuset saltem *a poena?* 153
Q. 71. *Quaenam impotentia* excuset a lege observanda? . . 154
Q. 72. An *impotens* implere *totum* praeceptum *teneatur* implere *partem* quam *potest?* 155
Q. 73. An et *quousque* liceat se ad legem aliquam implendam reddere *impotentem*, seu voluntarie *apponere* aut *non removere* causas adimpletionem legis *impedientes?* 156

CAP. IV. De legis interpretatione stricta et lata seu per epikeiam.

Q. 74. *Quid*, loquendo *generatim*, sit legis *interpretatio?* . 157
Q. 75. *Quotuplex* interpretatio *generatim* sumpta *distinguatur?* "
Q. 76. Quaenam sit *differentia* inter *interpretationem stricte dictam* et *epikeiam?* 158
Q. 77. In *quibusnam legibus* locum habere possit *interpretatio stricte dicta* vel *epikeia?* . . . . . "
Q. 78. *Quotuplex* distinguatur *interpretatio proprie dicta?* . "
Q. 79. *Quaenam* sint *regulae* servandae in interpretatione *doctrinali?* 159
Q. 80. *Quandonam* locum habeat *epikeia?* 160
Q. 81. An *liceat* uti *epikeia* in *dubio:* an lex casum aliquem comprehendat? 161

CAP. V. De legis dispensatione.

Q. 82. *Quid* sit legis *dispensatio?* . . . . . "
Q. 83. *Quinam* possint in lege *dispensare?* . . . . . "
Q. 84. An possit dispensari in jure *naturali* aut *divino* positivo? 162
Q. 85. Cum *quibusnam* possit *dispensari?* 163
Q. 86. An *delegatus* ad dispensandum possit *subdelegare?* . "
Q. 87. An dispensatio *absque causa* sit *valide* et *licite* concessa? "
Q. 88. *Quaenam* sint *justae causae* a lege dispensandi? . . 164
Q. 89. Quandonam *subreptio* (reticentia veri) vel *obreptio* (expressio falsi) *invalidet* dispensationem? . . . . . "
Q. 90. *Quandonam* subsistere debeat *causa*, quae ad valorem dispensationis reputatur necessaria? . . . . . "

Q 91. Quomodo *interpretanda* sit : 1°) *potestas dispensandi;* 2°) *ipsa dispensatio?* 165
Q. 92. Quandonam *cesset* legis *dispensatio?* 166
Q. 93. An *gratia* dispensationis exspiret *morte concedentis?* . 167

CAP. VI. De cessatione legis.

Q. 94. Quomodo *cesset* lex? . . . . . "
Q. 95. Quid dicendum in *dubio*, an lex *cessaverit?* . . . 169

APPENDIX.

De privilegiis et consuetudine.

CAP. I. De privilegiis.

Q. 96. *Quid* sit *privilegium?* 170
Q. 97. *Quotupliciter* distingui possit *privilegium?* . . . 171
Q. 98. Privilegium a *quo* et *cuinam* concedi possit? . . . 173
Q. 99. *Quomodo* privilegia *interpretanda* sint? 174
Q. 100. Quomodo *cesset* privilegium? 177
Q. 101. An *cesset* privilegium *resoluto jure concedentis*, ut puta morte, abdicatione, renuntiatione? 179

CAP. II. De consuetudine seu lege non scripta.

Q. 102. *Quotupliciter* consuetudo *in genere* considerari possit? 181
Q. 103. *Quid* sit proprie consuetudo *formaliter* sumpta? . . "
Q. 104. Quaenam *conditiones* requirantur, ut consuetudo, quam *praeter legem* vocant, *vim legis* habeat? 182
Q. 105. Quid dicendum *in dubio* an consuetudo vim legis habeat? 183
Q. 106. Qualiter consuetudo *obliget?* . . . . . "
Q. 107. An *consuetudo* possit *abrogari?* . . . . . "

DE PECCATIS

cum appendice de vitiis.

PARS PRIMA.

DE PECCATO IN GENERE.

CAP. I. De natura peccati, divisione et gravitate.

Q. 1. *Quid* sit proprie *peccatum* in genere *morum?* . . 185
Q. 2. An detur *peccatum* pure *philosophicum*, i. e. repugnans rectae rationi, sed non legi aeternae, vel quia, qui peccat, Deum ignorat; vel quia de Deo actu non cogitat? . . . 186
Q. 3. *Quotuplex* distinguatur *peccatum?* 187
Q. 4. *Quaenam* requirantur ad peccatum *formale* constituendum? 190
Q. 5. *Quaenam* requirantur, ut peccatum *formale* sit *mortale?* 192

Q. 6. *Qua culpa* peccet is, qui *facit* aliquid malum, *sciens* quidem malum esse, sed *ignorans*, gravene sit an leve? . . 194
Q. 7. Utrum *peccet graviter*, qui *deliberat*: an velit in mortale consentire, si tandem non consentiat? . . . . . »
Q. 8. *Quaenam* constituant peccatum *veniale?* . . . »
Q. 9. *Quoto modo* potest esse peccatum *mortale* et *veniale?* . 195
Q. 10. Quomodo dignoscatur, quaenam peccata *ex genere suo* sint *mortalia*, quaenam vero *venialia?* 196
Q. 11. *Quibus ex causis* peccatum mortale *per se* seu *ex genere suo* transeat ad veniale *per accidens?* . . . . . »
Q. 12. In quibusnam *mortalibus* dari non possit *materiae parvitas*, seu quae peccata sint *ex toto genere suo* mortalia? . »
Q. 13. *Quibus ex causis* peccatum veniale *per se* seu *ex genere suo* possit esse mortale *per accidens?* 197
Q. 14. An adesse censeatur *periculum proximum* peccandi graviter in eo, qui proponit committere *omnia peccata venialia* et *sola mortalia* vitare? 198
Q. 15. *An* et *qua* ratione unum *mortale* est alio *gravius?* . 199
Q. 16. Utrum peccati gravitatem *circumstantiae* interdum *minuant*, interdum *aggravent?* . . . . . »
Q. 17. In quo *conveniant* et *disconveniant* peccatum *mortale* et *veniale*? . . . . . »

CAP. II. De causis et effectibus peccatorum.

Q. 18. An *Deus* possit esse *auctor* peccati? . . . . . »
Q. 19. Quaenam sit *immediata* causa peccati? 201
Q. 20. *Quot* sint causae *mediatae* ad peccatum allicientes? . »
Q. 21. *Quotuplex* sit causa peccati *extrinseca* occasionalis? . 202
Q. 22. *Quotuplex* sit causa peccati *intrinseca* occasionalis? . »
Q. 23. *Quot* et *quinam* sint *effectus* peccati? . . . . . »
Q. 24. *Quaenam* sint *poenae* peccati *originalis?* . . . 203
Q. 25. Utrum unum peccatum possit esse *poena* alterius? . 204

CAP. III. De distinctione specifica et numerica peccat.

Q. 26. *Undenam* sumatur distinctio *specifica* peccatorum? . »
Q. 27. *Quot* peccata *specie diversa* committat is, qui id facit vel omittit, quod *pluribus legibus* vetatur vel praecipitur? . . 206
Q. 28. *Unde* desumatur distinctio *numerica* peccatorum? . 207
Q. 29. *Quandonam* actus dicantur *moraliter interrupti?* . . 208
Q. 30. Utrum *unum* vel *plura* peccata dicenda sint, quando *objecta* materialiter et physice *numero distincta* ad unum actum referuntur? 209
Q. 31. An explicanda sint in confessione *media* ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum? . 211

PARS SECUNDA.

DE PECCATIS IN SPECIE.

CAP. I. De peccato commissionis et omissionis.

Q. 32. An *actus* conjunctus *omissioni* peccaminosae sit *peccatum?* 211
Q. 33. *Quandonam* pecc. *omissionis* incipiat *imputari?* . . 212

CAP. II. De peccatis internis.

Q. 34. Qua ratione inter cogitationes peccaminosas a se invicem differant *desiderium, gaudium* et *delectatio morosa?* . . "
Q. 35. *Quale* peccatum sit *desiderium* absolutum rei malae? . "
Q. 36. An *liceat* desiderare rem quidem *malam*, sed *sub conditione quod sit licita?* 213
Q. 37. *Quale* peccatum sit *gaudium* seu complacentia de re *mala?* "
Q. 38. An *liceat* gaudere de opere *malo*, ob *bonum effectum* inde secutum? 214
Q. 39. An in *quocunque* casu *liceat* gaudere, non quidem de ipso opere malo, sed dumtaxat de *effectu bono* ab illo opere secuto? 215
Q. 40. *An* et *quale* peccatum sit *delectatio morosa?* . . "
Q. 41. An *sponsis* et *viduis* liceat delectari de copula *futura* vel *praeterita?* 216
Q. 42. An *conjugibus* liceat delectari de copula, etiamsi alter conjux sit absens? 217
Q. 43. *Delectatio* de *morte* vel *malo* proximi sitne semper *peccatum?* . . . . . "

PARS TERTIA.

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS IN SPECIE.

SECTIO PRIMA.

CAP. UNIC. 1° de superbia: 2° de avaritia: 3° de ira: 4° de invidia: 5° de acedia.

Q. 44. *Quid* 1°) sit SUPERBIA, 2°) *quotuplex* et 3°) *quale* peccatum? 219
Q. 45. *Quaenam* 1°) sint *filiae* SUPERBIAE et 2°) *quaenam* ejus *remedia?* . . . . . "
Q. 46. *Quid* 1°) sit AVARITIA, 2°) *quale* peccatum, 3°) quaenam ejus *filiae* et 4°) quaenam *remedia?* 220
Q. 47. *Quid* 1°) sit IRA, 2°) *quale* peccatum, 3°) *quaenam* ejus *filiae* et 4°) *quaenam* illius *remedia?* 221
Q. 48. *Quid* sit INVIDIA? 222
Q. 49. *Quale* peccatum sit INVIDIA? 223
Q. 50. Quaenam sint 1°) *filiae* INVIDIAE, et 2°) quaenam contra illam *remedia?* . . . . . "
Q. 51. *Quid* sit ACEDIA? 224
Q. 52. *Quale* peccatum sit ACEDIA? . . . . . "

Q. 53. Quaenam 1°) sint *filiae* ACEDIAE, et quaenam 2°) adversus eam *remedia?* 224

SECTIO SECUNDA.

CAP. I. De gula, ubi de ebrietate.

Q. 54. *Quid* 1°) sit GULA? 2°) *Quot* modis committatur? . . 225
Q. 55. *Quantum* peccatum sit GULA? 226
Q. 56. *An* et *quomodo* peccet, qui comedit et bibit usque ad satietatem ob *voluptatem?* . . . . . »
Q. 57. Quaenam 1°) sint *filiae* GULAE, et 2°) quaenam ejus *remedia?* 227
Q. 58. *Quid* 1°) sit EBRIETAS, et 2°) *quotuplex* distinguatur? . »
Q. 59. *Quaenam* sint signa EBRIETATIS *perfectae?* . . . 228
Q. 60. *Quantum* peccatum sit EBRIETAS? 229
Q. 61. An peccent *graviter*, qui adeo validi vinoque assueti sunt, ut nunquam inebrientur, etsi largius aliis bibant? . . . 231
Q. 62. Utrum opus sit se inebriare *voluptatis causa*, ut detur peccatum EBRIETATIS? . . . . . »
Q. 63. An *licitum* sit se inebriare ad morbum depellendum, aut ad ustionem vel sectionem facilius sustinendam? . . . 232
Q. 64. An *liceat* aliquem inebriare, ut a malo majori, v. g. ab homicidio committendo, impediatur? 234
Q. 65. An sint *imputanda* omnia mala in ebrietate, tum perfecta, tum imperfecta, commissa? . . . . . »

CAP. II. De luxuria.

Q. 66. *Quid* sit LUXURIA? . . . . . »
Q. 67. *Quantum* peccatum sit LUXURIA *voluntaria?* . . . 235
Q. 68. Utrum in LUXURIA detur parvitas materiae? . . . »
Q. 69. *Quaenam* sint *filiae* LUXURIAE? 236
Q. 70. *Quaenam* sint LUXURIAE *remedia?* 237

ART. I. De peccatis luxuriae consummatis intra naturam, scilicet: de fornicatione, adulterio, stupro, raptu, incestu et sacrilegio carnali.

Q. 71. *Quid* 1°) sit FORNICATIO? *Quid* 2°) CONCUBINATUS? et 3°) *Quid* MERETRICIUM? 238
Q. 72. An *permitti* possint *meretrices?* 240
Q. 73. An FORNICATIO *sponsorum* cum *extranea* persona *mutet* speciem? 241
Q. 74. *Quid* 1°) sit ADULTERIUM, et 2°) *quot modis* committatur? »
Q. 75. *Quid* sit STUPRUM? 242
Q. 76. *Quid* sit RAPTUS? 243
Q. 77. *Quid* sit INCESTUS? 244
Q. 78. An omnis INCESTUS sit *ejusdem speciei?* . . . . »
Q. 79. *Quid* sit SACRILEGIUM CARNALE? 245

Q. 80. Quandonam SACRILEGIUM CARNALE *personale* 1°) locum habeat, et 2°) *quibus modis* committatur? 245
Q. 81. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM CARNALE *locale?* 247
Q. 82. Quandonam committatur SACRILEGIUM CARNALE *reale* ? »

ART. II. De peccatis luxuriae consummatis contra naturam : de sodomia, de bestialitate, de mollitie seu pollutione, ubi de distillatione et motibus carnalibus, et de onanismo.

Q. 83. *Quid* sit peccatum *carnale* CONTRA NATURAM? . . 248
Q. 84. An *specie* distinguantur MOLLITIES, SODOMIA et BESTIALITAS? »
Q. 85. *Quid* sit SODOMIA? 249
Q. 86. *Quid* sit BESTIALITAS? 251
Q. 87. *Quale* peccatum sit coire cum *femina mortua?* . . »
Q. 88. *Quid* sit MOLLITIES seu IMMUNDITIA? 252
Q. 89. *Quantum* peccatum sit MOLLITIES? 253
Q. 90. Quandonam POLLUTIO sit peccatum : 1°) *mortale;* 2°) *veniale;* 3°) *nullum?* 254
Q. 91. An POLLUTIO habita tangendo infantulum, aut mulierem dormientem, aut doli incapacem, aut pudenda bestiarum, sed *absque concubitu*, sit *diversae speciei* a *simplici pollutione?* 255
Q. 92. Si quis polluatur tactibus *alienis*, oporteatne explicare, an *viri* vel *feminae?* . . . . . »
Q. 93. *Liceatne* pharmacis semen corruptum *extrudere*, tametsi aliquid sani exinde extrudatur; immo et semen *corrumpere* ad postea extrudendum valetudinis curandae causa? . . 256
Q. 94. An 1°) a *pollutione* differat DISTILLATIO, et 2°) *quid* sit de ea judicandum? . . . . . »
Q. 95. *Quid* judicandum sit de *motibus inordinatis* seu *carnalibus?* 257
Q. 96. An semper teneamur *positive* resistere motibus carnalibus? »
Q. 97. *Quid* 1°) sit ONANISMUS; 2°) *quantum* peccatum, et 3°) *undenam* ejus *nomen?* 258

ART. III. De impudicitia seu de peccatis luxuriae non consummatis, ubi speciatim de tactibus, osculis, aspectibus, turpiloquiis, choreis et spectaculis.

Q. 98. *Quid* 1°) sit *impudicitia* seu luxuria non consummata; et 2°) *quotupliciter* distinguatur? 259
Q. 99. *An* et *qualia* sint peccata *tactus* et *oscula* extra conjugium? »
Q. 100. Quandonam *tactus* et *oscula* fiant *mortalia* ratione *objecti?* 260
Q. 101. *An* et *qualia* peccata sint *aspectus* extra connubium? . 261
Q. 102. *Quid* dicendum de *turpiloquiis?* 262
Q. 103. *Quid* dicendum de *choreis?* 263
Q. 104. *Quid* dicendum de *spectaculis?* 265

ART. IV. De amoribus seu procationibus.

Q. 105. *Quid* dicendum de *amasiis*, seu adolescentibus et puellis, qui se adamant et invisunt? 265

APPENDIX DE VITIIS.

circa hanc materiam notentur sequentia 267

DE VIRTUTIBUS.

PRAEAMBULUM 268

PARS PRIMA.

DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.

CAP. UNIC. De quidditate, distinctione, connexione et medio virtutum.

Q. 1. *Quid* sit VIRTUS *generice* sumpta? 269
Q. 2. *Quotuplex* sit *virtus?* . . . . . »
Q. 3. *Quaenam* sint 1°) praecipuae inter virtutes *morales*, et 2°) *quare* dicantur *cardinales?* . . . . . »
Q. 4. An virtutes *morales* sint *inter se* necessario *connexae?* . 270
Q. 5 An virtutes *morales* acquisitae sint necessario *connexae* cum *theologicis?* . . . . . »
Q. 6. Dic : 1°) *Quot* dentur virtutes *theologicae?* 2°) *Quomodo* a se invicem *distinguantur?* . . . . . »
Q. 7. An in justificatione cum gratia et virtutibus theologicis *infundantur* simul virtutes morales omnes? 271
Q. 8. An virtutes *theologicae* sint *inter se* necessario *connexae?* »
Q. 9. An *fides* et *spes* sine *charitate* possint dici verae virtutes? 272
Q. 10. *Quid* significet illud : *virtus consistit in medio?* . . »
Q. 11. An *omnes virtutes* consistant *in medio?* . . . . »
Q. 12. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit *medium* virtutis? . 273
Q. 13. An virtutes *maneant* post *hanc vitam?* . . . . »

PARS SECUNDA.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

SECTIO 1ª. — DE FIDE.

CAP. I. De quidditate fidei ejusque divisione.

Q. 14. *Quid* sit *fides?* 274
Q. 15. *Quomodo* definiri possit *fides*, virtus theologica? . . »
Q. 16. In qua *potentia* animae fides *resideat?* 275
Q. 17. An *fides* sit *prima* gratia? 277
Q. 18. *Quotupliciter* distinguatur *fides theologica?* . . . »

CAP. II. De objecto fidei, tum materiali, tum formali.

Q. 19. *Quotuplex* sit *objectum* fidei? 278

Q. 20. *Quodnam* sit fidei *divinae* objectum *materiale* in genere? 278
Q. 21. *Quodnam* sit objectum *materiale* fidei *catholicae*, seu *quaenam* fide divina et catholica sint credenda? . . . „
Q. 22. *Quid* dicendum *de revelationibus*, quae *privatis* personis a Deo factae sunt *post* tempora Apostolorum? . . . 279
Q. 23. *Quodnam* sit *formale* fidei objectum? 280
Q. 24. An actus *fidei divinae* debeat formari *explicite* propter *Dei revelantis auctoritatem?* 282
Q. 25. An *revelatio divina* etiam ingrediatur *objectum formale* fidei, tanquam motivum fidei *partiale?* . . . . . „

CAP. III. De necessitate fidei quoad actum internum.

Q. 26. *Quid* 1°) sit esse necessarium *necessitate medii; quid* vero 2°) *necessitate praecepti?* . . . . . „
Q. 27. *Qualis* sit *necessitas fidei* quoad actum *internum?* . 283
Q. 28. *Quandonam* praeceptum eliciendi actum fidei *obliget?* 284
Q. 29. *Quaenam* scienda et credenda sint *necessitate medii*, quaenam vero *necessitate praecepti?* 285
Q. 30. An *possint absolvi* qui ignorent necessaria necessitate *medii* vel *praecepti?* . . . . . „

CAP. IV. De necessitate fidei quoad actum externum.

Q. 31. *An* et *quale* detur praeceptum *exterius* fidem confitendi? 286
Q. 32. *Quandonam* urgeat *jure naturali divino*, etiam cum *periculo vitae*, praeceptum *affirmativum* confitendi fidem? . . „
Q. 33. Quid *prohibeat* praeceptum naturale divinum fidei *externae*, quatenus *negativum?* 287
Q. 34. An *liceat* fidem *dissimulare?* . . . . . „

CAP. V. De infidelitate fidei opposita.

Q. 35. *Quid* sit *infidelitas?* 288
Q. 36. Dic: 1°) *Quotuplex* sit infidelitas; et 2°) *quantum* peccatum? 289
Q. 37. Dic: 1°) *Quot* sint *species* infidelitatis *positivae?* et 2°) *quaenam* ex illis sit ceteris *gravior?* . . . . . „
Q. 38. An *infideles* non baptizati directe compelli possint a potestate *ecclesiastica* vel *civili* ad fidem suscipiendam? . . 290
Q. 39. An ritus *paganorum*, *judaeorum* aliarumque *sectarum* dissidentium, a principibus christianis *foveri* vel *tolerari* possint? 291
Q. 40. *Quid* 1°) sit *haeresis* FORMALIS, et 2°) *quotuplex?* . . „
Q. 41. *Quaenam* requirantur ad haeresim *formalem* CORAM ECCLESIA, i. e. quae canonicis plectitur poenis? . . . 293
Q. 42. *Quaenam* sint *poenae* canonicae haereticorum *formalium?* 294
Q. 43. *Quotuplex* sit *apostasia?* 295
Q. 44. Dic: 1°) *Quid*, et 2°) *quotuplex* sit *schisma?* . . . „

SECTIO 2ª. — DE SPE.

CAP. UNIC. De quidditate spei, distinctione, objecto, certitudine, necessitate, deque peccatis spei oppositis.

Q. 45. Dic : 1°) *Quid*, et 2°) *quotuplex* sit spes? . . . 296
Q. 46. *Quodnam* sit spei *objectum*? 297
Q. 47. An spes sit *certa*? 298
Q. 48. *Qualiter* spes sit *necessaria*? . . . . . "
Q. 49. *Quandonam* urgeat praeceptum *affirmativum* eliciendae spei? 300
Q. 50. *Quaenam* peccata spei *opponantur*? . . . . . "
Q. 51. *Quid* 1°) sit DESPERATIO? 2°) *quale peccatum*? et 3°) *undonam* oriatur? . . . . . "
Q. 52. An *desperatio* adjunctam habeat *infidelitatem*? . . 301
Q. 53. *Quid* 1°) sit *praesumptio*, 2°) *quotuplex* et 3°) *quale* peccatum? . . . . . "
Q. 54. An sit *praesumptio*, dum *spes remissionis* obtinendae mere *concomitatur* peccatum? 302
Q. 55. *Quandonam* habeatur *praesumptio* in eo qui *pergit* peccare? "
Q. 56. *Qualiter peccet* contra spem : 1°) *cupiens perpetuo in hoc mundo vivere*, — aut e contra 2°) *ex taedio mortem exoptans*? "
Q. 57. Quomodo *amittatur* habitus infusus spei? . . . 303

SECTIO 3ª. — DE CHARITATE.

CAP. I. De charitatis natura, divisione, objecto et necessitate.

Q. 58. *Quid* sit *charitas*? . . . . . "
Q. 59. *Quotuplex* sit *charitas*? 304
Q. 60. *Quodnam* sit *charitatis* objectum *materiale*? . . . "
Q. 61. *Quodnam* sit *charitatis* objectum *formale*? . . . 305
Q. 62. *Qualiter* charitas sit *necessaria*? . . . . . "
Q. 63. An omnis *actus humanus*, ne peccatum sit, fieri debeat ex *motivo charitatis*? 306
Q. 64. An saltem, ut actus sit meritorius *de condigno*, necesse sit illum fieri ex motivo *charitatis*? . . . . . "

CAP. II. De charitate erga Deum.

Q. 65. *Quale* detur *praeceptum* diligendi *Deum*? . . . "
Q. 66. *Quandonam* obliget praeceptum *affirmativum* charitatis *in Deum*? 307

CAP. III. De charitate erga seipsum et proximum.

Q. 67. Dic : 1°) *An* et 2°) *quale* detur praeceptum diligendi *seipsum* et *proximum*? 308

Q. 68. *Quare* in praecepto *proximum diligendi* dicatur *sicut te ipsum*? 310
Q. 69. *Quisnam* sit *ordo* servandus in *charitate*? . . . . "
Q. 70. *Quotuplex* distingui possit *necessitas*, tum *temporalis*, tum *spiritualis*? . . . . . "
Q. 71. An *licitum* sit in *pari necessitate* vitam *propriam* exponere pro conservanda *aliena*? 311
Q. 72. An *teneamur* cum *periculo vitae* succurrere proximo in necessitate *spirituali*? . . . . . "
Q. 73. *Quaenam* dilectionis *signa* debeamus exhibere *inimico*? "
Q. 74. An *inimico* etiam *remittere* debeamus *reparationem* v. g. famae ablatae vel alterius damni illati? 312

CAP. IV. De operibus charitatis erga proximum.

ART. I. De eleemosyna.

Q. 75. *Quid* 1°) sit *eleemosyna* et 2°) *quotuplex*? . . . 313
Q. 76. *Quot* sint *actus* eleemosynae *corporalis* et *spiritualis*? . "
Q. 77. An detur *praeceptum* elargiendi eleemosynam *corporalem*? "
Q. 78. *Quotuplicis* generis sint bona *superflua*? . . . "
Q. 79. Ex *quibus bonis* et *quibus pauperibus* sit facienda eleemosyna? 314
Q. 80. *Quinam* dare *possint* eleemosynam? 316

ART. II. De correctione fraterna.

Q. 81. *Quid* sit *correctio fraterna*? . . . . . "
Q. 82. *Quaenam* sit *differentia* inter correctionem *judicialem* et *fraternam*? 317
Q. 83. An detur *praeceptum* correctionis fraternae? . . . "
Q. 84. Quaenam *conditiones* requirantur ad strictam correctionis *obligationem*? . . . . . "
Q. 85. An *sub gravi* obliget praeceptum correptionis fraternae? "
Q. 86. Quaenam *materia* censeatur *gravis*? 318
Q. 87. An *facienda* sit correptio erga eos qui peccant *ex ignorantia*? . . . . . "
Q. 88. *Quosnam* obliget *praeceptum* correptionis fraternae? . "
Q. 89. Qualis *ordo* servandus sit in correptione fraterna? . 319

CAP. V. De peccatis charitati proximi oppositis.

ART. I. De scandalo.

Q. 90. *Quid* sit *scandalum*? 320
Q. 91. *Quotuplex* sit *scandalum*? . . . . . "
Q. 92. *Quantum* peccatum sit scandalum *activum*? . . . 321
Q. 93. An in scandalo *activo* detur peccatum non tantum *contra*

charitatem, sed etiam *contra virtutem*, ad quam violandam proximus *inducitur*? 322
Q. 94. An semper *teneamur* omittere *opera nostra*, si ex illis proximus sit scandalum passurus? . . . . . »
Q. 95. An tenearis dimittere bona *temporalia* ad scandalum vitandum? 323
Q. 96. An *liceat* alicui *determinato* ad *grave* malum suadere *minus*, si aliud medium non detur eum a majori avertendi? 324
Q. 97. An *liceat* occasionem peccati *permittere*, ut reus corrigatur? »
Q. 98. An ob bonum finem liceat etiam occasionem peccati *ponere*? 325
Q. 99. An peccans cum *complice* declarare debeat in confessione circumstantiam *sollicitationis*? . . . . . »

ART. II. De cooperatione.

Q. 100. *Quid* 1°) sit *cooperatio*, et 2°) *quotuplex*? . . . »
Q. 101. Dic : 1°) *Quid* sit cooperatio *formalis*; 2°) *quid* vero *materialis*? . . . . . »
Q. 102. An aliquando *liceat* cooperari peccato alterius? . . 326
Q. 103. Quandonam censeatur *justa et proportionata* causa, ut quis possit cooperari *materialiter* peccato alterius? . . 327
Q. 104. An possit esse causa rationabilis *famulis* seu *subditis*, *operariis*, *mercatoribus*, *cauponibus* cooperandi *materialiter* peccatis alienis? . . . . . »
Q. 105. An liceat *locare* domus : 1°) *usurariis* et *meretricibus*? 2°) *Massonibus* aut aliis ejusdem generis sectariis ad suos conventus habendos? 330

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

PRAEAMBULUM . . . . . »

PARS PRIMA.

DE PRAECEPTIS PRIMAE TABULAE, SEU DE OFFICIIS ERGA DEUM.

DE PRIMO PRAECEPTO.

CAP. I. De primo praecepto, qua affirmativo; ubi speciatim de actibus virtutis religionis : adoratione et oratione.

Q. 1. *Quid* importet *primum* DECALOGI *praeceptum*? . . 333
Q. 2. *Quid* 1°) sit virtus *religionis*, et 2°) *quinam* praecipui ejus *actus*? 334
Q. 3. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit ADORATIO? . . . 336
Q. 4. *Quo cultu* colendi sint : 1°) CHRISTUS, SS. COR JESU, SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTUM, SS. NOMEN JESU, IMAGINES *Christi ejusque* RELIQUIAE? 2°) B. M. VIRGO, SANCTI, eorumque IMAGINES atque RELIQUIAE? 338
Q. 5. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit ORATIO? 342

Q. 6. *Qualiter* ORATIO sit *necessaria*? 343
Q. 7. *Quandonam* obliget ORATIONIS praeceptum? . . . 344
Q. 8. *Quosnam* ORARE liceat? . . . . . »
Q. 9. *Quaenam* in ORATIONE *petere* liceat? 345
Q. 10. Pro *quibusnam* sit ORANDUM? . . . . . »
Q. 11. *Quinam* sint *effectus* ORATIONIS? 346
Q. 12. *An* et *quatenus* ORATIONIS effectus *impetratorius* sit *infallibilis*? . . . . . »

CAP. II. De vitiis religioni oppositis per excessum : de superstitione ejusque variis speciebus.

Q. 13. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit SUPERSTITIO, et 3°) *quantum peccatum*? 349
Q. 14. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit IDOLOLATRIA? . . . »
Q. 15. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit DIVINATIO? 350
Q. 16. *Quantum* peccatum sit DIVINATIO? 351
Q. 17. *Quid* speciatim dicendum de SORTILEGIO? . . . . »
Q. 18. *Quid* liceat conjicere ex SOMNIIS? . . . . . »
Q. 19. *Quid* speciatim dicendum de ASTROLOGIA? . . . 353
Q. 20. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit VANA OBSERVANTIA? . . 354
Q. 21. *Quantum* peccatum sit VANA OBSERVANTIA? . . . 355
Q. 22. Ex *quibusnam* VANA OBSERVANTIA dignosci possit? . . »
Q 23. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit MAGIA? . . . . . »
Q. 24. An sit *illicitum* maleficia a malefico dissolvi, quae *medicamentis* dissolvi nequeunt, neque *precibus*, neque *exorcismis*? 356
Q. 25. Quid sentiendum de potioribus aevi nostri superstitionibus, nempe : 1°) MAGNETISMO ANIMALI seu MESMERISMO ; 2°) TABULIS SEMET MOVENTIBUS ; 3°) SPIRITISMO, uti vocant, *Americano;* et 4°) HYPNOTISMO? . . . . . »

CAP. III. De vitiis religioni oppositis per defectum : irreligiositate ejusque variis speciebus.

Q. 26. *Quid* 1°) sit IRRELIGIOSITAS, et 2°) *quaenam* ejus *species*? 358
Q. 27. *Quid* 1°) sit TENTATIO DEI, 2°) *quotuplex* et 3°) *quantum* peccatum? . . . . . »
Q. 28. *Quid* 1°) sit SACRILEGIUM, 2°) *quotuplex* et 3°) *quantum* peccatum? 359
Q. 29. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM *personale*? . 360
Q. 30. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM *locale*? . . »
Q. 31. *Quibus modis* committatur SACRILEGIUM *reale*? . . 361
Q. 32. *Quid* 1°) sit SIMONIA, et 2°) *undenam* illud nomen? . 362
Q. 33. *Quotuplex* sit SIMONIA? 363
Q. 34. *Quantum* peccatum sit SIMONIA? 365
Q. 35. *An* semper sit SIMONIA emere vel vendere aliquid *temporale* spirituali *annexum*? . . . . . »

Q. 36. *An* sit SIMONIA aliquid exigere *pro admissione* ad statum *religiosum*? 366
Q. 37. Quaenam *poenae* ecclesiasticae in SIMONIAE reos infligantur? . . . . . "
Q. 38. *An, quae,* et *cuinam* restituenda sint SIMONIACE accepta? "

DE SECUNDO PRAECEPTO.

CAP. I. De vana usurpatione nominis Dei et de blasphemia.

Q. 39. *Quid* prohibeat *secundum* DECALOGI *praeceptum*? . . 368
Q. 40. *Quandonam* habeatur VANA SS. NOMINIS DEI USURPATIO? "
Q. 41. *An* et *quantum* peccatum sit haec VANA USURPATIO? . "
Q. 42. *Quid* sit BLASPHEMIA? 369
Q. 43. *Quotuplex* sit BLASPHEMIA? 370
Q. 44. *Quantum* peccatum sit BLASPHEMIA? 371
Q. 45. *An* omnes BLASPHEMIAE sint *ejusdem speciei* peccata? . 372
Q. 46. Quaenam *generatim* verba ut BLASPHEMATORIA habenda sint? 373
Q. 47. *An* et *qualia* sint peccata BLASPHEMIAE ex *consuetudine* prolatae? 374
Q. 48. *Quid* sentiendum de MALEDICTIS *in homines* vel *alias creaturas*, sine ordine ad Deum? 375

CAP. II. De juramento (ubi de perjurio) et adjuratione.

Q. 49. *Quid* 1°) sit JURAMENTUM, et 2°) in quo *discrepet* ab ADJURATIONE? . . . . . "
Q. 50. *Quotuplex* sit JURAMENTUM? 377
Q. 51. *Quaenam* sint *conditiones*, ut *validum* sit JURAMENTUM? 378
Q. 52. *Quid* igitur dicendum de *valore* JURAMENTI praestiti ex *errore, dolo, metu,* et *ob injuriam* alterius? 379
Q. 53. *Quaenam* sint *conditiones* JURAMENTI *liciti*? . . . "
Q. 54. *Quantum peccatum* sit JURARE : 1°) sine *veritate;* 2°) sine *judicio;* 3°) sine *justitia*? 381
Q. 55. Sitne *licitum* JURARE *sine animo jurandi*? . . . 382
Q. 56. Sitne *licitum* JURARE cum *restrictione mentali*? . . "
Q. 57. An *liceat* praestare JURAMENTUM quod exigitur in *perturbationibus politicis*? 383
Q. 58. An obligatio JURAMENTI *promissorii* transeat ad *haeredes*? 384
Q. 59. *Quandonam* non obliget JURAMENTUM *promissorium*? . "
Q. 60. Quomodo *cesset* obligatio JURAMENTI? . . . . . "
Q. 61. Quomodo JURAMENTUM *interpretandum* sit? . . . 385
Q. 62. *Quid* sit *proprie* ADJURATIO? . . . . . "
Q. 63. *Quotuplex* sit ADJURATIO? 386
Q. 64. *Quinam* possint ADJURARI? 387
Q. 65. An *licita* sit ADJURATIO? . . . . . "

Q. 66. Quaènam sint *signa* verae possessionis *diabolicae*? . 388

CAP. III. De voto.

Q. 67. *Quid* sit VOTUM? , ... »
Q. 68. An *valeat* VOTUM *metu* factum? 390
Q. 69. An *valeat* VOTUM de materia jam aliunde *praecepta*? . 391
Q. 70. *Quotuplex* sit VOTUM? . . . . . »
Q. 71. Quomodo *obliget* VOTUM? 392
Q. 72 Quaenam *materia* censeatur *levis* vel *gravis* in VOTO? . »
Q. 73. Quo *tempore* obliget VOTUM? . . . . . »
Q. 74. Debeatne *anticipare* adimpletionem VOTI, qui praevidet aliquod *impedimentum* adfuturum tempore pro adimpletione praefixo? 393
Q. 75. *Quandonam* obliget VOTUM *sub conditione*? . . . »
Q. 76. Qualiter *obliget* VOTUM *poenale*? 394
Q. 77. *Obligetne* VOTUM emissum *ob pravum finem*? . . . 395
Q. 78. *Obligatio* voti transeatne ad *haeredes*? . . . . »
Q. 79. Quomodo *interpretanda* sit VOTORUM *obligatio*? . . »
Q. 80. *Quotuplici* modo *cesset* VOTORUM *obligatio*? . . . 396
Q. 81. Quaenam sit *differentia* inter IRRITATIONEM *directam* et *indirectam* quoad effectum? 397
Q. 82. Quinam possint *irritare* VOTA *directe*, et quinam *indirecte*? »
Q. 83. An possit fieri IRRITATIO *sine causa*? 398
Q. 84. *Quid* sit VOTORUM *dispensatio*? 399
Q. 85. *Quinam* possint in VOTIS *dispensare*? . . . . . »
Q. 86. An *requiratur* justa causa, ut *valide* in VOTO *dispensetur*? »
Q. 87. *Quaenam* sint *justae causae* dispensandi in VOTIS? . 400
Q. 88. *Quaenam* sint VOTA *Papae reservata*? . . . . . »
Q. 89. Quaenam *requirantur*, ut haec quinque VOTA dicantur *Papae reservata*? 401
Q. 90. An *episcopus* possit *dispensare* conjugem a VOTO castitatis perpetuae tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine *ad petendum debitum*? 402
Q. 91. An VOTUM emissum *in utilitatem proximi* possit *dispensari*? 403
Q. 92. *Quid* sit VOTI *commutatio*? . . . . . »
Q. 93. An, *facta commutatione*, voventi *liberum* sit ad priorem obligationem *redire*? 404
Q. 94. An, *commutatione facta*, prius VOTUM *exstinguatur*? . »
Q. 95. A *quonam* fieri possit VOTORUM *commutatio*? . . . »
Q. 96. An ad VOTUM *commutandum* requiratur *aliqua causa*? »
Q. 97. An omnia VOTA possint *commutari*? 405

DE TERTIO PRAECEPTO.

CAP. I. De hujus praecepti natura et vi.

Q. 98. *Quale* sit hoc praeceptum ratione *juris*? . . . »

Q. 99. *Quid* importet hoc *tertium* praeceptum? 406
Q. 100. Dic : 1°) *Quinam* hoc praecepto *teneantur*, et 2°) sub *quanto* peccato? 407

CAP. II. De missa audienda.

Q. 101. Quaenam *conditiones* requirantur ad satisfaciendum praecepto de AUDIENDO SACRO? . . . . . "
Q. 102. *Qualis* requiratur INTENTIO? . . . . . "
Q. 103. *Quid* importet PRAESENTIA MORALIS? . . . . "
Q. 104. Dic : 1°) *quotuplex* sit ATTENTIO, et 2°) *qualis* requiratur in auditione Missae? 408
Q. 105. *Quid* importet Missae INTEGRITAS? 409
Q. 106. Utrum is qui non potest totam Missam audire, *teneatur* audire partem quam potest? 410
Q. 107. An praecepto *satisfaciat* audiens duas Missas *dimidiatas* a diversis sacerdotibus? . . . . . "
Q. 108. *Quisnam* sit LOCUS DEBITUS, ut praecepto Missae audiendae satisfieri possit? 411
Q. 109. An *teneatur* dominus uti *privilegio* oratorii privati, si ecclesiam adire non possit? . . . . . "
Q. 110. An ad *satisfaciendum* praecepto Missae, necesse sit audire Missam *parochialem*, seu in *propria parochia*? . . "
Q. 111. *Quaenam* sint *causae excusantes* ab auditione Sacri? . 412
Q. 112. An qui ab audienda Missa legitime *excusatur*, alium religionis actum *in compensationem* elicere *teneatur*? . . 413

CAP. III. De cessatione a servilibus et forensibus.

Q. 113. *Qualis* sit *obligatio* feriandi ab operibus SERVILIBUS et negotiis FORENSIBUS die dominico vel festo? . . . . "
Q. 114. *Quid* 1°) sit opus SERVILE, et 2°) quomodo *distinguatur* ab opere tum LIBERALI, tum COMMUNI? 414
Q. 115. Quandonam opera COMMUNIA *vetentur*, quandonam vero *liceant*? 415
Q. 116. *Quaenam* sint negotia FORENSIA ex jure canonico in festis *prohibita*? . . . . . "
Q 117. *Quaenam* CAUSAE *excusent* exercentes opera prohibita diebus dominicis et festis? 416

PARS SECUNDA.

DE PRAECEPTIS SECUNDAE TABULAE, SEU DE OFFICIIS ERGA PROXIMUM.

DE QUARTO PRAECEPTO.

CAP. I. De natura illius praecepti.

Q. 118. *Quodnam* sit QUARTUM decalogi *praeceptum*? . . 418

CAP. II. De obligationibus filiorum erga parentes.

Q. 119. Ad *quid* vi QUARTI praecepti obligentur *filii* erga *parentes*? 419

CAP. III. De obligatione parentum erga filios, ubi de scholis, quas neutras appellant.

Q. 120. Ad *quid* obligentur *parentes* erga *filios*? 421

CAP. IV. De obligationibus inferiorum erga superiores.

Q. 121. Ad *quid* obligentur *inferiores* erga *superiores*? . . 425
Q. 122. An aliquando *licitum sit*: 1°) NON OBEDIRE *auctoritati temporali*; 2°) REBELLARE? . . . . . »

CAP. V. De obligationibus superiorum erga inferiores, ubi de justo salario.

Q. 123. *Quaenam* sint obligationes *superiorum* erga *inferiores*? 427

DE QUINTO PRAECEPTO.

CAP. I. De natura illius praecepti.

Q. 124. *Quid* importet QUINTUM decalogi *praeceptum*? . . 430
Q. 125. *Quotuplex* sit HOMICIDIUM? 431

CAP. II. De occisione sui seu de suicidio.

Q. 126. An *licitum* sit *directe* OCCIDERE *seipsum*? . . . 432
Q. 127. An *liceat* se OCCIDERE *indirecte*? . . . . . »
Q. 128. An *liceat* se MUTILARE? 433
Q. 129. *Quaenam* sint *poenae* canonicae seipsos OCCIDENTIUM vel MUTILANTIUM? 434

CAP. III. De occisione proximi. Scilicet: 1° de occisione rei seu malefactoris; 2° aggressoris; 3° innocentis, ubi de abortu.

Q. 130. *An* et *quibus* liceat OCCIDERE *malefactores*? . . . 435
Q. 131. An *liceat* OCCIDERE *tyrannum*? . . . . . »
Q. 132. Sitne *licitum* OCCIDERE *injustum* aggressorem *vitae suae* vel *alterius impotentis*? 436
Q. 133. Sitne *licitum* OCCIDERE *aggressorem bonorum fortunae*? 437
Q. 134. An *liceat* alterum OCCIDERE in defensionem *pudicitiae*? 438
Q. 135. Sitne *licitum* OCCIDERE ad *calumniam repellendam* vel *conservandam famam*? 439
Q. 136. An aliquando *liceat* OCCIDERE *innocentem*? . . . »
Q. 137. Utrum aliquando *licitum* sit NECARE *foetum*, ad salvandam vitam matris, si alias et sibi et filio pereundum sit? . 441

CAP. IV. De duello et bello.

Q. 138. *Quid* 1°) sit DUELLUM et 2°) *quotuplex*? 442
Q. 139. DUELLUM sitne aliquando *licitum*? 443

Q. 140. *Quaenam* sint *poenae* DUELLANTIUM? 445
Q. 141. *Quid* 1°, sit BELLUM; 2°) *quotuplex*, et 3°) quomodo *differat* a RIXA et SEDITIONE? 446
Q. 142. An BELLUM sit *licitum*? . . . . . »
Q. 143. An BELLUM adhuc reputetur *justum*, in casu quo princeps non habeat nisi *probabilitatem* sui juris? 447
Q. 144. An milites BELLIGERARE possint: 1°) cum *dubio de justitia* BELLI; 2°) in BELLO patenter *injusto*? . . . . . »

DE SEXTO ET NONO PRAECEPTO.

CAP. UNIC. De quidditate istorum praeceptorum.

Q. 145. *Quid* prohibeant SEXTUM et NONUM decalogi *praeceptum*? 448

DE SEPTIMO ET DECIMO PRAECEPTO.

CAP. UNIC. De quidditate istorum praeceptorum.

Q. 146. *Quidnam* SEPTIMO et DECIMO praecepto prohibeatur? . 450

DE OCTAVO PRAECEPTO.

CAP. UNIC. De quidditate istius praecepti.

Q. 147. *Quaenam* OCTAVO praecepto *prohibeantur*? . . . 452

ART. I. De mendacio, ubi et de aequivocatione, restrictione mentali et simulatione.

Q. 148. *Quid proprie* sit MENDACIUM? . . . . . »
Q. 149. *Quotuplex* sit MENDACIUM? 453
Q. 150. Dic: 1°) *An* et 2°) *quantum* peccatum sit MENDACIUM? »
Q. 151. *Quid* 1°) sit AEQUIVOCATIO seu AMPHIBOLOGIA? 2°) *Quid* vero RESTRICTIO MENTALIS? 455
Q. 152. Sitne *licitum* uti RESTRICTIONE MENTALI vel AEQUIVOCATIONE? 456
Q. 153. *Quid* 1°) sit SIMULATIO et 2°) quomodo differat a DISSIMULATIONE? 457

ART. II. De detractione et calumnia.

Q. 154. Quid sit *detractio*? 458
Q. 155. *Quotuplici* modo fieri possit DETRACTIO? . . . 459
Q. 156. *Quantum* peccatum sit DETRACTIO? 460
Q. 157. *Quaenam* sit *materia gravis* in DETRACTIONE? . . 461
Q. 158. An *specie* differant DETRACTIONES in materiis *specie* diversis? 462
Q. 159. *Quotupliciter* crimen alicujus possit esse PUBLICUM? . 463
Q. 160. An *liceat* crimen PUBLICUM ubique *evulgare*? . . »

Q. 161. An *liceat* seipsum INFAMARE? 464
Q. 162. *Quomodo* peccet DETRACTIONIS *auditor*? . . . . "
Q. 163. Quare CALUMNIA sit peccatum gravius DETRACTIONE *simplici*? 465

ART. III. De contumelia.

Q. 164. *Quid* 1°) sit CONTUMELIA, et 2°) *quot modis* fieri possit? "
Q. 165. *Quale* peccatum sit CONTUMELIA? 467
Q. 166. An omnes CONTUMELIAE sint *ejusdem speciei* peccata? 468

ART. IV. De judicio temerario, suspicione et dubitatione temeraria

Q. 167. *Quid* sit JUDICIUM TEMERARIUM? . . . . . "
Q. 168. *Quale* peccatum sit JUDICIUM TEMERARIUM? 469
Q. 169. *Quantum* peccatum sint SUSPICIO et DUBITATIO TEMERARIAE? 470

ART. V. De violatione secreti.

Q. 170. *Quid* 1°) sit SECRETUM et 2°) *quotuplex*? . . . . "
Q. 171. *Quomodo* obliget SECRETUM? 471
Q. 172. *Quaenam* sint generatim *justae causae* SECRETUM *manifestandi*? . . . . . "
Q. 173. An *interrogatus* a superiore vel judice teneatur SECRETUM revelare? 472
Q. 174. An *peccet* qui SECRETUM alienum *detegere* quaerit aut illud *expiscatur*? . . . . . "

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

PRAEAMBULUM 473

Notiones praeviae.

Q. 1. An *Ecclesia* habeat *potestatem* statuendi PRAECEPTA sub gravi obligantia? . . . . . "
Q. 2. *Quot* sint PRAECEPTA Ecclesiae *generalia*, seu clericos et fideles simul obligantia? . . . . . "

DE PRIMO ET SECUNDO ECCLESIAE PRAECEPTO.

CAP. UNIC. De observatione festorum per abstinentiam ab operibus servilibus et auditionem missae.

Q. 3. Cur FESTA ab Ecclesia sint *instituta*? 475
Q. 4. *Quis* in Ecclesia *instituere* possit FESTA, quorum sanctificatio obliget in conscientia? . . . . . "
Q. 5. *Quaenam* sint FESTA hodie de praecepto celebranda? . "

DE TERTIO ECCLESIAE PRAECEPTO.

CAP. I. De abstinentia carnis extra jejunium.

Q. 6. *An* et *quale* exsistat PRAECEPTUM *abstinendi a carnibus* extra jejunium, certis diebus? 477
Q. 7. *Quantum* obliget hoc PRAECEPTUM? . . . . . "
Q. 8. *Quosnam* obliget hoc PRAECEPTUM? . . . . . "
Q. 9. *Quinam* censeantur *excusari*? 478

CAP. II. De jejunio ecclesiastico.

Q. 10. *Quotuplex*, generice loquendo, distinguatur JEJUNIUM? . 479
Q. 11. Dic : 1°) *In quo* consistat JEJUNIUM *ecclesiasticum*; et 2°) *quantum peccatum* sit ejus *transgressio*? . . . . "
Q. 12. *Quinam* JEJUNII praecepto obligentur? . . . 481
Q. 13. *Quotuplex* peccari possit contra partem praecepti de UNICA REFECTIONE? . . . . . "
Q. 14. *Quaenam* dari possint regulae circa COLLATIUNCULAM? . 483
Q. 15. *Quaenam* extra REFECTIONEM et COENULAM, etiam absque [illegible] jejunantibus licite sumantur? . . . 484
Q. 16. *Quaenam* sint *regulae* servandae circa ABSTINENTIAM in jejunio? 486

De causis a jejunio excusantibus.

Q. 17. *Quaenam* sint *causae* a JEJUNIO *excusantes*? . . 489
Q. 18. *Quinam* excusentur titulo IMPOTENTIAE? . . . "
Q. 19. *Quinam* excusentur titulo PIETATIS? . . 491
Q. 20. *Quinam* in jejunii lege DISPENSARE possint? . . 492

DE QUARTO ECCLESIAE PRAECEPTO.

De annua confessione.

Q. 21. *Quodnam* sit QUARTUM Ecclesiae praeceptum? . 493
Q. 22. *Quosnam* illud praeceptum *obliget*? 494
Q. 23. An praeceptum ecclesiasticum de ANNUA CONFESSIONE *obliget* ad CONFESSIONEM VENIALIUM? . . . . . "
Q. 24. An *satisfiat* praecepto per CONFESSIONEM *invalidam*? . 495
Q. 25. *Quomodo* ANNUS *computandus* sit? 496
Q. 26. An qui confessus est aliquod *mortale* nondum rite confessum, et aliud omisit *inculpate*, v. g. ex oblivione inculpabili aut alia justa causa, teneatur EO ANNO *iterum* confiteri? . "
Q. 27. An qui sua culpa, vel ob legitimum impedimentum, anno praeterito non est confessus, teneatur anno sequenti, *quam primum* commode poterit, confiteri? . . . . . "

DE QUINTO ECCLESIAE PRAECEPTO.

De communione paschali.

Q. 28. Ad *quid* QUINTUM Ecclesiae praeceptum *obliget*? . . 497
Q. 29. *Quosnam* illud praeceptum *obliget*? 498
Q. 30. An huic praecepto *satisfiat* per communionem *sacrilegam*? 500
Q. 31. Quid per *Pascha* intelligatur? . . . . . "
Q. 32. An *praevidens* se non posse communicare *in paschate*, ante hoc tempus *communicare* debeat? 501
Q. 33. An qui *omisit* communicare intra tempus paschale, teneatur *quamprimum* commode possit communicare? . . . 502
Q. 34. An, tempore paschali elapso, communicare debeat *in sua parochia*, qui intra illud tempus vel 1°) non communicavit; vel 2°) communicavit sacrilege? 503
Q. 35. *Quinam* a praecepto communicandi in sua parochia *eximantur*? . . . . . "

ERRATA.

PAG.	LINEA.	LOCO.	LEGE.
153	31	transgressorum	transgressorem.
358	11	mutu	nutu.

3 5282 00160 8150

DATE DUE

BJ1249
H34
1894x
vol. 1

STACKS BJ1249.H34 1894x vol. 1
Haine, Antoine Joseph Jacques Fra
Theologiae moralis elementa
3 5282 00160 8150